


FIDES SCUTUM



M. Bruen.








HERMANNI VENEMA
INSTITUTIONES
HISTORIAE ECCLESIAE
VETERIS TESTAMENTI.

SEU


PATRIARCHALIS ET ISRAELITICAE

TOMUS II.

A TEMPLI SALOMONIS INITIO AD TOTALE REIP. JUDAICAE EXCIDIUM PER ROMANOS.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud SAMUELEM et JOHANNEM LUCHTMANS,
LEOVARDIÆ,
Apud GERARDUM TRESLING.
MDCCLXXVIII.



PERIODUS QUINTA.

A TEMPLO SALOMONIS FUNDATO AD ILLUD DESTRUCTUM ANN. 411.

§. I. Summa hiſtoriae hujus periodi haec eſt. Succeſſor Davidis Salomo, filius ejus ex Batſeba, regno a turbonibus liberato, ac pacato, et a Deo ipſo in viſione nocturna confirmatus, ac magnificis promiſſis mactatus, ad regnum ditandum, celebre reddendum, ſimul ſuperbis aediſiciis Hieroſolymam ornandam, animum mox adplicuit, Templum, pro eo tempore, ſplendidum, ſpatio 7 annorum conſtruxit, et ſolenniter dedicavit. Feliciſſimus, et per vicinos, remotioreſque populos, celeberrimum accepit nomen, quam diu Deo ſeſe in omnibus praeſtitit fidelem, uſque ad extremum fere vitae tempus, quando, mulierum gentilium illecebris pellectus, in earum gratiam idololatriae

idololatriae exercitium permisit, et favore suo persecutus est. Quo facto et adversarii ipsi, adhuc vivo, nonnulli coeperunt, et post mortem ejus regnum in duo est divisum, Israelis scilicet et Judae. Cum enim Rehabeam, filius et successor ejus, Israeli, de gravi onere sub Salomone conquesto, leviusque ab eo petenti, durius respondisset, *decem* tribus ab eo defecerunt, rege Jeroboamo electo. A quo tempore *duo* sunt in Israele erecta regna, Ephraimitarum, sub nomine Israelis, et Judaeorum, quae usque ad exilium durarunt, illud ad Assyriacum, hoc ad Babylonicum.

§. II. Israelitici sedes primum fuit *Sichem*, in tribu Ephraim, dein *Thirza* in Manassis, denique *Samaria*, vicina Thirzae, religionis vero idololatricae introductae sedes facta est Dan et Bethel, cui omnes ad unum reges adhaeserunt: regum successio per varias familias processit, donec, varia post fata, idololatria Phoenicia, omnium pessima, et horrenda morum corruptione, caput exserente, et invincibiliter dominante, regnum primo debilitatum, et dein abolitum est per Assyrios, populo in exilium abducto. *Alterum* regnum Judae, sed cui Benjamin adhaesit, Hierosolymam et Templum Salomonis pro sede regni ac religionis habere, ac Mosis statuta observare, perrexit, in familia ac progenie Davidis sine interruptione continuavit, sed per nimiam cum Israele conjunctionem, ac imitationem, ad idololatriam quoque abstractum est, ita tamen, ut per pios reges variis vicibus fuerit purgatum, ac reformatum; inter quos eminuerunt Asa, Josaphat, Uzzias, sed in primis Hizkias, ac Josias: donec tandem et idololatria, horrenda quoque illa Phoenicia, et morum depravatio, illud tota ita infecerit, ut omnia respuerit remedia, a Deo adhibita. Quando et illud tandem destructum est, et populus in exilium abductus per Chaldaeos, aliquot annis post Israelitas deportatos.

§. III. Quae historia ex libris Regum ac Chronicorum, qui ex annalibus, ac commentariis fusioribus, a Prophetis conscriptis,

conſcriptis, qui perierunt, in compendium redactis, confecti ſunt, praecipue petenda eſt. Sed multa quoque derivari poſſunt, in primis ad ſtatum reip. et Eccleſiae cognoſcendum, ex libris Propheticis, qui ſuperſunt. Ad Tyriorum regnum illuſtrandum multum contulit Joſephus, qui Menandri et Dii conſervavit fragmenta, AEgyptiorum vero Herodotus, Chaldaeorum denique Canon Ptolomaei, Beroſus et Megaſthenes: de quibus poſtea ſuo loco. Nos, *primo* hiſtoriam ipſam trademus, et illuſtrabimus, dein *chronologiam* conſtituemus, denique de populis vicinis, aeris ac epochis illuſtrioribus, agemus. Praemittenda, pro more, eſt notitia aliqua librorum Regum, et Chronicorum.

§. IV. Libri *Regum Judae et Iſraelis*, non ab autoribus, ſed argumento, quod eorum hiſtoriam tradant, ſic adpellati, quo tempore et a quibus conſcripti ſunt, licet incertum ſit, illud tamen, quod ad fidem illis conciliandam ſufficit, conſtat, autorem hiſtoriam ex publicis monumentis, quae a viris ejus aetatis condita ſunt, excerpſiſſe et contraxiſſe. Provocatur utique paſſim ad annales, ſeu commentarios regum Judae et Iſraelis, et res Regum a Prophetis, vel ſcribis publicis, fuſe fuiſſe conſcriptas, ubique traditur in his libris. Geſta, ex. gr. Salomonis a tribus Prophetis, Nathane, Achia, et Iddone fuiſſe exarata, docetur 2 Chron. IX: 29. Rehabeami a Semajah et Iddone, ibid XII: 15. Abiae ab Iddone c. XIII: 22. Joſaphati a Jehu, filio Hanani c. XX: 24. Ubi, quod notari meretur, hiſtoriam illam, additur, fuiſſe *libro Regum Iſraelis* inſertam. Ex quo, commentarios illos inter alia vitas Regum, a Prophetis conſcriptas, comprehendiſſe, eluceſcit. Res Uzziae ſcripſit Jeſaias ib. XXVI: 23. ut et Hizkiae c. XXXII: 32. ubi adjungitur, ipſam illam Hizkiae vitam, a Jeſaia compoſitam, fuiſſe in commentariis regum Judae et Iſraelis relatam, his verbis, *ecce ſcripta ſunt in viſione Jeſaiae* על ספר *relata in librum* (addi enim debet, quod obſervo, verbum העלה, uti plene exſtat c. XX: 34.) *regum Judae et Iſraelis.*

§. V.

§. V. Res itaque gestae Israelitarum et Judaeorum fuerunt a Prophetis, vel scribis publicis, in acta relatae, sicut et aliis populis in more fuit, et ex illis brevem ac summariam historiam composuit autor horum librorum, incertum, quis fuerit, et quo tempore vixerit. Libros post exilium Babylonicum esse confectos ab Ezra, sive in eo a Jeremia, vulgatior habet opinio, hoc duplice nixa fundamento, *uno*, quod nomina *mensium* Chaldaica occurrant, uti mensis *secundi* זיו *ziph* 1 Reg. VI: 1. *octavi* בול *bul* ib. 38 et *septimi* האתנים *Aetanim* c. VIII: 2. *altero*, quod res gestae post destructam Hierosolymam memorentur. 2 Reg. XXV. *Prius* illud non tantum lubricum, sed et falsum est. Mensium enim nomina Chaldaica, Judaeis post exilium usitata, longe alia fuerunt. *Secundus* enim mensis tum dictus est איר *Ijar*, *septimus* vero תשרי *Tisri*, et *octavus* מרחשון *Marchesvan*. Nec Chaldaica necesse est habeantur nomina in lib. Reg. obvia. Utique בול *bul* exstat Jud. XIX: 21. et denotat *rigavit*, seu proprie *largum*, *fluxum*, madoremque rigantem, a quo nomen Chald. ejus mensis parum abit. Vox vero אתנים proprietatem habet in *perenni* et *perpetim fluente*, unde inter alia, ad copiam, abundantiam, tranquillitatem, laetas, lautasque res transiit, quam figuratam significationem adoptaverim, cum illum in mensem ultima frugum et fructuum collectio incidat, nec non expiationis dies in festum Tabernaculorum. Nec multum discedit nomen Chald. תשרי *solvere*, proprie adfusa aqua, unde vox משרה pro maceratione et dissolutione uvarum; unde ad mensem vindemiarum, simul vitae liberae ac solutae, ut in festo Tabernaculorum, statum recte transfertur. Nec abhorret, vocem זיו Hebraeis eodem sensu fuisse usitatam, quo Chaldaeis, licet in reliquiis linguae Hebraeae in Script. S. non extet. Significat autem *splendorem* et *fulgorem*, et in illum mensem recte quadrat, quo arbores et germina efflorescunt, simul lux diurna incipit esse amplior. Quae si recte sint disputata, opinionis, quam oppugno, fundamentum non tantum destruunt, sed

simul

simul eam evertunt, cum scriptor non Chaldaeis mensium nominibus, uti in libris post captivitatem scriptis, sed Hebraeis fuerit usus. *Alterum* opinionis receptae fundamentum solidius est, nisi ultimam illam laciniam a Reg. XXV. ab alia esse profectam manu statuatur. Sed et illud tamen inde colligi poterit, librum historiae regum non fuisse, nisi postquam populus aliquandiu in exilio degisset, perfectum; nec tamen, totum librum ab autore ejus temporis, vel postea ab Ezra, fuisse adornatum, hinc concludi potest.

§. VI. Obstant vero haec in primis duo opinioni de libris Regum ab uno eodemque autore post captivitatem concinnatis. Quorum alterum est, quod formula, *ad hunc usque diem*, hic illic occurrat, ubi autor tempore exilii ei locum dare non poterat: ex. gr. de *arca* dicitur 1 Reg. VIII: 8. eam ibi fuisse *ad hoc tempus usque*; de Cananaeorum reliquiis, a Salomone *tributariis* ad servitia praestanda factis, *ad hunc usque diem* c. IX: 21. Israel quoque a domo Davidis defecisse *ad hoc tempus usque* c. XII: 19. sicut et de Edomo 2 Reg. VIII: 22. Denique Deus *ad hoc usque tempus* legitur non abjecisse Israelem, ib. XIII: 23. Quae formula cum istis in locis adhiberi non potuerit destructa jam rep. Judaica, totus liber statui nequit compositus durante exilio. Nec regeri potest, uti fit, autorem, commentarios regum contrahentem, stylum et formam scribendi, qualis in iis fuit, retinuisse. Praeterquam enim, quod autorem sine ratione et oscitantia ejusmodi formulam, a temporibus suis alienam, retinere voluisse, praesumi nequeat, ab ipsis illis commentariis formula talis plane abhorrebat, cum autores eorum illis ipsis vixerint temporibus, ut modo notavi: requirit enim formula diuturnius spatium, inter rem gestam, et tempus, quo autor scripsit. Autor utique aequalis ex. gr. scribere nequit, Israelem a Juda defecisse *ad hoc usque tempus*.

§. VII. *Alterum*, quod receptae opinioni repugnat, est, commentarios, ex quibus historia excerpta fuit, eo tem-

pore, quo autor scripsit, adhuc superfuisse, et in manibus hominum versatos. Praeterquam enim, quod ad deperditos frustra provocasset, eos non exstare non tantum nusquam indicat, sed ea ratione citat, ut veritas historiae suae ex illis apud omnes constare, et ipsae illae res ab omnibus legi possint fusius. Commentarios vero tempore exilii Babylonici non amplius superfuisse communis fert hypothesis, quae et inde firmatur, quod si excidium urbis et Templi evasissent, diutius mansissent inter Judaeos, nec tam facile in obscurum ivissent, quod tamen ante Ezram contigit. Habemus quidem libros titulo *Ephemeridum* insignitos, eodem quo hi commentarii solent, sed nostros ab iis esse diversos, manifestum est, cum nostri tantum sint majorum compendia, et antiqui illi ac prolixiores commentarii in iis citentur, titulo *Librorum regum Judae et Israelis.* De quo postea.

§. VIII. Dicta ubi ad animum revoco, nihil occurrit probabilius, quam compendiarios hos Regum libros, ex majoribus commentariis, nec ab uno autore, nec eodem tempore, sed a diversis et successive confectos esse, donec tempore exilii Babylonici, post Jechoniam carcere eductum, et hic memoratum, ultima fuerit inposita manus. Quae hypothesis sicut difficultatibus supra motis satisfacit, ita aliunde quid roboris acquirit. Superiora utique edocent, autorem partim stante utraque rep., Israelitica et Judaica, vixisse, partim ei fuisse superstitem, et post Judaicam destructam aliquandiu in vivis fuisse: quod in unum eundemque virum non quadrat. Ipse Jeremias, quem multi pro autore habent, Judaicam quidem florentem vidit sub Josia, sed num ad Jechoniam e carcere eductum usque vitam prolongaverit, incertum, nec probabile est, nec Israeliticam cognovit remp.: quam tamen suo tempore adhuc fuisse, autor 1 Reg. XII: 19. et 2 Reg. XIII: 23. clare indicat. Ut vero, quod dixi, hypothesin nostram aliunde quoque firmari, elucescat, observari velim, aliquas hic illic reperiri peculiares

peculiares ſchedulas, ab alio autore confectas, et hiſce libris inſertas: uti 2 Reg. IX et X. de quo poſtea, et cap. XVIII—XX. quae Jeſaiam habet autorem, ut ex Jeſ. XXXVI—XXXIX. et inde ab autore noſtro eſt adſumta. De quo vid. quae diſputat Cl. Vitringa. Quod idem, ſecus ac putatur, de pericopa Jer. LII. non ſtatuerim, cum illa Jeremiam non habeat autorem, ſed libro ejus ab alio, ad veritatem prophetiarum ejus illuſtrandam, fuerit adjuncta, ut in Comm. ad Jer. adſtruxi.

§. IX. Cum itaque pericopae a diverſis autoribus ſcriptae in his libris ſeſe offerant, praeterea ex ſupra dictis, varios eſſe materiae eorum autores conſtet, mihi pluſquam probabile videtur, ejuſmodi compendia ex majoribus commentariis facta fuiſſe diverſis temporibus, ſive a prophetis, ſive aliis probatae fidei, quae poſtea in exilio Babylonico in unum collecta ſunt, et illuſtrata, ſive a Jeremia, ſive Ezra, ſive alio: de quo nihil certi pronunciari poteſt. Cui hypotheſi non obſtat ſtyli conformitas, cum in omnibus libris hiſtoricis Script. S. haud multum variet: potuit quoque autor ſchedularum collectionis id operam facile dare, ut ſtylus ubique quantum pote ſibi ſit ſimilis; ſicut Moſes in libro Geneſ. fecit.

§. X. *Scopus* librorum, de quo paucis abſolvere potero, cum ſeſe facile prodat, eſt 1. hiſtoriam ſucceſſionis regum, et viciſſitudinum ſtatus utriuſque regni, una cum duratione, ſummatim uſque ad finem, pertexere. 2. Status felicis et infelicis connexionem cum Legis obſervantia, et tranſgreſſione, per continua demonſtrare exempla, eaque ratione Legis Moſaicae divinam confirmare autoritatem, populoque veram ad proſperitatem monſtrare viam. 3. Promiſſi in ſpecie de continua domus Davidicae in regno ſucceſſione, et Templo per filium Davidis aedificando, confirmationem, et inplementum tradere, ut partim ſedem religionis Hieroſolymae adligatam, per Templum Salomonis, ſecundum Dei voluntatem fuiſſe, pateſceret, partim ratio quoque reddere-

tur inminuti regni Davidici, salvo promisso ipsi facto, quippe non absoluto, sed conditionato. 4. Denique schismatis originem, et regni Israelitici, tanquam schismatici, historiam posteritati relinquere. De quo scopo vel ex eo constat, quod in ejus regni historia hic illic prolixus sit autor, etiam prolixior quam alibi, teste historia Eliae, Elisae, prophetarum, et Achabi Regis.

§. XI. De libris Chronicorum, cum parum habeam quod observem, paucis defungar. Adpellantur quidem Hebr. דברי הימים *verba* vel *res dierum* seu *annorum*, quasi dicas Annales, seu Ephemeridas, sive quod res, temporibus suis adligatas, contineant, sive ex ephemeridibus prolixioribus sint excerpti; nescio quam apte, cum reliqui libri historici sacri chronologiam non neglexerint, et libri Regum ex ephemeridibus quoque confecti sint. Graecis vero adpellantur παραλειπομενα *Paralipomena* seu praetermissa; forte quod multa comprehendant in libris Regum omissa, adeoque in eorum supplementum. Quod cum verum sit in multis respectu Regum Judae, titulus iste praeferri meretur; sive autor ipse illud in oculis habuerit, sive non. Prius si statuatur, libri Regum oportet jam tunc exstiterint, et ab autore lecti: quod respectu autoris, qui compendia, seu excerpta commentariorum prolixiorum, ab aliis confecta, collegit, et in unum volumen compegit, non est absonum statuere, eo minus, quod 1 Chron. IX: 1. illud videatur indicari. Verba ita habent, ut vertenda sunt et exponenda, *omnes Israelitae* (scilicet reduces ab exilio, sive ex Juda sive Israele, ut ex seq. patet) *recensiti sunt*, (*ecce scripti sunt* et *adnexi libro Regum Israelis et Judae*) *qui* (אשר *qui* ex versu seq. huc transferri debet) *captivi fuerunt abducti* in *Babyloniam* — — — scilicet, *qui primi inhabitarunt*, post reductionem, *possessiones suas*, et *urbes suas* etc. Voces, *ecce scripti sunt*, *et adnexi libro Regum Israelis et Judae*, (pertinet enim nomen *Judae* omnino ad praecedentia) pro parenthesi sunt habendae, et ideo additae, ut, catalogum hunc

hunc illi libro, inſtar adpendicis fuiſſe adjunctum, indeque a collectore libri Chronicorum deſumtum eſſe, traderetur. Nec tamen in eo pedem figere auſim, cum in excerptis commentariorum, in hoc quoque libro, phraſis ea de commentariis ipſis adhibeatur; licet eſſe potuerit, ut autor hic ad excerpta, in libris Regum occurentia, reſtrinxerit, eo magis, quod ipſi commentarii poſt exilium inter reduces amplius non ſubſtiterint, ut ſupra obſervavi.

§. XII. Quicquid hac de re ſit, illud commune hi libri habent cum Regum, quod excerpta, ex plenioribus commentariis a variis autoribus, diverſo etiam tempore, facta, ſed ab alio autore in unum collecta, poſt exilium Babylonicum, contineant. Provocatur enim et hic continuo ad illos commentarios, et de excerptis ab aliis concinnatis, ex formula, *ad hunc uſque diem*, quoque conſtat: ut ſupra notavi. Vixiſſe vero autorem collectionis excerptorum poſt exilium, ex eo probabiliter colligitur, quod genealogias non tantum tam ſtudioſe recenſeat, ſicut poſt exilium factum eſſe ex Ezrae ac Nehem. libris conſtat, et ad terras occupandas, ſacraque ordinanda, neceſſarium erat, ſed et edicti Cyri in favorem exulum, ac terminum exilii, expreſſe memoret 2 Chron. XXXVI: 20— Nec tamen diu poſt reditum, cum de rerum inſtauratione nihil tradat. Occurrit quidem 1 Chron. III: 20— recenſio poſterorum Jechoniae regis, ſeſe longe poſt reditum porrigens, ſed ea ab alio autore videtur inſerta: uti jam eſt obſervatum. Quis vero fuerit librorum, in hanc formam redactorum, autor, prorſus in obſcuro eſt, nec conjecturis, nullo nixis fundamento, indulgere juvat. Illud non eſt inprobabile, cum ibi incipiat liber Ezrae, ubi deſinit liber Chronicorum, ut ex 2 Chron. XXXVI fin. et Ezr. I. conſtat, hiſtoriam continuari per librum Ezrae, ſed eundem non arguit autorem; ſi vero Ezra habeatur autor libri Chron., quod nihil praefert inprobabile, libri Regum ipſi non ſunt tribuendi, cum eadem non repetiiſſet, praeterea in aliis hi libri nimis a ſe invicem diſcre-

pent, quam ut ab uno eodemque collectore, censeri queant profecti.

§. XIII. Eadem quidem subinde utrobique narrantur, sed cum aliqua passim diversitate, et ex distinctis schedulis, iisdem quidem schedularum autores usi sunt commentariis prolixioribus, sed diversa excerpserunt gesta. Libri Regum in historia regum Israelis prolixiores sunt, quae in libris Chronicorum negligitur, nisi in rebus ad regnum Judae pertinentibus, Judaeorum autem historia praecipuam librorum Chron. partem facit. Denique, quod singulare est, graviora vitia et crimina regum Judae, ut Davidis et Salomonis, silentio involvuntur, et praeclara facta vel fata eorum, in libris Regum praetermissa, prolixe narrantur, uti exempla sunt in Abia, Asa et Josaphato; Manassis quoque resipiscentia et instauratio in illis solis traditur.

§. XIV. Historia regni cum sit primo *uniti*, dein *divisi* in duo, *illa* vero cum vita et gestis *Salomonis* cohaereat, ejus personae, status regni, operum ac celebritatis, tradenda est notitia, sed secundum duplicem ejus periodum, *alteram* laudabilem ac prosperam, usque ad lapsum ejus, *alteram* damnandam ac turbulentam. Ad *personam* et qualitates, dotesque, in priore periodo, pertinet ejus sapientia in primis, justitia et pietas erga Deum, seu studium gloriae Dei ac religionis exercendae ac promovendae. De *sapientia* ejus, quam Deus ipsi in visione nocturna promiserat, magnifice, et more orientis, loquitur Historicus, 1 Reg. V: 9—14. Ubi 1. *amplitudo cordis ejus* dicitur *instar arenae ad littus maris*, h. e. latitudo cordis tanta, ut capiat multa, seu tam multa, ut cum arena illa comparari possit. Animus itaque capacissimus, stilo orientali, describitur, ad quaevis comprehendenda et retinenda aptus, simul scientia diffusissima, ac memoria tenacissima, qua tot ac tanta teneat, ut numerari non magis queant, quam *arenae* littoris maris. 2. Ad praecellentiam sapientiae ejus extollendam comparatio instituitur, primo, cum populis orientalibus, et AEgyptiis, quippe

tunc

tunc temporis, prae reliquis, hac parte celebribus, dein, cum singulis hominibus, qui supra sui seculi, et generationis, inter populos excellebant, in specie quatuor, celeberrimis eo tempore, Ethane, Hemane, Chalcol et Darda, filiis Macholis: quorum duo *priores* inter Levitas et cantores Templi eminuerunt, et noti sunt, ac a Divina sapientia celebres, 1 Chron. VI, XV, XXV. quibus etiam Psalmi LXXXVIII et LXXXIX. tribuuntur: sed duo *posteriores* plane ignoti, nisi quis eosdem fuisse velit, ac qui 1 Chron. II: 6. memorantur, quod non putem, cum filii Macholis adpellentur, et de aliorum hac parte celebritate nihil ibi addatur. Ceterum, cujus generis fuerit in primis haec sapientia, quae tantopere extollitur, colligendum partim est ex comparatione cum Orientalibus ac AEgyptiis, partim ex speciminibus v. 12, 13. memoratis, ubi v. 13. difficultatem parit, quod *hyssopus* videatur dici *ex muro prodire*, cum non sit planta *parietina*. Cui ut occurratur, observo, voces *quae*, vel *quod nascitur in muro*, aut *pariete*, sejungendas esse a superioribus, et ante se requirere voculam ועד *et usque ad*, ex praecedente repetendam hoc sensu: *disseruit de arboribus et cedro, quae nascitur in Libano ad hyssopum, et ad illud, quod nascitur in pariete*, seu vilissimum et minutissimum quicquid. Fuit itaque *astronomica*, *physica*, *mechanica*, ut ex aedificationibus ejus patet cap. X. *politica*, *judicialis*, *moralis*, denique *artis* acute, promte, et gratiose, ligata aeque ac soluta oratione, differendi, et aenigmata solvendi. Quo specimina hic celebrata pertinent. Reliquae laudabiles qualitates, virtutesque ejus, durante hac beata periodo, satis elucescunt ex primo justitiae specimine, ab ipso dato cap. II. de quo supra jam egi, ex religionis ordinatione, in primis precibus ejus, quibus Templum dedicavit, ex proverbiis, seu dictis acutis, et sententiis moralibus, in libro Proverb. et Ecclesiast. adhuc obviis; ne alia memorem. Est quoque hoc testatissimum.

§. XV. Ad Regnum ipsum, ejusque statum. 1. Amplitudo

tudo dominii Salomonis, longe lateque ultra fines terrae promissae, proprie dictae, extensi, pertinet. Praeterquam quod totius populi Judae et Israelis fuerit rex, et populus tunc in inmensam crevisset multitudinem, 1 Reg. III: 20. vicina quoque regna fuerint ejus dominio, tanquam tributaria, subjecta 1 Reg. V: 1. *a fluvio* (Euphrate) *usque ad* (addi enim debet ועד, uti 2 Chron. IX: 20. et re ipsa patet) *terram Philistaeorum, et usque ad terminum AEgypti*: quod v. 4. his verbis repetitur, *dominium exercuit super omnibus* עבר הנהר non *trans*, sed *cis fluvium* Euphratem; quippe terminum amplissimae ditionis, quae Israeli unquam concederetur. Quod ex termino septentrionali *Tipsako*, ibi memorato, confirmatur. Est enim celebris ejus nominis urbs, juxta Euphratem in Palmyrene, Gr. dicta Θάψακος, ubi fluvius solebat trajici; unde nomen etiam habuisse videtur, a rad. פסח secundum Simonem in Onom. Ubi vero *Gaza* terminus meridionalis adpellatur, illud non est stricte, sed late sumendum; modo enim ad *terminum* AEgypti fuit dilatatum regnum ejus; *Gaza* nominatur, quia celeberrima fuit urbs ad Philistaeorum limites Meridionales, nec ulla alia post eam. Promissum itaque Abrahamo Gen. XV. datum, nunc nactum est inplementum suum. 2. Regnum ejus fuit totum pacificum, et fortunatum; uti c. V: 4—dicitur, pacem ipsi fuisse ab *omnibus* עבריו h. e. partibus et lateribus ejus ulterioribus ac extremis: ut recte Coccejus in Lex. Sic ipse Salomo in legatione ad regem Tyri dicit, ib. 18. pace se frui, et prosperitate omnigena, absque ut sit, aut ullus *adversarius*, aut ulla *calamitatis* alicujus *incursatio*; secus ac sub Davide: hanc enim significationem, habet vox פגע, a rad. proprie *illidi*, *impingi*, unde inter alia, impetum facere in aliquem. Huc denique pertinet, quod populus *sub vite* et *ficu sua* sedisse tradatur, v. 5. h. e. proverbiali locutione, quiete, tranquille, degisse, nec non, uti c. IV: 20. *edisse*, *bibisse*, et laete egisse. 3. Denique omnium bonorum, ad laute ac splendide vivendum,

abundantiam

abundantiam fuisse refertur; adeo ut et ipse Rex fuerit ditissimus, ac magnifice vixerit, simul populus nullius rei indigus, quod superioribus phrasibus etiam involutum est. Sed de eo etiam testatur historia, ubi *aurum* et argentum, prae copia, parvi fuisse habitum Hierosolymis, tradit cap. X: 27. Ceterum, ut id obiter observem, ad hanc et regis et regni conditionem firmam, amplam, et fortunatam, forte respicitur, et inde exponi debet, difficillimus locus, nondum recte expositus, 1 Reg. IV: 19. in fine, ubi habetur, ונציב אחד *et firmiter ac eminenter constitutus unicus, et praecellentissimus, qui est in terra.* Hac enim emphasi pollet, et hic donari debet, vox נציב ut ad Ps. XXXIX: 6. observavi, et vox אחד quae unicum, singularem, et eximium, subinde denotat. Cohaerent, hoc admisso, verba non cum proxime praeced., ut vulgo putatur, sed cum sequentibus c. IV: 20. V: 1, 4, 5. ac ad Salomonem referenda sunt, simul cum c. IV: 1. connectenda, sive loco sint mota, et c. IV: 1. inmediate subnectenda, sive intermedia, v. 2—19. parenthetica: sensus totius pericopae est, Salomonem totius populi Israelis fuisse regem, et quidem unicum et praecellentissimum, firmiter constitutum, et in summa eminentia, qualis non est in terra alius, populum autem esse numerosissimum, simul regni pomoeria esse longe protensa.

§. XVI. Quam inmensae fuerint Salomonis opes, quantus aulae ipsius splendor, ex quotidianis ejus sumtibus, et equorum numero cum colligi facile queat, eorum in specie mentionem fecit Historicus. Sumtus recenset c. V: 23. ex quibus de numero personarum, quae quotidie in aula fuerunt sustentatae, conjici quoque potest. Cum enim כר *cor* ejusdem mensurae sit ac חמר *chomer*, adeoque 648 libras Romanas, ut putatur, contineat, oportet plusquam 20 hominum millia quotidie de sumtibus aulae vixerint, si duae librae tritici vel farinae singulis dentur. *Equorum* vero numerus, pro curribus, et equitibus, vers. 6. traditur, ubi

curules numerantur 40 mille, et *equitatus* 12 mille. Sed *prior* numerus, praeterquam quod fidem superet, nec cum *curruum* numero 1400 1 Reg. X: 56. et 2 Chron. I: 14. in concordiam redigi queat, directe adversatur loco parallelo 2 Chron. IX: 25. ubi 4 millia equorum ac curruum tantum memorantur. Dubium itaque vix esse videtur, quin numerus in lib. Reg. cubet in mendo, et pro ארבעים אלף legi debeat, ex 2 Chron. ארבעת אלפים; uti jam observatum est a Bocharto et aliis. Inanes enim sunt viae conciliationis a Doctis excogitatae, quibus inmorari non licet. Ceterum, quod animadversione dignum est, *currus* et *equites* non tam ad bellum, quam pompam spectabant et splendorem, cum, quod alta regnaret pax, nec ullus belli metus esset, tum, nullorum *peditum* fiat mentio, quos non neglexisset Historicus, si rei bellicae inserviissent: accedit, *cursores* adpellari v. 8., qui modi *equites* erant dicti.

§. XVII. Ad opera, aliaque magnificentiae ac divitiarum Salomonis specimina, antequam transeam, de fontibus opum ejus quaedam dicenda sunt. Praeter inmensos thesauros ipsi a Davide relictos; ut ex 2 Chron. constat, 1. *Primum* suppeditarunt duodecim curatores *annonae*, per omnes tribus, totamque Cananaeam, cis ac trans Jordanem, dispersi, et commodis locis residentes, quorum singuli singulis mensibus regiae domui de frugibus terrae prospiciebant. Qui memorati et recensiti sunt 1 Reg. IV. Quibus decimus tertius, extraordinarius forte, subjungitur in Aram Tsoba v. 19. si pro ארץ legere liceat ארם צבה; uti 1 Reg. IX: 18. de quo postea, si quis in superiore versus explicatione aequiescere nequeat. 2. *Secundus* in muneribus ac donis, seu voluntariis, seu tributariis, recte ponitur, quae reges vicini continuo Salomoni obtulerunt quotannis 1 Reg. X: 25. 3. *Tertium* subministravit argenti proventus ex equorum AEgyptiorum per terram, ac mercatores ejus, deductorum certo pretio: ib. v. 27—29. De quo vid. Bochart. H. p. I. l. II. c. 9. qui prae aliis sensum v. 28, in genere recte percepit,

pit, excepta voce מקוה, quam non bene exposuit. Sensus est, Salomonem, certo dato pretio, sibi soli jus acquisivisse equos ex AEgypto educendi, nec non privilegium transitus per terram suam solam, ita ut reliqui populi e manu sua, soluto vectigali, equos illos accipere debuerint: quod vectigal 600 siclorum erat pro quadriga, et 150 pro equo. Vers. 28*vus* autem ita vertendus est, *etiam exitus equorum Salomoni* (vox enim אשר *qui*, ante לשלמה *Salomoni* cum emphasi abundat, uti 2 Sam. I: 4. Zach. VII: 9, 17 et alibi) *erat ex AEgypto, et locus defilationis. Mercatores Salomonis locum defilationis acceperant pretio* h. e. Salomoni certo pretio acquisitum erat jus educendi equos ex AEgypto sine vectigali, et transferendi ad alios populos; ita ut ipse libere potuerit educere, et nemo nisi suam per terram, et servorum suorum manu, eos ex AEgypto sibi comparare potuerit. Vox מקוה denotat hic *locum defilationis* vel defilationem, sive jus et privilegium ejus. Radix קוה, a קו *linea*, *filo*, accepit tum *confluendi*, tum *recto* cursu aliquo *contendendi* significatum, et apud Arab. in agmine viatorum, longo filo iter facientium, teritur, Schultens ad Har. cons. II. Sumitur vero מקוה pro receptaculo aquarum, recta eo contendentium linea. Nostro autem loco signat sive locum defilationis et itinerantium, sive iter ipsum et transitum.

§. XVIII. 4. Denique ditissimum fontem ipsi praebuit duplex navigatio, cum Tyriis instituta, *una* Ophirim, 1 Reg. IX: 26. et X: 11 *altera* Tarschischum, ib. 22. De quorum locorum situ longa est disputatio, quam non ingrediar. *Ophir*, ex mea opinione, ut eam verbo proferam, non in Africa AEthyop. orienti soli obversa, ubi est regio Sophala, quaeri cum Huetio debet, sed in India, nec ultra Gangem, in aurea Chersoneso, cum G. Varerio Lusitano, quippe a Chavila, quocum Ophir conjungitur Gen. X: 29. ex posteris Joktanis, remotiore, sed cis Gangem, sive sit Taprobana, hodie Zeilon, ut Bochart. opinatur, sive continens illi proxima in Supara, aut ei vicina, ut L. Holstenius, et eru-

dite Relandus: qui autores legendi sunt. *Tarsis* vero non est, ut opinatus est Huetius, Africae ora Occidentalis, sed Tartessus Hispaniae, circa Baetis ostia, ut Bochart. Phal. III: 7. et ante eum Bootius Anim. S. IV: 7. demonstravit, saltem probabile reddidit. Nec obstat, quod naves, Tarsisum navigaturae, dicantur 1 Chron. XX: 35. fabricari et solvi in Hetsjon-gebare, in mari rubro: potuerunt enim inde in mare Mediterraneum transvehi per terram, seu Nili fossam, de quo vid. Vitringa ad Jes. III., vel etiam per Oceanum circa Africam navigasse. Quod jam ab antiquis temporibus factum videtur, utique tempore Pharaonis Necho illud jam factum fuisse, tradit Herodotus.

§. XIX. AEdificia, a Salomone exstructa, recensebo, quae de ejus magnificentia et divitiis testantur, postquam de *praeparatione* et *artificibus* egerim. Ad *praeparationem* pertinet, remote, pactum Salomonis cum Chiramo, Tyriorum rege, et proxime, lignorum ac lapidum formatio, per operarios, in montem Libanum missos: 1 Reg. V: 15—fin. Quod ad *prius* adtinet, historia distincte refert, Salomonem Chiramo per legatos propositum suum de Templo aedificando significasse, et ligna caesa eum in finem de Libano petiisse, antequam Chiramus ad eum misit legatos. Legatio enim Chirami, cujus ab historico, v. 15. fit mentio, jam in initio regni Salomonis facta est, antequam Salomo animum ad Templum aedificandum adplicuit, eoque scopo, ut ipsi gratularetur super regno, et adfectum suum testificaretur: ut ex ipso textu patet: cujus praemissa est mentio, occasione hujus legationis Salomonis, ut eum ad Chiramum tanquam amicum, qui illud jam ante testatus erat, misisse legatos, doceretur. Legatio autem eo tendit, ut Chiramo propositum de Templo aedificando, quod David sumserat quidem, sed propter bella praestare non poterat, ipse nunc exsequeretur, significaret, simul opem ejus, in lignis caedendis et lapidibus, peteret, una cum artificibus peritis; quod postremum tamen videtur altera demum legatione petiisse:

ut

ut ex collato 2 Chron. II. colligi posse videtur. Legatio nimirum duabus videtur facta vicibus, *priore* ad ligna et lapides, *posteriore* ad peritos artifices, in specie Chiramum, petendos: cujus posterioris indicium quoque exstat 1 Reg. VII: 13. Autor vero libri Reg. prioris exhibet argumentum, sed Chron. utramque una comprehendit: ex quo etiam loco desumtae sunt litterae, quas ex Eupolemo recenset Eus. Praep. Eu. l. IX. c. 33. Jos. vero Ant. VIII: 2. litteras quoque Salomonis et Chirami mutuas exhibet, convenienter maxime verbis in lib. Reg. occurrentibus; nec aliquid habent, quod cum ratione reprehendi potest in Jos.

§. XX. Ceterum in Litteris Salomonis illud unum hic observo, Salomonem, cum rationem, quae Davidem inhibuit, in continuo bello ponit, non id velle, uti ceperunt Interpretes, eum nimis fuisse bello occupatum, quam ut Templo aedificando manus admovere potuerit, adeo ut vera ratio fuerit silentio involuta, ne peccatum Patris, in multo sanguine fundendo, retegeret, quod mihi valde absonum videtur, sed ipsi hoc fas non fuisse, quia Templum, seu fixa et splendida aedes, in periodum bellicam non quadrat, sed tempus pacis ac quietis requirit, populis itaque vicinis hostilibus ante subactis. De quo in historia Davidis 2 Sam. VII. exposui. Phrasis, ut id obiter observem, paulo inpeditior, 1 Reg. V: 17. bellum אשר סבבהו *quae circumdederunt eum*, verti solita, reddi debet, *quo circumdederunt eum* hostes, h. e. vi nativae verbi potestatis, hostiliter in eum irruerunt, Vid. Ps. CXVIII: 10— et ibi dicta in Comm. ad Ps. Litteris Chirami ad Salomonem haud male respondent, quae apud Jos. occurrunt, nisi quod hic illic sit aliquid explicationis ergo insertum. Nec offendere debet, quod Chiram Tyrum adpellaverit νῆσον *insulam;* est enim ea antiquissima, et *in continente* sita Tyrus post hanc legationem demum a Chiramo, ad exemplum Salomonis, ornata, ac in eam translata aula: de quo postea, ubi de Tyriis. Ceterum verba Chirami v. 23. ita vertenda sunt: *servi mei descendere*

[illegible] *e Libano ad mare, easque ego ratibus,* [illegible] *devehi curabo mari ad eum, quem* [illegible] *significaveris, locum, et excutiam* [illegible] est נפצתים, uti docuit Cl. Schultens orig. [illegible] scilicet e manu mea, ac tibi tradam cu- [illegible]

§. XXI. Ad proximam praeparationem pertinet lignorum et lapidum formatio per operarios, a Salomone in montem [illegible] missos: quorum numerus exacte traditur 1 Reg. V: [illegible] ubi difficultatem parit, quod מס *tributum ex omni Is-* [illegible] dicitur indictum, 30 hominum millia complexum, cu- [illegible] mentio in loco parallelo Chron. Probabile mihi [illegible] fuisse architectos et opifices Salomonis, lignis et la- [illegible] poliendis, et ad usum aptandis, destinatos; qui a [illegible] et caesoribus in monte distinguuntur expresse v. 29, [illegible] Qui posteriores erant servi, et ex peregrinis, ac Cana- [illegible] residuis 2 Chron. II: 16. Priores vero erant [illegible] v. [illegible], nec *servi*, sed simpliciter operarii, licet [illegible] populo, vice tributi, a populo offerendi, vel alen- [illegible] מס [illegible] adpellantur, nec tamen, quod notan- [illegible] עבד [illegible] tributum, uti de Cananaeis habetur c. IX: [illegible], ut illud addam, cum *aedificatores Chirami* et [illegible] memorantur, illud eodem sensu capiendum [illegible] *Apostoli* et *Petrus*; quales similes sunt aliae [illegible] itaque Giblitae ad Chirami aedifica- [illegible] inter eos insignes; fuerunt vero cives urbis [illegible] maris mediterranei in finibus Phoenices, [illegible] גבל *termini* habet: cujus mentio Jos. [illegible] seu refectores navis Tyriae [illegible] *Gebal* Ez. XXVII: 9. e terra [illegible] Gabala, Plinio Gabale, in [illegible] Itinerariis, Gibel, vel Gibellino, [illegible]

§. XXII. [illegible] instrumentorum Templi princeps fue- [illegible] legatione a Salomone petitus,

et

et a rege Chiramo missus, 1 Reg. VII: 13, 14. et 2 Chron. II. de eo aliquid dicendum est. Pater ejus fuit Tyrius, sed mater Israelitica, quae ex tribu Dan, quoad matrem, sed ex Naphtali, quoad Patrem, fuisse videtur, ut loca Reg. et Chron. concilientur, cum in priore loco tribui Naphtali, posteriore Dan adscribatur. Nomen ejus חירם vel חורם *Chiram* vel *Churam* denotat nobilissimum, et ab ipso rege Tyrii forte tractum, cum nomina regum vel principum ad alios transferri, praecipue qui ipsis in deliciis sunt, non sit insolens. Adpellatur quoque propterea in lib. Chron. חורם אבי c. II: 12. et חורם אביו c. IV: 16. *Churamabi*, vel *abiv*. h. e. *pater*; vel *ejus pater est nobilissimus*: vox enim illa haud raro adjungitur nominibus propriis. Quod ideo notari meretur, quia vox אבי vulgo male solet pro nomine adpellativo haberi, et ut sensus tunc exsculpatur commodus, varie torqueri.

§. XXIII. Pactum, quo Chiram ligna cedrorum promisit et abietum, Salomo vero ipsi quotannis triticum et oleum, fideliter fuisse observatum, traditur 1 Reg. V: 24, 25. et 2 Chron. II: 9. quibus in locis est quidem aliqua, respectu mensurae tritici et olei, differentia, sed quae facile tollitur, si priore loco de aula et domo Chirami, et posteriore de servis et operariis ejus, agi, statuatur: quod ex ipso textu erui potest. Sed praeterea muneribus et donariis se invicem honorarunt: utique Chiram ingentem auri copiam Salomoni, et hic illi viginti urbes in terra הגליל *limitanea*, alias *Galilaea* gentium dicta, Jes. VIII: 23. dedit: uti narratur 1 Reg. IX: 11— ex fragmento annalium Tyriorum, ut conjicio, historiae ibi inserto. Intererat utique regis Tyriorum ejus donationis conservatio, ad jus suum in eas urbes demonstrandum in posterum: et fragmenti, historiae inserti, vel in eo videtur esse indicium, quod tempus tam adcurate fuerit ei praefixum v. 10. quod ceteroquin locum non habuisset, minus, quia tempus jam antea fuerat adnotatum. Additur quidem, Chiramo, urbes illas lustranti, eas

displicuisse, sed non, ab eo esse repudiatas, ut putatur, quod nec verosimile est, eo minus, quod nomen tractui indiderit כבול, q. d. in pignus acceptum, ut ex Arab. exponit Simon in Onom.; dedisse quidem legitur Chiram Salomoni urbes 2 Chron. VIII: 2. sed has ipsas esse, nullo constat indicio, et si essent, eas postea fuisse Salomoni redditas statuendum foret. De quo nihil potest definiri.

§. XXIV. Inter illustria aedificia, Hierosolymae exstructa, ut ad ea recensenda veniam, primum tuetur locum Templum, loco Tabernaculi, fixa et unica religionis sedes, *domus Jehovae* dicta, 1 Reg. VI: 1. alibi c. V: 17. לשם *nomini*, vel *ad nomen* Jehovae, aedificata, non sine emphasi, cum non simpliciter aedem Jehovae, vel ab eo nomen trahentem, denotet, sed *cum* palatium Jehovae, qui *nomen* habet, et se gloriosum praestitit, *tum* ad Jehovam colendum et laudandum; qua pollet emphasi vox שם pro *gloria* subinde sumta, et phrasis לשם *ad nomen*. AEdificari coepit ann. IV*to* Salomonis, qui est 648*vus* ab exitu Israelis ex AEgypto, 1 Reg. VI: 1. uti legi deberi supra disputavi. Phrasis vero, et *aedificavit* domum Jehovae, est pro *aedificare coepit*, uti ex v. 37. quoque liquet. Duravit autem aedificatio *septem* annos: quo spatio totum aedificium, cum omnibus instrumentis ac ornamentis, fuit absolutum: ibid. 38. Descriptio Templi, ejusque instrumentorum, fuse et accurate cap. VI et VII. facta, licet ad institutum nostrum non pertineat, non possum tamen, quin eam, secundum ductum historici, nonnullis illustrem observatis.

§. XXV. Offert sese in hac historia generalis totius aedis conspectus, quoad externas partes, et earum dimensiones, c. VI: 2—10. Ad quam pericopam paucis defungar observatis. 1. Voce בית *domus* intelligitur *sanctum*, *et sanctum sanctorum*, a quo distinguitur האולם seu *πρόναον* aedis vestibulum, proprie *anterior* aedis pars, a rad. אול, quae in lingua Arab. superest, et denotat *praecessit*, anterior evasit: unde vox אולם et temporis, et loci significat *initium*. Duae vero

vero ipsius aedis partes speciatim adpellantur v. 5. דביר et היכל. Priore voce *sanctum sanctorum* designatur, quae ab Hieronymo *locutorium* vertitur, λαλητήριον, quia Deus ibi quasi audientiam dabat Pontifici, et oracula fundebat. Posterior היכל, a rad. כיל vel יכל *capere*, partem domus capacissimam, familiae et domesticis destinatam, proprie signat, et usu suo pro *sancto* sumitur, licet aliquando latius pro tota aede, non Tabernaculo, sed Templo, seu aede augustiore et splendidiore. Nec scio num Tabernaculum usquam eo titulo fuerit insignitum, utique in Psalmis Davidicis. Occurrit quidem 1 Sam. III: 3., sed, si באהל legi non debeat, catachrestice et per anticipationem, ab autore posteriore, phrasi sui temporis uso. 2. Quid sint *fenestrae prospectuum clausorum*, v. 4. nondum est recte explicitum. Sed, ut mentem verbo exponam, vox שקפים *trabes contignatas* significat, ut jam docuit Cl. Schultens ad Prov. VII: 7., et hic fenestras convexius prominentes, seu forma convexa prae muro protuberantes, denotare videtur: fenestrae vero *obstructae* fuerunt per tabulata lateralia, quorum mox fit mentio: inter quae et parietes aedis cum aliquod fuerit interstitium, fenestrae illae non nisi *obscurum* lumen adferre potuerunt. Quod in aedem Templi recte quadrat, cum Deus in *tenebris* ibi habitare dicatur, sicut et in Tabernaculo nullae fuerunt fenestrae, lumen praebentes. 3. Addidit Salomo aedibus tabulata, seu strata, ad modum conclavium, יציע adpellata, v. 5, 6. tum supra parietes, tum juxta et ad latus parietum quaquaversum, excepta parte orientali, quia ibi *porticus*, vel πρόναον erat. Tabulatum vero superius mihi indicare videntur verba, v. 5. *et aedificavit* על *supra parietem circumquaque stratum.* Quae superiora tabulata vocantur עליות *superiora conclavia* 2 Chron. III: 9. et 1 Chron. XVIII: 11. Lateralia vero conclavia mox adjunguntur his verbis: *parietes domus circum, spatiosae*, scilicet *ejus*, *parti et adyto*, *et fecit costas circum:* h. e. circum parietes sancti et sancti sanctorum fecit lateralia tabulata, suis muris et

trabibus innixa, quae hic צלעות latera, costae recte vocantur: repeti autem debet, quod facillimum est, vocabulum יציע *tabulatum*. Haec autem lateralia tabulata, parieti domus non infixa, tres habuerunt contignationes diversae latitudinis: infima enim erat *trium*, media *sex*, et suprema *septem* cubitorum. Quae diversae latitudines locum habere potuerunt, quia interstitium aliquod fuit domui extrinsecus relictum, medium aliquod *vacuum* inter tabulata et parietes. Quod מגרעות adpellatur, seu *subtractiones*, et inde separationes a parietibus aedis; LXX recte verterunt [illegible] Radix proprie dicit *attrahere* ad se, et tractu *absorbere*; inde abstrahere et separare, vacuum facere. Sunt itaque loca vacua, separatim relicta, et quasi *absorpta*. 4. Domum, respectu externarum partium absolutam, obductam fuisse superne laquearibus et tabulis, ordine dispositis, quare *ordines* adpellantur, ex cedro, superiore etiam conclavi eodem ligno obtecto, traditur. v. 9 et 10. Ubi nihil habeo notandum.

§. XXVI. Hucusque cum in aedificando processisset Salomo, Deus ipsi, incertum quo modo, significavit, opus sibi placere, seque regnum ejus confirmaturum, ac domum hanc in medio Israelis inhabitaturum esse, modo leges suae, et praecepta, probe observarentur: v. 11—13. Haec enim revelatio hoc ipso tempore oportet ipsi contigerit, quia ratio alias dari nequit, quare hic locum accepit, eo autem spectavit, ut in opere coepto animose pergeret. Quod etiam strenue facere est adgressus, ut v. 14. expresse traditur. Exterioribus itaque partibus absolutis, ad interiores incrustandas ac ornandas perrexit, v. 15—35. Parietes et solum intus obduxit lignis cedrinis et abiegnis, *illos* scilicet, a fundo ad parietes superni tegminis cedrinis tabulis, *fundum* vero abiegnis, v. 15. Dein parietem intergerinum, quo sanctum distinguitur a sancto sanctorum, erexit, vel contabulavit v. 16. his verbis, quae, ut verti debent, recensebo et exponam: *et aedificavit viginti cubitos a lateribus domus*

tabulis

tabulis cedrinis, a fundo usque ad parietes (scilicet tabulati) *et aedificavit ipsi intus auditorium sanctum sanctorum.* Quorum sensus est, spatium 20 cubitorum fuisse a longitudine aedis separatum, et intus, ab uno latere ad aliud, tabulis cedrinis, ob imo ad tectum, obductum, et eo ipso sanctum sanctorum fuisse perfectum. Explicatur itaque parietis intergerini, inter sanctum et sanctum sanctorum, contabulatio interior, seu a parte sancti sanctorum. *Viginti* autem *cubiti* exprimunt spatium *longitudinis*, quod sanctum sanctorum fuit. Tota enim aedes fuit 60 cubitorum, et sanctum 40, ut mox v. 17. traditur. Hos 20 cubitos, quot habuit sanctum sanctorum v. 20., ubi Salomo dicitur *aedificasse*, sensus est, eum tot cubitos mensum, ibi aliquid aedificasse; quod quid sit mox exponitur, sed aedificavit a *lateribus domus* h. e. ab uno latere ad aliud per latitudinem domus, aedificavit vero *tabulis cedrinis*, quibus parietem intergerinum illum erexit, et quidem *a fundo* ad *parietes*, scilicet *tecti*, ut v. 15. additur, usque. Subjungitur denique, explicationis ergo, et *aedificavit illi* (domui, modo memoratae) *intus* (quod est מבית) *locum oraculi, sanctum sanctorum:* h. e. hoc pariete intergerino erecto, fecit illud spatium *locum oraculi*, et *sanctum sanctorum:* quae duo hac ratione distingui possunt, ut totum spatium 20 cubitorum sit sanctum sanctorum, sed דביר *locutorium* sit locus peculiaris, in quo *arca* erat posita: quod ex v. 19. firmatur. Quo memorato, sequitur v. 17. *et 20 cubitorum erat domus, hoc palatium* (היכל, ut modo habuimus, dictum) לפני *ante* scilicet *adytum*, ita ut ingredientibus Templum hoc primum occurreret, et coram sanctuario fuerit, quod facilius foret, si לפניו *ante illud*, legeretur, sicut *ante ipsum* vertit Chald. et *pro foribus oraculi* Vulg., mox quoque v. 20. לפני הדביר *ante oraculi locum.*

§. XXVII. Tabularum cedrinarum ornationem per colocynthidum et florum apertorum caelaturam, vel variegationem, cum v. 19. descripsisset historicus, specialem locum narrat fuisse designatum, ac paratum in ipso sancto sancto-

 rum,

rum, pro *arca* v. 19. quae in medio *domus*, *intrinsecus* h. e. partis interioris, seu sancti sanctorum, quae v. 27. adpellatur domus הפנימי, est locata; quando totius domus, a parte interiore, obductio auro, una cum altari, traditur, v. 20—22. Quae descriptio non a sancto, sicut videtur et putatur ex *altaris* mentione v. 20., incipit, sed a sancto sanctorum, quia 20 cubitorum longitudo ei tribuitur, et proxime de eo fuerat actum, et de reliqua aede v. 22. agitur. Adpellatur autem sanctum sanctorum לפני הדביר *coram locutorio*, quia hoc in ejus medio erat, ut modo vidimus, et undequaque ad illud respiciebat sanctum sanctorum, locus itaque in conspectu locutorii, alias coram Deo, supra arcam residente. Sed cum *altare* etiam mox addatur obductum auro, quod aliud esse nequit ac suffitus, in sancto positum, rectius statuitur, per *ante locutorium* intelligi parietem illum intergerinum, supra quoque v. 16. dictum 20 *cubitorum spatium*, quo hic in 20 cubitorum longitudine respicitur, adeoque eum parietem, omnium primo fuisse obductum auro סגור vel *clauso*, h. e. solido et optimo, vel probe excocto: cum radix etiam apud Arab. denotet, accenso igne clibanum effervescere fecit: uti Clodius in Lex. notavit. Quo admisso 1. recte subjungitur v. 21. totius sancti interni inauratio, 2. altare apte memoratur, quia parieti illi fuit adfixum; quare v. 22. altare לדביר, quod est לפני דביר *ante locutorium* adpellatur, 3. rectius quoque percipitur, quid sit v. 21. *obserare catenis aureis coram locutorio*, scilicet parietem intergerinum: *catenae* vero intelliguntur, quae vel valvis obstruendis inserviebant, ut Coccejus in Lex., vel velo, huic parieti adpenso; cujus mentio est 2 Chron. III: 14.

§. XXVIII. Denique, post duos Cherubinos, e ligno oleagino, auro obducto, in medio adyti, praeter illos ex arca exsurgentes, et a Mose confectos, postque januas utriusque sanctuarii, interioris et exterioris, quae aliquid habuerunt diversi, v. 23—35., atrium memoratur intimius, adeoque post omnium totius aedis partium exteriorum, et interio-

rum

rum descriptionem, v. 36. nulla exterioris atrii facta mentione, licet; aliud illud locum habuisse, vel ex ipso *interioris* epitheto patescat. Sed et 2 Chron. IV. praeter atrium sacerdotum memoratur aliud, quod *magnum* dicitur, 2 Reg. XXI ac XXIII. duorum fit mentio. Plura ignorat Script. S., nec habuit Templum Ezechielis. Prius vero, sicut 1 Reg. VI. *interius* adpellatur, ita 2 Chron. VII: 7. *atrium coram aede Jehovae.* Circa illud fuisse dicuntur *tres ordines caesi*, scilicet lapidis, et *unus ordo tabularum cedri*, ut videtur, murum fuisse tribus lapidibus crassum, sed uno tantum tabulato cedrino, non trino obductum. Lapides vero non erant vulgaris, sed magnae altitudinis, octo vel decem cubitorum, c. VII: 10.

§. XXIX. Inter ornamenta Templi cum emineant duae columnae aeneae ante vestibulum aedis, earumque descriptio 1 Reg. VII: 15— et alibi facta, ut 2 Reg. XXVII: 17. Jer. LII: 21. et 2 Chron. III: 16. IV: 12. haud una laboret difficultate, earum intellectum, ex mea opinione, non fuerit alienum dedisse, secundum ductum 1 Reg. VII. Altitudo et circumferentia columnarum duarum v. 15. illud habet dubium, num filum 12 cubitorum *unam*, an *utramque* cinxerit columnam? Prius, licet inmensam adferat crassitiem, verius videtur, cum *unius* tantum mentio fiat, et Jer. LII. id diserte adfirmetur. Singulae itaque columnae in circumferentia *duodecim* habuerunt cubitos, adeoque in diametro *quatuor.* Fuerunt autem, quod 1 Reg. reticetur, columnae perforatae, et sive *aes*, sive *foramen*, quod dubium est, fuit quatuor digitorum; ut ex Jer. LII. constat. Addit mox historicus duo *capitella* columnarum ex aere fuso, quinque cubitorum, v. 16. Adpellantur כתרת *coronae*, cincturae rotundae, seu orbiculares, quod praeterea definitur per vocem גלת additam v. 41. et 2 Chron. III. exprimit enim ea vox formam orbiculatam; ut notum est. Voces itaque גלת et כתרת non diversas res, sed unam eandemque designant, coronamentum scilicet, vel capitellum rotundum ac orbiculatum.

orbiculatum. Ceterum, ut id obiter observem, vox כתרת etiam restituenda est 2 Chron. III: 16. loco בדביר, quae vox ibi locum habere nequit, et crucem fixit interpretibus. Sequitur in descriptione opus *reticulatum quinque filorum* circa coronamentum v. 17. Duae adhibentur voces שבכים et גדילים, quarum *prior* signat reticulum plexum, opus etiam cancellatum inplexum, vel reticulatum; *posterior* vero fila inter se plexa; radix enim גדל dicit proprie inplicari multis filis, et sic densius intorqueri. Depingunt itaque duae hae voces junctae opus reticulatum, contortis filis densioribus interstinctum, et ita in varias quasi cameras divisum. Unde elucescit, quo sensu singulis columnis tribuantur *septem* reticula, respectu nimirum septem partium, vel intervallorum, totidem filis distinctorum.

§. XXX. Subjungitur reticuli ornamentum, in duplice serie *malogranatorum* situm, v. 18. qui versus crucem fixit omnibus, et perversas quoque de capitello peperit opiniones, quod non fuerit observatum, vocem הרמנים *malogranata* loco esse motam, et cum voce טורים *ordinibus* omnino cohaerere. Sensus est, *duos* factos fuisse *ordines malogranatorum super reticulo uno, ad tegendum coronamentum, quod est super capite columnarum.* Legi enim debet העמודים loco הרמנים, quae posterior vox ad priorem versus partem, seu vocem טורים pertinet, et hic male irrepsit, unde omnis difficultas, et confusio fuit orta. Firmatur autem nostra opinio 1. quod in hac pericopa et alibi *capitellum* constanter dicatur *super capite columnarum.* 2. Vox טורים *ordines*, nisi רמנים *malogranata* addas, nihil habeat, quocum construatur. 3. *Ordines*, et v. 20 et 42. manifeste cum רמונים *malogranatis* conjungantur; qui versus 42*dus* cum nostro comparatus, rem videtur extra dubium collocare Conf. etiam Jer. LII. Pergitur denique ad aliud capitelli ornamentum, opus nimirum *liliatum* in anteriore ejus parte, v. 19. *Et capitella quae super capite columnarum, opus lilii erant in vestibulo quatuor cubitorum.* Quorum verborum,

quae

quae omnibus visa sunt nimis obscura, sensus huc redire videtur, capitella columnarum, praeter reticulum filis distinctum, quo singula cingebantur, habuisse in anteriore parte sua prominentiam quandam ad modum vestibuli, ex opere liliato factam, et quatuor cubitos introrsum extensam. Quem sensum voces sponte sua exhibent. Vox enim אולם signat partem anteriorem, et in Templo *vestibulum*, ut supra notavi. Quale aliquod vestibulum superne formavit prominentia columnae, instar operis *lilii* effecta, et quatuor cubitos protensa.

§. XXXI. Memorat postremo historia malogranatorum ordines in ipso capitello, a superioribus, qui super reticulo erant, distinctos, v. 20. *Et capitella super duabus columnis, etiam superne juxta ventrem, qui est cis reticulum* (vel e regione ejus) *etiam malogranata ducenta*, (scilicet habebant) *ordinibus circum super coronamento secundo*, scilicet uno et altero: quod enim de *secundo* dicitur, ad *primum* etiam pertinet, ut est v. 15. Sensus est, reticulum non tantum malis punicis fuisse exornatum, uti v. 18. erat dictum, sed ipsum quoque capitellum in parte sua superiore et media, hic *ventre* dicta, e regione reticuli, quod ad ventrem videtur pertigisse. Habebat autem capitellum, istis in partibus, 200 mala punica, variis ordinibus illud ambientia. Aliorum cogitationes mitto.

§. XXXII. Hae columnae coram vestibulo aedis fuerunt positae, et singularibus nominibus, una *Jachin*, altera *Boaz*, insignitae v. 21. Quorum significatio clarior est, quam ratio, quare columnis fuerint insculpta. Prius enim יכין *Jachin* significat *firmabit*, et posterius בעז *Boaz*, *in ipso robur*. Quae juncta duplicem exhibent sententiam, unam, *firmabit is, in quo robur est*, h. e. *Jehova firmabit*, quod uno nomine יהויכין *Jojachin* exprimitur, alteram, *firmabit eum, cujus est in ipso*, scilicet Jehova, *robur* h. e. qui pius est, et ipsi fidens, eum firmabit Jehova, cui haec domus est dicata. Utraque sententia conjuncta, statui potest, Salomo-

nem hac inscriptione significatum, et inculcatum, voluisse, Templi, Regni, et populi firmum et durabilem statum, unice a Deo, et pia in eum fiducia pendere: cui illud, Ps. LXXXIV: 6. convenit, *beatum hominem! cujus robur in Te est*, nec non Ps. LXII: 12. *semel locutus est Deus, bis audivi hoc; robur esse in Deo.* Quod, sive monitum, sive votum, quanti sit pretii, quamque egregie huc quadret, sponte in oculos occurrit. Cujus doctrinae moralis partim, partim ornatus ergo, videntur hae columnae erectae; nec aliam habuisse ad Templum relationem: utique eas cum aede ipsa fuisse connexas, aut aliquid ei adtulisse utilitatis, non constat, nec aliquid ex 2 Chron. III: 16. loco nimis conciso et obscuro, exsculpi potest: de quo plura non dicam.

§. XXXIII. Inter instrumenta Templi, quae recensentur c. VII: 23— excellunt duo, mare aeneum, et minora lavacra, seu labra, quae fusius describuntur: sed quae moras non injicient, cum praeter critica nonnulla observata, quae hujus non sunt loci, nihil habeam ad eorum illustrationem. Tantum uno, ut dicitur, verbo observo, cum *maris aenei*, sic ab amplitudine et materia, unde lavacrum illud majus conflatum fuit, adpellati, figura, sub limbo, seu labro 1 Reg. VII: 24. dicitur fuisse פקעים *colochyntides*, sed 2 Chron. IV: 3. דמות בקרים *similitudinem boum*; conciliationem illorum locorum repeti posse a generaliore significatu alterutrius vocis; cum utraque, vi originis, denotet *effossiones* eruptiones, vel protuberationes. Reliqua lavacra minora, seu labra, numero decem fuerunt, non sicut majus illud, *duodecim* bobus, sed *basibus*, quae ad modum curruum *rotis* erant inpositae, et mirifice ornatae, infixa, et fuse descripta sunt 1 Reg. VII: 27— Bases, ut illud unum observem, constructae fuerunt ex *clausuris* et *incisuris* v. 28. quarum illae videntur fuisse *tabulae*, quae basin undique claudebant, hae vero, seu caesurae, asseres, crenatim juncti tabulis, שלבים dicti a *crenis* et incisuris; quae rad. שלב potestas est, de asseribus usurpatur Ex. XXVI: 17. XXXVI: 22.

Super

Super trabibus, quae supra et infra firmabant tabulas, erat *theca* כן dicta superne, cui labrum infigebatur, et infra limbus coronae, operis declivis. Quae coronae vocantur לוית a לוה proprie *implicari*, ac illigari multis spiris ac flexibus, unde לוית opus plectile corollarum et corona: quae coronae dicuntur opus מורד, quia declives erant, et infra descendebant. Reliqua mitto, aliunde facile petenda.

§. XXXIV. Dictis de Templo, ejusque ornamentis et instrumentis, subjungo, quod singulare quoque fuit, aedem fuisse lapide integro, sicut avulsus et excisus erat, absque ut dolatus fuerit, aut caesus, constructam, adeo ut instrumento ferreo non fuerit opus, nec ejus strepitus auditus; 1 Reg. VI: 7. ubi lapis adpellatur שלמה מסע *integer avulsus*, non politus et dolatus: qualis diserte שלמה vocatur, Deut. XXVII: 5. lapis *integer*, cui nihil demitur, simul pacificus, qui nihil a securi passus est. Altera vox, a נסע *vulsit*, unde *discedendi*, tentorio vel palo ejus *revulso*, usus fluxit, denotat lapidem *revulsum*. Fuit autem in eo signum domus *pacis*, et tempore *pacis* constructae: quo epitheton שלמה quoque ducit.

§. XXXV. *Secundum* Salomonis aedificium fuit *palatium* ejus, late sumtum pro universa aula, varias complexa domus: cui operi 13 inpendit annos. Quae narratio, parentheseos instar, aedificatione Templi abrupta, occurrit c. VII: 1—12. Adpellatur quidem *domus* Salomonis, sed late sumta pro universo palatio, ex variis partibus, totidem domibus, constante, uti sequentes evincunt rationes. *a*. Nimis longum est spatium temporis, quam ut uni aedi censeri possit insumtum, maxime cum Templum 7 annis fuerit aedificatum. *b*. Variae mox recensentur partes, totidem domus distinctae, ab ipso aedificatae; quae simul sumtae, totam Salomonis *domum*, v. 1. memoratam, constituant, necesse est, cum, quod sequens narratio sit vers. 1*mi* explicatio, tum, de Salomonis aede nihil ceteroquin fuisset dictum. *c*. Vers. 8. domus a *Salomone ipso inhabitata* ubi adpellatur, restrictio illa

illa addita, domum, et *totam* domum Salomonis, vers. 1. latius patere, evincit. Accedit, *d.* totum aedificium, uno ambitu, *atrio magno* adpellato v. 12. tres illas domos complexum, fuisse comprehensum, adeo ut pro *uno* haberi potuerit palatio. Ceterum partes illae majores, totidem aedes, memorantur *tres* 1. domus *saltus Libani*, una cum vestibulo, pro judiciali tribunali, 2. domus inhabitationis Regis 3. domus filiae Pharaonis, unicae primum, dein primariae uxoris Salomonis vers. 8. Domus vero *saltus Libani*, ut id obiter observem, fuit refrigerii et voluptatis aedes, ex ligno *cedrino* tota confecta, et omnigenis arboribus ornata, ita ut *sylvae Libani* non fuerit absimilis. Sita fuit non in ipso monte Libani, sed clivo Tsionis *Ophel* dicto, juxta angulum muri urbis Orientalem ac Australem, ut ex Neh. III: 19. patet. Ex quo simul elucescit, universum hoc aedificium fuisse Templo proximum. Quae contiguitas aedificiorum, ut id addam, forte in causa fuit, quare, memorata Templi aedificatione, mox reliquum aedificium Salomonis, tanquam ei vicinum, et instar adpendicis Templi, fuerit adjunctum, per modum parenthesios, antequam ad instrumenta Templi enarranda perrexerit Historicus. Addi potest, eodem forte tempore palatii aedificationem, ac instrumentorum Templi parationem, processisse. Dicitur quidem c. VI: 38. Templum absolutum *secundum omnes res et judicia sua*, sed illud de *partibus* et *mensuris* capi debet, nam vasa et alia instrumenta כלים adpellari solent. Utique alia ratio tam longae parenthesios, et historiae Templi fili abrupti, non patet. Habere autem pericopam illam conspectum parenthesios, manifestum est: cum reliqua instrumenta Templi, de quibus mox agitur, ad Templum pertineant.

§. XXXVI. Templo, cum omnibus ejus partibus constructo, palatio quoque late sumto absoluto, omnibusque instrumentis Templi confectis, adeoque spatio 20 annorum finito, septem enim annos Templo, et 13 palatio ac instrumentis

mentis Templi inpendit, Templum ſolenniter eſt per preces, ſacrificia, ac convivia dedicatum; uti cap. VIII. adcurate narratur. Communis quidem fert opinio, dedicatum fuiſſe Templum anno *7mo*, vel *8vo*, ex quo fundamenta jacta ſunt, adeoque mox poſt Templum abſolutum; ſed rectius, quod Vignolius quoque advertit, et demonſtravit Chron. S. t. I. adligatur anno aedificationis Salomonis *20mo*, poſt palatium quoque ejus exſtructum, ſicut antiqua habet Judaeorum traditio, apud LXX Interpr. c. VIII: 1. et in Chronico Judaeorum conſervata. Duae in primis rationes ſunt, quae me ad eam adoptandam moverunt: quarum *unam* ſuppeditat ſeries hiſtoriae, quae Templo abſoluto mox palatii Salomonis aedificationem, 13 annis perfectam, ſubjungit, dein ornamenta ac inſtrumenta Templi enarrat; quando ad Templi dedicationem demum pergit. Ex quo ordine narrationis colligendum videtur, *dedicationem* non, niſi omnibus illis operibus perfectis, fuiſſe factam. Cui omnium illorum conjunctio c. IX: 1, 10. robur addit. Alteram rationem praebet *dedicationis*, quae *preces* Salomonis quoque complectitur, et *adparitionis* Dei, altera vice Salomoni factae, conjunctio; cum *haec* 13 annis, poſt Templum abſolutum facta ſit: c. IX: 1. Coll. VII: 1. Nec duo illi caſus a ſe invicem longo intervallo dirimi poſſunt, *cum* quod Deus preces eas, tempore dedicationis fuſas, a ſe exauditas eſſe teſtetur, *tum* ad aedem eam initiatam, ac a Deo adoptatam, clare reſpiciatur cap. IX.

§. XXXVII. Ipſa *dedicatio*, noſtra digna animadverſione, per partes hoc ordine proceſſit. 1. *Arca* ſolenniter in Templum eſt tranſlata, et divino ſigno mox honorata ac adprobata eſt tranſlatio: verſ. 2—13. Statim ac pedes ex intimo ſanctuario, ubi arcam repoſuerant, retuliſſent ſacerdotes, ſymbolum praeſentiae Dei in *nube* ſupra arcam adparuit, ſeſeque per *ſanctum*, adeoque totam aedem, porrexit et tenebris replevit, ita ut ſacerdotes officio in aede fungi non potuerint. Unde Salomo mox collegit, domum a Deo

esse in stabilem sedem occupatam, et in haec verba erupit, *Deus dixit se caliginem inhabitaturum* h. e. promisit, se in nube fore praesentem, et ipso facto hoc saepe demonstravit. Dein oratione ad Deum, in hoc symbolo praesentem, versa, animum suum in aede construenda, ut sit Dei habitaculum, coram Deo testificatus est, fidemque suam de perpetuitate hujus sedis gratus declarat, simul, ut sit, orat vovetque, dicens: *aedificavi omnino domum habitaculum Tibi* (hoc meum fuit propositum, hic scopus,) *firma sedes habitationis tuae in secula*, scilicet sit, eritque. Ceterum, ut id obiter observem, cum *vectes* arcae longe protensi dicantur, ut extremitates videri potuerint *e sancto coram locutorio*, *sed non extrinsecus:* c. VIII: 8. sensus est, extremitates eorum, licet tectorum alis Cherubinorum, ut est v. 7. sese extra alas protendisse, ita ut in illa parte sanctuarii intimi, quae *coram adyto* solet adpellari, conspici potuerint, scilicet ab iis, qui erant in sancto sanctorum, extra vero illud non adparuerint. Vox הקדש hic intimum signat sanctuarium, ut ex v. 6. et 2 Chron. V: 9. patet. Phrasis, *coram locutorio*, locum denotat a locutorio usque ad parietem intergerinum: ubi extremitates visae fuerunt *nudae* ab ingrediente sanctuarium. 2. Signo praesentiae Dei erectus sese ad populum vertit, vultu ab aede, nube jam repleta, ad coetum in atrio congregatum, converso, ipsique, Deo benedicendo seu grates agendo, hoc beneficium gratulatus est: vers. 14—21. In sermone vero laudatorio ac gratulatorio, quod recte adverti velim, duplex memorat Dei *oraculum*, *alterum* de Davide v. 15, 16. (loquitur enim in tertia de ipso persona,) quod ad oraculum, Nathani revelatum 2 Sam. VII. respicit, et hic summatim exhibetur, *alterum* ad ipsum Davidem recta delatum, v. 18. (utitur enim nunc *secunda* persona) non eo, quo prius, sed sequente tempore, incertum quando: quod cum 1 Chron. XXII: 8. et XXVIII: 6. conferendum est.

§. XXXVIII. Hinc facie rursus versus Templum flexa, domum

domum solennibus precibus initiat, quas, *flexis genibus*, v. 54., et *manibus expansis*, super rotundo vase, vel *basi*, כיור 2 Chron. VI: 13. summa cum devotione coram toto populo fudit: quibus orat, ut Deus promissa, Davidi facta, praestet in posterum, sicut ex parte, quod gratus celebrat, jam fecerat, in specie respectu perpetuae habitationis in hac aede, et preces populi in ea, vel versus eam, factas exaudiat, variis enumeratis casibus, in quibus id fieri supplicat: vers. 12—53. Primus casus, qui solus quid obscuri habet, nec recte intelligi solet, verbo est illustrandus, verba exhibendo et explicando, v. 31. *si quis peccaverit quid in proximum suum*, ut est 2 Chron. VI: 22. (non qualecunque, sed grave et enorme peccatum, uti est 1 Sam. II: 25.) *et protulerit in ipsum inprecationem ad inprecandum*, (scilicet laesus in laedentem, qui peccavit, pronunciaverit dirum carmen, quale lex ipsa pronunciat Deut. XXVII. Verbum להאלתו hic est adjurare, juramento execrationis subjicere aliquem, dicendo *maledictus sit* etc. 1 Sam. XIV: 24.) *et venerit inprecatio coram altari tuo* (scilicet per preces eo delata, et ibi Deo, justo judici ac vindici scelerum, commissa.) Agitur de crimine atrociore, ab humano tribunali, quacunque de causa, non vindicato, quo laesus ad divinam compellitur confugere vindictam, quam per inprecationes laedenti denunciat, dein per preces, ad aram factas, Deo notificat. Quales inprecationes, nomine אלה proprie insignitas, fuisse usitatas inter Israelitas, satis constat. 4. Precibus finitis redit ad populo benedicendum, vultu ad eum verso: v. 54—61. Quo in sermone Deo ob praestita promissa benedicit, et vovet, ut Deus adsit populo, hicque in viis Dei ambulet. Cum vero Deum v. 56. laudet, quod populo *quietem* dederit, et eo promissum, per Mosen datum, fuisse inpletum adserat, in oculis habuit, quod notandum est, Deut. XII: 9. ubi Templi erectio cum hac *quiete* connectitur, et utrumque promittitur.

§. XXXIX. 5. Hac oratione absoluta, Templum fuit per

 sacrificia,

sacrificia, inmenso numero oblata, initiatum, v. 62—64. In eo enim proprie fuit sita dedicatio, quod usus Templi, cui erat destinatum, solenniter inceperit, in sacrificiis quippe situs, quae ab eo tempore facta sunt continua: quare Templum domus זבח mactationis, seu sacrificiorum adpellatur 2 Chron. VII: 12., et altaris dedicatio ib. v. 9. Nec defuit publicum adprobationis Dei signum, ignis scilicet, post preces Salomonis divinitus in sacrificia lapsi, sicut olim tempore dedicationis Tabernaculi Lev. IX: 24. Cujus mentio, in lib. Reg. omissa, expresse facta est in loco parallelo Chron. Sed 6. secuta est dedicationem alia solennitas, *festi Tabernaculorum*, per *septem* quoque dies, quando populus die festi 8*vo* dimissus est; v. 65, 66. ubi haud parum turbant ultimae voces v. 65. *septem dies et septem dies, quatuordecim dies.* Unde, si series sermonis sit servanda, festum dedicationis non 7, sed 14 dies durasse, colligendum foret; quod abhorret, nec cum 2 Chron. VII: 9. conciliari potest, quippe quo loco 7 dies festo Tabernaculorum, et totidem *dedicationi* dantur; repugnat quoque v. 66. libri Reg. ubi populus die *octavo*, utique festi Tabernaculorum, legitur dimissus. Nihil rectius mihi occurrit, quam ut vel voces, *septem dies* et 14 *dies*, tanquam ex margine in textum intrusae, expungantur, sicut multi cod. Gr. quoque non habent, vel potius vox חנוכה *initiatio* ex loco parallelo addatur, acsi legeretur *et fecit Salomo festum* [illegible] *septem dies, et septem dies dedicationem, quatuordecim dies.* Ceterum, ut illud obiter observem, Joseph. Ant. VIII: 4. numerum sacrificiorum minuisse, et dierum festorum auxisse, male putatur, cum locus cubet in mendo, vocula δὶς loco mota, legi enim debet non μυριάδας, sed δισμυρίους καὶ δισχιλίους vitulos *bis decies mille, et bis mille*, in universum 22 mille, uti historia sacra habet; quae ipsa vocula δὶς vitio librarii posita est ante ἑπτὰ, ubi festum tabernaculorum dicit celebratum fuisse δὶς ἑπτὰ ἡμέρας. *bis septem dies*, leg. enim ἑπτὰ *septem*.

§. XI.

§. XL. Omnibus hac ratione peractis, nova contigit Salomoni visio nocturna c. IX: 1—9. narrata, qua Deus domum sibi placere, precesque regis gratas esse declarat, addens, se promissa sua praestiturum, modo conditiones foederis recte observentur, alias domum cum populo a se deserendam, et desolationi tradendam esse, ita ut domus עליון *excelsa*, futura sit לעיין *in acervum ruderum* v. 8. quae vox eadem ac עיים Jer. XXVI: 18. et Mich. III: 12. per לעיין est absorpta, Conf. 2 Chron. VII: 21. et ita vertit Chald. Cum autem in praefatione Salomo in genere dicatur, *omnia jam perfecisse, quicquid facere desiderabat*, illud ad Templum et domum regiam restringendum esse, ex loco parallelo Chron. manifestum est: alia quoque opera postea fecit, ut narrare adgredior. Praeterquam quod Hierosolymam *muris* muniverit, ac in specie *Millo* aedificaverit 1 Reg. IX: 15, 24. sive Millo fuerit ipsa *civitas* Davidis, sive potius *pars* ejus aliqua, uti ex 2 Sam. V: 9. 2 Chron. XI: 8. XXXII: 5. colligi posse videtur, ita dicta, quod magnatum palatia ibi fuerint, et locus *conventus* eorum, quem usum vox Hebr. subinde habet, uti Jud. IX: 6. sicut ibi notavi: sequentes urbes, sive in Cananaea, sive extra eam, ab eo aedificatae, vel ornatae, recensentur 1 Reg. IX: 16. et 2 Chron. VIII. 1. *Chatzor* in termino septentrionali Cananaeae, ad lacum Semochonitidem, de qua ad Jos. XI: 1. dixi. 2. *Megiddo* in tribu Manassis, et valle Jetzraele, versus occasum Jos. XVII: 11, 16. Jud. I: 27. 3. *Gazer*, urbs limitanea Ephraimitarum ad austrum Jos. XVI: 3. Jud. I: 29. quae urbs a Pharaone, Cananaeis erepta, dotis loco cum filia fuit Salomoni data; ut supra narravi. 4. *Beth-choron*, *inferior* non tantum, sed et *superior* 2 Chron. VIII., utraque in tribu Ephraim, altera septentrionalis, altera australis, a situ forte sublimiore vel humiliore superior et inferior dicta: haec vero in limite australi Ephraimi, ac septentrionali Benjaminis Jos. XVI: 3. XVIII: 13. a Gezer non adeo remota, sed orientalior, nam limes ducitur Bethchorone Gezerem,

et inde ad mare. 5. *Bakalata* haud procul a Gazere, teste Josepho, et in tribu Danis Jos: XIX: 44. Denique 6. *Tadmor* תדמור 2 Chron. vel secundum textualem lectionem 1 Reg. תמר *Tamor*: quae eadem sunt nomina, littera ת enim, emphaticos indice, adjecta, fit תתמר, et inde תדמור. Nomen tulit a *palmis*, erat enim regio *palmifera*, quare Gr. *Παλμυρα* Palmyra adpellatur. Schult. Ind. Geogr. ad Saladin. Situm adcurate descripsit Jos. Ant. VIII: 6. Distabat a superiore Syria *duos* dies, et ab Euphrate unum; erat autem in *deserto* arenoso, sed hac parte tantum fertili. In libro Reg. fuisse dicitur in *deserto*, sed additur בארץ *in terra*: quod quid sibi velit, difficile est explicitu. Fuit utique in Aram Tsoba, inter Euphratem et Syriam Damascenam: quod ex 2 Chron. VIII: 3. confirmatur, ubi Salomo dicitur Chamat-Tsoba cepisse, firmasse, et ibi hanc condidisse urbem. Chamat-tsoba autem eadem est, ac *Aram-tsoba* cujus mentio fit 2 Sam. VIII. Censuerim itaque ex compendiosa scriptura, cujus et alia ad manus sunt exempla, אר' צ' pro ארם צבה ortam esse ארצ. Mentio sane terrae abesse non poterat, nec ארץ *terra* ullum admittit sensum tolerabilem. Tandem 7 adduntur urbes thesaurariae, ac stabulariae equorum et curruum, aliaque opera: quod tetigisse sufficerit.

§. XLI. Regis, regnique qualitatibus, nec non operibus a Salomone exstructis, enarratis, subjungit Historia cap. X. nonnulla specimina celebritatis, splendoris ac opulentiae regis et regni: quae strictim recensebo, postquam generale praemisero testimonium 1 Reg. V: 14. his verbis expressum: *et venerunt ex omnibus populis ad audiendam sapientiam*, (seu auribus animisque hauriendam, et excipiendam) *ab omnibus terrae regibus, qui audiverunt sapientiam Salomonis*, h. e. vel de ea audiverunt, famamque ejus intellexerunt, uti est c. VIII: 42. quod c. X: 1. dicitur, *audire famam Salomonis*, vel vere, cum adcesserunt, intellexerunt, voto-

rum

rum compotes facti. 1. *Primum* est, quod Regina Sabaeorum, opulentia et sapientia prae reliquis celebris ac superba, luculenta ceperit et splendoris et sapientiae Salomonis experimenta, eumque magnifico, in honorem Jehovae, ornaverit encomio, denique multis muneribus eum honoraverit, et ab eo ditata discesserit. *Sabaeos* esse Arabiae Felicis populos, qui sinus Arabici fauces tenuerunt ad austrum remotissimas, quorum erat metropolis *Saba*, jam demonstravit Bochart. in Phal. l. II: c. 26. et Schultens in *oratione* Academica de Regina Sabaeorum. Nomen traxerunt a *Scheba*, filio Joktanis, progenitore suo Gen. X. Regina ubi audivisse dicitur *auditionem*, vel famam, Salomonis לשם יהוה *ad nomen Jehovae*, indicatur, famam illam fuisse, et spectasse ad *gloriam*, (hunc enim significatum hic, ut alibi, habet vox שם *nomen*) *Jehovae*, Dei Israelis, cui Salomonis sapientia ferebatur accepta, et de cujus suprema Majestate testabatur. Quod ipsum Reginam excitavit, ad utrumque experimentum capiendum, quia sapientia et prosperitas Salomonis tanquam signum supremae Divinitatis *Jehovae*, Dei Israelis, divulgabatur. Licet enim Sabaei essent Solis, Lunae et Astrorum cultores devoti, aliorum tamen populorum Deos tutelares non spernebant: singulis enim suos esse Deos tutelares, alios aliis majores, sub unius Dei supremi auspiciis, veterum gentilium fuit satis vulgata opinio.

§. XLII. Cum vero omnia sua quaesita, in primis aenigmatica, quae verbi דבר potestas est, hic etiam admittenda, ut ex v. 1. patet, vidisset soluta, simul opera Regis, totiusque regni ac aulae dispositionem, tanquam *summae sapientiae* (id enim phrasis v. 4. *omnis sapientia* denotat,) oculis adtente lustrasset, ei *spiritum* רוח *non superfuisse amplius* traditur v. 5. quo admiratio, et stupor, quasi ecstaticus, non solum exprimitur, sed et *altioris*, quem gerebat, spiritus demissio, ita ut se, cum Rege instituta comparatione, parvi, vel nihili, fecerit, omnesque spiritus altos deposuerit. Quo sensu vox etiam alibi sumitur, ex. gr.

 Prov.

Prov. XVI: 18. et Job XV: 13. Quod eo aptius huc quadrat, quia Sabae incolae, teste Geographo Nubiense clim. II., *fastu, jactantia, et superbia reliquos populos superabant.* Quid? quod haec ipsa elatio animi reginam ad Salomonem tentandum inpulisse videatur. Confessa inter alia est, Salomonem *famae addidisse sapientiam*, vel fama majorem praestitisse ומטוב *etiam valde.* Vox enim ea, quod observo, sumenda est adverbialiter, et rem amplificat, ut Lat. *valde*, uti Mich. I: 12. *adtrita est* לטוב *valde* vehementer, sic et היטיב Ps. XXXVI: 4. Hos: X: 1. et Mich. VII: 3: Ceterum, cum regina submissum induerit animum, tribules et aulicos regis declaraverit felices, qui sapientia ejus continuo frui possint, denique *Jehovae* benedixerit; ejusque amorem erga Israelem, tanquam perpetui status populi fontem et causam, celebraverit, eam de *Jehova* praeclare cogitasse, ejusque Numen veneratam fuisse, sibique in posterum colendum adoptasse, colligi posse videtur. De quo in sermonibus ad Matth. XII., qui Belgice prostant, plura dixi.

§. XLIII. Reliquis speciminibus magnificentiae et opulentiae Regis, missis, ne nimias traham moras, qualia fuerunt *scuta* (scilicet cum cuspide *acuto* in medio, ad pungendum quoque. Vox צנה enim *acutum* signat) ducenta, et *clypei* (scilicet *protegentes* tantum מגנים a גנן *protegere*) trecenti, ex auro שחוט proprie *jugulato*, sed stilo orientis, *mixto*, et alio metallo *temperato*, (verba enim *occidere*, *jugulare* et similia, in mixtura liquoris ac metalli, adhiberi solent) non in usum belli, sed ad pompam et magnificentiam; praeterea vasa *potatoria* et *aquaria* ex solido auro, *curruum* et *equorum* multitudo ingens, et alia: *duo* insignia specimina paucis exponam. *Unum* est fulcrum מסעד, domui Jehovae et suae ex ligno *Almugim:* 1 Reg. X: 12. Cujus generis fuerit illud lignum, de quo variae prostant eruditorum opiniones, vix definiri potest. Vocis si habeatur ratio, de arbore oleosa ac pingui, unde sponte fluit succus,

ficcus, cogitandum est. Radices enim, ex quibus vox אלמגים conflata esse videtur, sunt obsoletae מגן *salvavit*, et נגם *sponte fluxit*, et אל est articulus orientalium. Pro *fulcro* autem in loco parallelo 2 Chron. IX. occurrit vox מסלות *viae aggeratae*, et *stratae*, quae nos ad עליתו, vel ut 2 Chron. עלתו, *adscensum ad domum Jehovae*, vers. 5. ducit. Unde patet, *fulcra* intelligi viarum, seu *adscensus* ad utramque illam domum.

§. XLIV. *Alterum* specimen est *thronus* regiae Majestatis, plane singularis, et plusquam regalis, qualis in nullo tunc visus est regno: versi 18—20. Fuit autem *eburneus*, auro *interstinctus*; dicitur quidem *obductus*, sed sparsim et per intervalla, non limbis aureis obductus; erat enim ebur pretiosius, quam ut totum auro sit tegendum, et tunc *aureus* potius quam *eburneus* fuisset adpellatus: verbum Hebr. פזז significat proprie *superficiem* adparentem, et quodam nitore oculos ferientem, sicut ubi aliquid *aquis* supernatat, aut imminet. Habuit vero *sex* gradus, et *capitellum* in posteriore parte *rotundum*: Id enim voces, et *caput rotundum throno a post ipsum* denotant, non itaque totum, sed a parte posteriore, ad *semi-circuli* figuram, rotundum. In loco parallelo 2 Chron. IX. 18. voce כבש exprimitur, sed quae ibi non *suppedaneum*, ut putatur, verum *caput prominens obductum*, significat: uti ex lingua Arab. colligi potest. Praeterea *fulcra*, hic *manus* dicta, sedi ab utroque latere adnexa erant, ad sedentem muniendum, manusque ac brachia sustentandum. Fulcris adsistebant *duo* leones, utrinque *unus*, et gradibus 12 leones, ab utroque latere *sex*. Thronum tam singularem et splendidum aliquid symbolici habuisse, non est improbabile, maxime cum 12 leones ad 12 tribus Israelis, quae regnum constituebant, nos ducant: cum vero ad Majestatem regis pertineat, sedesque sit legum et judiciorum, regni qualitates expingi, recte statuitur. Ebur, auro interstinctum, cum rotundo capitello, sicut ad coelum candidum, et luminaribus rutilantibus interstinctum, respicit, ita

cum

cum coelo arcte conjunctum regnum expingere potuit, tum quod rex supremus esset Jehova, tum qualitates coelestes, in veritate, justitia, pace, et omnium rerum copia in hoc regno fuerint conspicuae. Denique in leonibus recubantibus respicitur ad vaticinium Jacobi Gen. XLIX. ubi Juda cum leone recubante comparatur: erant itaque monumenta heroicae virtutis tribuum, ac virorum fortium, quibus regni tranquillitas erat accepta ferenda. Reliqua mitto.

§. XLV. Felici huic Salomonis, ejusque regni, periodo, hucusque enarratae ac illustratae, successit, circa finem ejus longe tristissima, et turbulenta, in miserabili Regis aliquali defectione a Jehova ad idololatriam, in gratiam uxorum vel concubinarum gentilium, indeque orta, regni scissione, et perturbatione. Quae historia, in lib. Chron. penitus omissa, distincte 2 Reg. XI. traditur. Lapsus regis fuit duplex, alter altero gravior, et ex eo ortus. Prior est uxorum, alienigenarum et vetitarum, multiplicatio, et amor regis erga eas nimius, v. 1—3. Interdictum quidem Regi Israelis erat Deut. XVII: 17. *uxores* adsciscere *multas*, sed de eo dispensari poterat, sicut et de *equorum* ac *opum* copia fuit in Salomone factum, Deo ipso *opes* ipsi pollicito. Sed in eo peccavit, quod alienigenas, a Jehovae cultu plane alienas, filiae Pharaonis, in principio jam ductae, et Jehovam reverenti, in quo non fuit reprehensus, adsociaverit, praeterea tales ex vicinis gentibus, quas Deus expresse prohibuerat, Ex. XXXIV: 16 et Deut. VII: 3 denique, quod eas tantopere *dilexerit*, ut se ab iis abstrahi a Jehova passus sit: uti diserte additur, ad rationem gravioris lapsus reddendam. Qui in eo fuit situs, quod in earum gratiam admiserit non tantum idololatriae exercitium in regno suo, sed et ipse aliquatenus exercuerit, absque ut tamen cultui Jehovae renunciaverit, aut ipse animo fuerit idolis addictus. Utique ipse non solum *fana* exstruxit mulieribus suis, quae *adolebant* et *sacrificabant* Diis *suis*, v. 8. sed et *cor* ejus *inclinatum* fuisse dicitur ad Deos alienos, imo *ivisse post eos*,

et

et cor ejus a Jehova desciviſſe, denique, illud *feciſſe*, quod Deus in duplice viſione expreſſe vetuerat: quid? quod *adoraſſe* tradatur idola, v. 33. in plur. quidem, ſed *rege* incluſo, ut ex fin. verſ. patet. Attamen, quod modo tetigi, nec Jehovae cultum omiſit, nec ex animo in idola religioſo id fecit. *Prius* ex ſilentio hiſtoriae non tantum, ſed et ex eo elucescit, quod extra *Hieroſolymam* exſtruxerit *fana*: v. 7. praeterea cor ejus tantum dicatur non ita *integrum*, ſicut Davidis, v. 4. *Poſterius*, praeterquam quod de tali rege, niſi plane deliraverit, id praeſumendum non ſit, ex eo firmatur, quod *amori* mulierum totum illud tribuatur, non proprio itaque animo, ſed *amori* tantum erga eas litavit, ubi cultui ſeſe adjunxit idololatrico, animo ergo Jehovae, ejusque cultui, manente adfixo. Quod itaque *cor* ejus dicitur *poſt idola* inclinatum fuiſſe, illud non de intimo ſenſu et adfectu, ſed de *judicio* et *propoſito* capiendum eſt, quo ad externum illum cultum ſe paſſus eſt abſtrahi, vel de adfectu erga mulieres, qui eum poſt idola traxit. Quod vero cor ejus *a cum Jehova declinaſſe* traditur, illud reſtricte, et relate ad ſolius Jehovae cultum, et legum omnium obſervantiam, intelligi poteſt. Graviſſimum fuiſſe hoc peccatum, ſicut per ſe liquet, ita in Salomone adhuc gravius, multa oſtendunt. Erat enim ſummis a Deo cumulatus beneficiis, praeclara et ipſe hucusque dederat pietatis et virtutis ſpecimina, per totam quoque vitam, usque ad finem fere, religionem veram tuitus. Etſi enim *cor* ejus jam ante nimium fuerit ad alienigenas mulieres inclinatum, ut v. 3. indicatur, ad idola tamen non niſi *ſenex* admodum ſe abduci paſſus eſt: uti v. 4. expreſſe dicitur. Accedit, tanti Regis exemplum populo valde fuiſſe noxium, ut mox dicam. Ceterum, ex hac ejus inclinatione ad ſuperſtitionem, probabilis forte peti poterit ratio traditionis, quam Joſ. Ant. VIII: 2, memorat, de excantationibus et adjurationibus, quibus expelluntur daemones per radices aliquas, naribus daemoniaci admotas, a Salomone inventis, et adhibitis. Ad-

 dit,

dit, eam artem daemones expellendi, suo adhuc tempore, apud Judaeos in usu fuisse.

§. XLVI. Consequentia lapsus memorantur sequentia. 1. Primum fuit increpatio et denunciatio poenae, divinitus facta, sive in visione nocturna, uti antea, sive per prophetam aliquem; quod, historia silente, incertum manet. *Poena* vero, ipsi propterea infligenda, est regni distractio, maxima ejus parte *servo* ejus danda, sed dupliciter mitigata, partim quod post mortem ejus fieret, partim *praecipua* tribus Judae, cum Benjamine, posteritati ejus maneret fidelis, et regnum cum sede religionis in Juda maneret. Cujus respectu *una* tribus memoratur 1 Reg. XI: 11. quatenus praecipua et principalis fuit tribus Judae, cujus adpendix tantum fuit ea Benjaminis. Qui vocis אחד *unius* pro principali et eximio usus non est insolens. Sed nec illud concessit Deus ipsius in gratiam, sed propter Davidem et Hierosolymam; quia Deus inter alia Davidi promiserat 2 Sam. VII., filium ejus, si graviter peccaverit, puniendum quidem esse, sed ita ut *benignitas* Dei ab ipso non *auferatur*, sicut a Saulo, qui violenta morte non tantum cecidit, sed cujus domus quoque regno excidit. Cujus promissi verus intellectus et implementum ex hoc loco et casu elucescit. Habueritne haec divina admonitio ac declaratio effectum in ipso salutarem, uti in Davide per Nathanem, silente historia, non constat, nec conjecturis fidendum est. Librum, *Ecclesiast.* dictum, ab eo postea fuisse conscriptum, nullo non solum patet indicio, sed obstare videtur, cum, quod idololatriae sese in eo non expresse opposuerit, tum, in omni voluptate et fastu, ac opulentia sua, declaret *cor suum egisse ductorem suum in sapientia* c. II: 3. et sapientiam suam *stetisse* et *adstitisse* sibi in culmine suo, vers. 9. Praejudicium aliquod contra ipsum creare posse videtur, quod excelsa et fana non leguntur ab ipso e medio sublata, quodque populus, qui cum ipso *descivit*, v. 33. ab eo tempore ad idololatriam quoque inclinatus manserit. Utique idololatria, quae a tempore Eli, vel

vel Samuelis, tam diu exulaverat in Iſraele, nunc rurſus dominari coepit. Sed nec haec praeter praejudicium rem conficiunt. Tutius ergo eſt nihil definiviſſe; maxime cum a morte proximus ſeriam potuerit egiſſe poenitentiam.

§. XLVII. *Secundum* conſequens eſt regni in finibus auſtralibus ac ſeptentrionalibus perturbatio, et inminutio, per Idumaeos et Syro-Damaſcenos ſub Hadado et Rezone, v. 14—25. Plenum hucuſque fuerat pacis et proſperitatis regnum Salomonis, ſed, rege ad Idololatriam prolapſo, hoſtes ſeſe mox oſtentare, et mala varia inminere coeperunt. Nec dubium mihi eſt, quin vivo Salomone Iſraelem, in extremis finibus, adflixerint. Adpellantur enim diſerte *adverſarii* Salomonis, v. 14, 23. et quidem *omnibus diebus ejus* v. 25. ſcilicet *poſt lapſum*, uſque ad mortem ejus, denique *malum* traditur Iſraeli inflictum ab Hadado, *faſtidio* et *taedio* erga Iſraelem adfecto. Hadad Idumaeus, de ſtirpe regia, quo tempore Joab horribili caede inter Idumaeos graſſatus eſt, in vindictam *praeſidiariorum* Davidis, ab ipſis occiſorum, ut ſupra ſuo loco obſervavi, evaſerat, adhuc puer et minorennis, in AEgyptum, inde rediit in Idumaeam poſt mortem Davidis et Joabi, adeoque in initiis Salomonis; abſque ut ſeſe ei oppoſuerit ante ejus lapſum: v. 14. manſit quoque ejus amicus et *tributarius*; uti cap. V: 1, 2. X: 24, 25. clare indicatur.

§. XLVIII. *Altera* pericopae pars, v. 23—25. brevitate ſua obſcurior viſa, et minus recte intellecta, El-jadam, patrem Rezonis, exhibet contra Dominum ſuum Hadadezerem, regem Tſobaeorum, rebellem, tempore belli Davidis cum eo, 2 Sam. VIII., et quia eo in bello Davidi opem tulerat, dux *turmae* militaris factus, regnum Damaſcenum adeptum, Davidi et Salomoni tributarium, ut ex c. V et X., locis modo citatis, pateſcit. Vulgata ſententia haec, quae memoravi, non ad Eljadam patrem, ſed Rezonem filium ejus, male adplicuit, temporum quippe ratione repugnante, quae non permittit, ut idem Rezon tempore belli

 iſtius

iſtius ſub Davide Syriae praefectus, et nunc poſt tot annos, ſub finem vitae Salomonis, contra eum rebellis: ut facile cernitur. Rectius itaque de patre Rezonis intelligitur, quod verſ. 23 med. et 24 habetur, et אשר *qui* ad Eljadam, proxime memoratum, refertur, quando verſ. 25. apte de Rezone ſubjungitur. De quo itaque refert hiſtoria v. 25. eum Salomoni ſeſe *adverſarium* praeſtitiſſe *omnibus diebus vitae ejus*, ſcilicet poſt lapſum in idololatriam, ut modo notavi; praeterea *cum taedio* et *faſtidio rejectaſſe Iſraelem*, quatenus regnum Syriae Damaſcenae, ab obedientia vel ſocietate Iſraelis avulſum, cum taedio et faſtidio ejus, ſibi vindicavit; eaque ratione *regnavit ſuper Aram*, ſcilicet Damaſcenam, (verbum קוץ, cui קוט reſpondet, proprie *diſruptionem* cum *fragore* continet, unde *taedii* et *faſtidii* ortus eſt uſus, ſive tranſitive, ut apud Arab., ſive intranſitive ſumatur.) Pertinent enim ea verba omnino ad Rezonem, adverſarium Salomonis factum, et non ad *Hadadum*, ut fieri ſolet. Voces enim praecedentes, *et*, vel *praeter*, *malum Hadadi*, inſertae ſunt, ut indicaretur, *malo*, ab Hadado inflicto, adceſſiſſe, quod Rezon rejectaverit ſocietatem Iſraelis, et regnum Damaſcenum ſui juris fecerit, ac ſibi adſeruerit: *et* hic idem eſt ac *praeter*, ut ad v. 1. ſupra notavi. Relat. אשר *quod* vel emphatice redundat, vel ſuppleri, aut ei addi debet verbum עשה, ut ſit, *quod fecit Hadad.* Ceterum hic ipſe Rezon alibi videtur חזיון *Chezjon* adpellari 1 Reg. XV: 18. ubi Benhadad dicitur *filius Tabrimmon*, *filii Chezjonis*, imo alio nomine forte et *Hadad*, a Deo Aſſyriorum et Phoenicum חדד, quod jam liber, et ſui juris rex factus adoptavit, pro more regum, qui a Numinibus nomen ſumſerunt. De eo enim nomine conjici poteſt, tum ex *Benhadad*, uno poſterorum ejus, tum antiqua traditione, a Nic. Damaſceno conſervata, apud Joſ. Ant. VII: 5. ſecundum quam *Adadi* nomen Syriae Damaſcenae regibus commune fuit, ut regibus AEgypti Ptolemaeorum. Plura de hoc regno ad calcem hujus periodi proferam.

§. XLIX.

§. XLIX. 3. *Tertium* consequens est initium rebellionis Jeroboami contra Salomonem, et lacerationis regni, inde ortae v. 26*to*. Fuit Ephratita, ex urbe Menassis *Zerada*, etiam *Tzerara* dicta, unde apud LXX σαριρα, haud procul a *Betscean*, seu Scythopoli, Jud. VII: 22. alias etiam *Tzartan*, ut ex 1 Reg. VII: 46. et 2 Chron. IV: 17. secum collatis, liquet. *Occasio* rebellionis, his verbis, *haec fuit ratio quod sustulerit manum contra Salomonem*, tradita, duplex fuit, altera remotior, altera propior. *Priorem* praebuit *dignitas*, in quam a Salomone, propter *sapientiam* et *strenuitatem* ejus in exstructione Millo, et rupturae muri civitatis Davidis praestitam, fuit evectus, in *praefectura omnium operarum domus Josephi* sita. Vox סבל *onus*, quod portatur, dein *bajulum* νωτοφόρων, denotat, quales *viri oneris* alias adpellantur, uti 1 Reg. V: 29. Haec dignitas animum ejus extulit, ac ad altiora adspirare fecit. Adcessit dein praedictio Achiae prophetae de regno ipsi dando, quae ambitionem regni Salomoni eripiendi peperit, quae proxima fuit rebellionis causa. Offendit ipsum propheta Hierosolymis exeuntem, adeoque jam animo eam volventem, et fundamenta jacturum, et propterea urbem regiam deserentem: quod opportunum erat tempus, quo Propheta promissum regni faceret, sed simul a proposito illud vivo Salomone faciendi abstraheret. Pollicitus enim ei non tantum est regnum Israelis, et externo scissae vestis ejus *novae*, quasi regiae, symbolo confirmavit, sed et *decem* tantum tribubus adstrinxit, nec, nisi mortuo Salomone, id ab ipso tentandum ac exsequendum declaravit. Addidit insuper conditionem legis observandae, ad domum ejus reddendam firmam ac perennem, *semine* Davidis *humiliato*, nec tamen, si vel id praestaret Jeroboam, *in perpetuum:* quo ultima verba v. 39. cum promisso de domo Jeroboami perenni, et depressione domus Davidicae connectenda, tendunt. Sed illud promissum per defectionem Jeroboami a lege Jehovae caruit effectu. Nec ipse de proposito regni, vivo Salomone, rapiendi aliquid remisit, quin, con-

tra expressum Prophetae mandatum, id exsequi coepit: uti vel ex eo colligitur, quod a Salomone propterea fuerit ad necem quaesitus, ipseque sese fuga in AEgyptum receperit, ubi ad mortem usque Salomonis mansit, gratiam quoque Sisaki, regis AEgypti, nactus. Ceterum ipsum vere contra Salomonem rebellasse ex v. 26 et 27. recte colligitur, et 2 Chron. XIII: 6. ipsi a rege Judae inputatur; sed quo sensu, et quam vere, postea exponam. Imo ab hoc ipso tempore anni regni ejus numerantur, licet non nisi post mortem Salomonis in regni possessionem missus sit: de quo postea.

§. L. Hac ratione cursum vitae exegit Salomo, cum annos 40 regnasset, c. XI: 42. relicto filio et successore *Rehabeamo*, sub quo regnum fuit mox in initio scissum, et in duo divisum. De quo antequam agam, historiae Salomonis enarratae subjungendum est, de *proverbiis*, sententiis et acutis ejus dictis, haud exiguam copiam fuisse posteritati relictam, et scripto consignatam, incertum a quibus, in libris *Proverbiorum* et *Ecclesiast.* uti constat: de quibus hic non est agendi locus. Obiter notasse contentus ero, titulum קהלת, quo Ecclesiast. insignitur, ex cap. VII: 26. esse explicandum, cujus sensus est, libri scopum et argumentum esse, alterum cum altero comparare, et res ad se invicem *colligere*, ut inde sapientiae *conclusio* formetur: quae ipsis verbis traditur c. XII: 13. *Finis verbi universi, quod auditum* est (omnium meorum in hoc libro dictorum haec summa est et conclusio) *time Deum, et praecepta ejus observa* (pie, et religiose vive, ac virtuti stude) *quia hoc* est כל האדם *universum hominis* (tota ejus praestantia, et felicitas, simul curae et conatuum, ac moliminum ejus summa ad beatitatem,) קהלת itaque est *collectio*, vel *collectrix* aut *collector unius ad alterum*, ut c. VII: 27. adhibetur, modo secum jungantur קהלת אחת *collectio unius* etc. Sed de *canticis*, quae ingente numero condidit, nullum forte superest praeter Ps. LXXII et CXXVII., quos ipsi lubens tribuerim, ut in Comment. docui. *Canticum* utique Canticorum sat solido fundamento

mento

mento ipsi vindicari nequit. Prima utique verba, *canticum canticorum* אשר לשלמה non verterim *quod Salomonis*, repugnante sueto inscriptionum Psalmorum stilo, quo אשר nusquam comparet, adeoque pro inscriptione aut titulo non haberem, quippe qui fuit simpliciter שיר השירים *canticum canticorum*, et adhuc in Bibliis distincte occurrit, sed pro initio cantici, ita ut autor illis verbis canticum suum extulerit, et *scopum* ejus tradiderit, vertendis itaque: *canticum canticorum canam* (punctandum enim est אָשִׁר pro אָשִׁיר canam, vel, si אשר *quod* sit retinendum, addendum אשיר *cantabo*, per אשר absorptum) *Salomoni*: plane uti Jes. V: 1. אשירה *canam profecto dilecto meo canticum amatorium;* nec non Ps. XLV: 2. *canam ego opera* למלך *regi*, in usum itaque et instructionem Salomonis, qua mariti, regis, et typi Messiae. Videtur enim, ut id obiter observem, canticum eo *scopo* compositum, ut 1. conjugium *unius* cum *una*, tanquam optimum, et primae institutioni conjunctius, extolleretur, et commendaretur, cujus quoque umbra fuit in Salomone et Filia Pharaonis, primum sola uxore, dein prae reliquis aestimata et dilecta. Quod vero vulgo putatur, Salomonem jam ante habuisse uxorem Ammoniticam, matrem Rehabeami, illud unice nititur loco 1 Reg. XIV: 21, ubi Rehabeam 40 annos natus dicitur, cum Patri successit, natus itaque mox in principio regni Salomonis: sed lectio Masorethica est vitiosa in numero annorum, cum legi debeat, non ארבעים *quadraginta*, sed עשרים *viginti*, de quo postea. Filia Pharaonis diserte a reliquis distinguitur, quae ipsi dicuntur adsociatae. Nec probabile est, Salomonem, vivo Davide, duxisse Ammoniticam idololatricam. 2. Arcta Salomonis ac Hierosolymae, ab ipso exornatae, et summa felicitate, ac celebritate cumulatae, relatio vivis depingeretur coloribus; quo nomen *Sulamith*, uxori datum, ducit, et alia quoque in hoc cantico tendunt. Denique 3. cum Salomo, tanquam Rex, illustris fuerit Messiae, et Hierosolyma quo-

que Ecclesiae Christi, typus; eo etiam, sensu mystico, adcommodari potest Canticum, si prudenter instituatur.

§. LI. Historiam duorum regnorum, Israelis et Judae, post Salomonem ortorum, antequam contexam, de ipsa divisione, ejusque *causa* et *occasione*, disserendum est. Salomone defuncto, et filio ejus *Rehabeamo* ipsi in regno Judae jam suffecto, c. XI: 43. Israelitae, per superiora Jeroboami molimina ad separationem jam proni, ne sine ratione, tanquam rebelles, sese a regno Judae viderentur abstrahere, plausibilem *occasionem*, in gravi onere, quo sub Salomone pressi erant, quaesiverunt. Prae se itaque tulerunt, se Rehabeamum quidem regem velle, sed sub conditione, ut *Sichemum*, praecipuam Ephraimitarum urbem, tenderet, et ibi postulata populi audiret. Quo tendit v. 1*mus* cap. XIII. et is, quem exposui, ejus sensus est. Quae omnia ita ordinarunt factiosi Israelitarum, qui Jeroboami partes jam ante erant sectati, et nunc praesentia ejus magis animati. Quod v. 2. indicatur, ubi Jeroboam, audita morte Salomonis, rediisse ex AEgypto dicitur: ultima enim verba, in Cod. Hebr. Masoret. vitiosa, ita sunt punctanda ac legenda וַיָּשׇׁב ירבעם ממצרים *et rediit Jeroboam ex AEgypto*, sicut locus parallelus 2 Chron. X: 2. habet, et Cod. Alex. LXX Interpr. ac Vulg. verterunt. Quo reditu audito, Israelitae, ei adhaerentes, populum permoverunt, ut, Jeroboamo evocato, de conditione Rehabeamo facienda, Sichemi deliberaretur, eo scopo, ut deficiendi haberent occasionem speciosam. Comitiis itaque habitis, a Rehabeamo *onerum* et *tributorum* levationem postularunt, ratione a nimia gravitate sub Salomone petita.

§. LII. Fueritne purus putus praetextus, in mendacio fundatus, an veri specie vestitus? dissentiunt Interpretes. *Praetextum*, et non veram caussam dissidii Israelitarum fuisse, dubio carere videtur. Praeterquam enim, quod omnia ad schisma faciendum, et Jeroboamo regnum dandum, jam essent,

ut

ut ex superioribus liquet, praeparata, *onera* populi sub Salomone tanta non fuerunt, et, si quid molestiae habuerunt, per multa bona, in populum collata, facile compensari poterant, nec, unquam de eo fuisse conquestos Israelitas, legimus. Quod ipsum Seniores consiliarii innuunt, dum Regi suadent, ut sese populo hac parte praestet *servum*, eo ipso indicantes, eum non justa petere; sed *prudentiae* esse, ut Rex, ad hunc praetextum tollendum, sese pro tempore infra Majestatem suam demittat: nec Juniorum consilium senatorum, regem sese adeo submittere non debere, alio fuit superstructum fundamento, quam quod *praetextus* fuerit, non *justa* petitio populi. Nec tamen, omni *specie* caruisse postulatum, autumaverim 1. quia nimis stultum fuisset, et rebelles animos palam prodidisset, si omnia plane ficta et falsa fuissent. 2. Rehabeam mendacem illam rationem non tantum non detexit, quod ut faceret e re erat, sed haud obscure quid veri subesse agnovit, v. 14. Denique 3. immensus regni splendor, operum tot tantorumque exstructio, mensae ac aulae regiae sumtus, aliaque, vix sine *onere* populi consistere potuerunt. Quo etiam facit, quod סבל *onus* domus Josephi, cui Jeroboam fuit praefectus, expresse fuerit memoratum c. XI: 28. quippe ex quo ansam calumniandi, et onera Salomonis adgravandi, fuisse captatam, non sit inprobabile: accedit, 1 Reg. V: 27— memorari מס *tributum* ex omni Israele indictum 30 hominum millia. De quo supra egi. Fuit itaque praetextus, sed colore vestitus, ac speciem veri praeferens.

§. LIII. Ceterum, pro vera causa rebellionis habenda omnino est *aemulatio* duarum primariarum tribuum, Judae et Ephraimi, quippe quae jam a longo inter eas viguerat; cujusque indicia sese ex historia Gideonis Jud. VIII et Jephtae c. XII: continuisque seditionibus, ac rebellionibus Ephraimitarum contra Judam, facile produnt. Noluerunt utique propterea sese in initio adjungere Davidi, primi quoque in Davidem cum Absolomo conspirarunt, et deinceps, cum Juda,

de Davidis reductione, disputantes, sese rursus ab eo separarunt. Videtur quoque hinc ratio petenda, quare primus Rex Saulus e tribu Benjaminis fuerit electus. Plura ad hanc aemulationem firmandam ac illustrandam proferre possem: sed id jam praestitit, plane secundum meam mentem, Cl. meus Nepos Verschuir in erudita de ea *dissertatione*, quae prostat, et legenda est.

§. LIV. Quod vero ad *Seniorum* et *Juniorum* longe diversa adtinet consilia, ut ea aliqua perfundam luce, quod a scopo nostro non adhorret, *illorum* quidem pro circumstantiis temporis fuerunt meliora ac prudentiora, *horum* tamen nec pro injustis aut ineptis habenda sunt, quin externa specie Regis dignitati ac Majestati magis congrua. Utriusque partis consiliarii, populi petitionem esse *praetextum*, et animos multorum ad rebellionem dispositos, probe intellexerunt, sed 1. Seniores melius perspexerunt *speciem* veri, quam habebat petitio, quaeque reliquis tribubus, ad schisma adhuc forte minus pronis, inponere posset, quia omnibus negotiis sub Salomone interfuerunt, querelas forte multorum et tunc audiverant, adeo ut de oneroso ejus regno rectius potuerint judicare. Sed *Juniores*, harum rerum ignari, *speciem* illam vel nullam, vel parvam, et nimis captatam esse, temere judicarunt. 2. *Seniores*, in populi animis tractandis exercitatiores ac prudentiores, populo omnem, etiam qualemcunque, praetextum, in principio regni, Regis autoritate nondum firmata, eripiendum, longe consultius esse, sapienter judicarunt, adeoque regem sese nunc pro tempore ad ejus genium adcommodare debere, etiamsi de Majestate quid remittendum sit. Sed *Juniores*, audaciores, et regiae dignitatis tuendae studiosiores, nimium praeterea potentiae, ac viribus regni fidentes, populo hunc praetextum cum severitate esse eximendum censuerunt, ac propterea regi hoc superbum suggesserunt responsum; *minimus meus digitus est lumbo Patris densior* (h. e. vel levissimum onus, a me inponendum, longe gravius et difficilius erit vel gravissimo, quod Salomo injunxit. *Digiti* enim

enim et *lumbi*, respectu crassitiei secum comparati, ad jugum, et onus, magis minusve grave et densum, omnino respiciunt, et referendi sunt, et non, ut passim putatur, ad potestatem et auctoritatem, ut ex v. 11. et responso regis, v. 14. manifestum est:) *et cum Pater vos scuticis* (flagello urente; rad. enim שוט proprie dicit, *urere*, urendo *laedere*) *ego scorpionibus* (virgis aculeatis, instar scorpionum; denotat enim עקרב flagellum *pungens* et *lacerans*) *castigabo* (h. e. disciplinam coercentem, longe severiorem, quam Pater, institutam, et acriora media ad opus peragendum, ac onera portanda adhibebo.) Quae non eo tendunt, ut declararetur, populum tam severe a rege esse tractandum, si sese placide submittat, ut facile cernitur, sed ut, animum populi rebellem sibi probe esse perspectum, et petitionem ejus nudum praetextum, significaret Rex, praeterea, ut per minas eum ad subjectionem compelleret, denique potentiam ac fiduciam suam jactaret, qua rebelles facile possit in ordinem redigere. 3. Denique *Seniores* prudenter perspexisse videntur, multos inter reliquas esse tribus, qui rebellandi animo non ducti, per factiosos ea onerum specie deludebantur, adeoque Rehabeamo facile devinciendi, et in ejus partes trahendi, si speciosus iste praetextus auferatur, et Rex sese benignum praebeat ac mitem. Quo v. 7. respiciunt, dicentes; si Rex *bona* daret verba, Israelitas fore *servos* regis *per omne tempus*; quia maxima pars populi non spiritu rebellandi, sed tributorum et onerum levandorum spe ducebatur. *Juniores* vero senatores inter praetextum factiosorum, et reliquae multitudinis animos, non distinxerunt, sed, ex eodem rebellandi spiritu ab omnibus eam fieri petitionem, inprudenter judicarunt.

§. LV. Saniora haec Seniorum consilia, quae sponte sua sese commendassent, si Rex fuisset sapiens ac prudens, nec ita aeque ac Juniores animatus, spreta sunt, Deo permittente et rem ita dirigente, ut judicium Salomoni denunciatum, ac inde ortum promissum, Jeroboamo datum, exsecutioni mandaretur, v. 15. his verbis; *nec audivit rex po-*

pulum, *quia occasio illa erat a cum Jehova* (h. e. Jehovae voluntati congrua, et apud eum *fixa*, indeque nata: quod phrasis illa denotat,) *ut stabiliret verbum suum per Achiam ad Jeroboamum*: non quod interno suo influxu Deus animos populi moverit, sed quod eam non inhibendam esse decreverit. Secutum itaque mox est schisma, simul caede Adorami, ac fuga praecipiti, et concitatissima (id enim denotat התאמץ c. XII: 18. est enim verbi proprietas in contentione *nervi*, seu tendinis in femore:) Rehabeami firmatum, Jeroboamus quoque ab Israele, seu *decem* tribubus, solenniter est rex electus: c. XII: 16—20. Ubi tria tantum, ad scopum nostrum, observanda sunt. *Primum* est, ubi v. 20. traditur, *totum* Israelem *audivisse* reditum Jeroboami, et ad comitia ipsum vocasse, illud de universo decem tribuum coetu esse capiendum; nec repugnat v. 3. quia de factiosis, et Jeroboami fautoribus, ibi tantum agitur, a quibus tunc evocatus erat Jeroboam, cum illa petitio facta est. *Secundum* est, cum *Israel* descivisse dicitur, illud sine exceptione non esse capiendum, cum illi, ut diserte traditur, qui in *urbibus Judae* habitabant, manserint regi fideles: sicut et in initio Sacerdotes ac Levitae. *Tertium* habet, Adoramum seu Adoniramum, ut adpellatur 1 Reg. IV: 6. V: 28. praefectum *tributo*, missum videri ad rebelles, ut animos eorum lenioribus verbis ac promissis leniret, ac placaret, tributorum inmunitionem promittendo. Qui, quippe unus Seniorum, et tributo praefectus, jam diu sub Salomone, ad id erat adcommodatus. Sed, cum populus de *tributis* esset conquestus, vel solus hujus viri conspectus rebelles in furorem egit, ita ut ipsum mox occiderint. Accessit denique ipsius Dei adprobatio, per prophetam ad Rehabeamum, a bello Israeli inferendo abstrahendum, missum, declarata, v. 21—24. non rebellionis, et modi, quo se a regno Judae separavit Israel, respectu, sed rei tantum ipsius: eo enim tantum tendit, quod *negotium* hoc a se factum declarat Deus, nec ulterius extendendum.

§. LVI.

§. LVI. Divisione Tribuum hac ratione facta, et Jerobeamo regno adjudicato, ac confirmato, animum mox adplicuit Rex Israelis ad regnum muniendum, et Subditos ab omni commercio cum civibus regni Judae, seu Rehabeami, avellendos. Quo fini *Sichemum* constituit regni sedem, in monte Ephraimi, et *Pnuel* firmavit trans Jordanem, ut populum cis et trans Jordanem in ordinem redigeret. *Alterum* regni stabiliendi in futurum, *politicum* quidem, sed inprobum erat, et pessime in ipsis regni incunabilis cessisset, nisi verus Jehovae cultus in Judae quoque regno defecisset; fundamenta tamen eo ipso jecit et domus suae, et regni, ruinae, post secutae. Spectavit ad sacra mutanda, et populum suum ab urbe Hierosolyma, sede religionis totius populi, abstrahendum, ne sacrorum communio, quae Hierosolymis adligata erant, animos Israelis adjungeret Judae. Introduxit itaque haud unum religiosi cultus discrimen, distincte memoratum: cap. XII: 26— 1. *Primum*, ad ipsum cultus *objectum* pertinens, in eo fuit situm, quod *duos vitulos* aureos conflaverit, et erexerit, ut in genere *Dei*, et non in specie *Jehovae*, essent simulacra. Ipsos *vitulos* pro Diis quidem non habuit, sed Divinitatis simulacris: quod jam est observatum, et vel ex eo liquet, quod *Deos* adpellet, qui populum ex AEgypto eduxerunt, plane sicut de *vitulo* Aaronis habetur Ex. XXXII. Nec tamen pro *Jehovae*, quatenus est nomen proprium Dei Israelis, imaginibus eos haberi voluit, verum in genere Dei, creatoris coeli et terrae, quem Patriarchae coluerant, quibus nomen illud fuit ignotum. 1. Jehovae enim nomen non expressit, sed Deos adpellavit, addit quidem, Israelem per eos fuisse ex AEgypto eductum c. XII: 28. relate ad *duos* vitulos, tanquam simulacra *Dei* Patrum, a Jehova in eo distincti, quod non ipse, sed Jehova, cultum adligaverit *arcae*, et dein Hierosolymis, nec non tribui Levi sacerdotium: denique sese peculiari sensu *Regem* populi declaravit, a quo manifeste descivit Jeroboam. 2. Levitae eo ipso leguntur prohibiti, ne *Jehovae*,

 sacerdotes

sacerdotes esse potuerint, 2 Chron. XI: 14. qui propterea sese Hierosolymam contulerunt, sesèque *apud Rehabeamum* (intime cum ipso conjuncti; quod על *apud* subinde involvit,) *stiterunt* (scilicet in statione, gradu et ordine decente; quam potestatem verbum התיצב continet.) 3. *Jehovae* quoque cultores Hierosolymam ideo adierunt, ad sacrificia *Jehovae*, *Deo patrum ipsorum*, offerendum 2 Chron. XI: 16. Denique 4. Jeroboamo diserte imputatur 1 Reg. XIV: 9. quod *Jehovae* renunciaverit. Ceterum *vitulorum* simulacra ipsum ab AEgyptiis, inter quos ille cultus, ut constat, jam a longo viguerat, derivasse, ab aliis dudum est evictum, Vid. Bochart. H. p. I. l. II. c. 24. quod ex tempore *festi*, ab eo instituti, ut mox patebit, etiam confirmatur. Ipse ibi quoque versatus erat, et populus, sicut in deserto, *vitulo aureo* facto, ita in posterum, sese ad eum cultum semper demonstravit pronum, adeo ut Jeroboamus, *politicum* agens, sese ad populi genium censeri possit adcommodasse.

§. LVII. 2. Praeter objectum cultus, mutavit quoque ejus *locum* et sedem; loco enim Hierosolymae elegit dua alia limitanea regni, *Dan* in septentrionali, et *Bethel* in australi regni termino; celebria admodum, et religioni adcommoda, prae reliquis omnibus in regno Israelis. *Bethel* utique, praeterquam quod Abraham ibi primum erexerat altare Gen. XII. celebre nomen *viso* Jacobi acceperat, instar *domus Dei* Gen. XXVIII. *Dan* vero jam ab antiquis temporibus fuerat religionis idololatricae domicilium, Jud. XVIII: 30. Erant praeterea loca *limitanea*, in usum itaque et septentrionalium et australium Israelitarum, quae regnum simul, simul religionem terminabant, ac muniebant. Sed *Bethelem*, quod notari meretur, praetulit rex, ut colligi 1. ex eo potest, quod *ipse* ibi constituerit *vitulum*, sed in *Dane* tantum id *permiserit*, v. 29. Huc enim diversa verba שום *ponere*, dedicare, et נתן *dare*, subinde, ut hic, *permittere*, adhibita, tendunt. Dein 2. quod, cum populus *coram uno* iret usque ad Dan, ipse Bethele exstruxerit non tantum *fanum*, sed et

sacerdotes

sacerdotes ibi instituerit, ac festum, ibi tantum celebrandum, instar Hierosolymae. Cuncta enim, quae v. 31 et seq. narrantur, ad *Bethelem* unice spectant, ut ex v. 32 patet. Ceterum ubi populus *ivisse* dicitur *coram uno usque ad Danem*, v. 30. de cultu non est simpliciter intelligendum, sed et, vi phraseos, de solenni translatione vituli ad eum locum, *procedente* populo, facta. Ex quo, quod dixi, secundum populi vota vitulum in Dane fuisse erectum, firmatur. Regi magis placuit *Bethel*, quod fuerit propinquior, et in ipsa tribu Ephraim, simul *adparitionibus* Dei, et cultu, ab antiquis temporibus, celebrior. Quare vero populus praetulerit Danem, difficile est explicitu. Forte ei loco adsuetus jam erat, et quia idolum ab antiquo tempore ibi jam fuit cultum.

§. LVIII. 3. *Tertium* discrimen spectat ad *sacerdotes*, quos non e tribu Levi, ut Lex jubebat, sed e medio populi, sine discrimine, sumsit, v. 31. Eum enim sensum phrasis מקצות העם *e populi extremitatibus* fundit; non enim dicit, ex plebe aut faece populi, sed e *medio* ejus; uti ab aliis jam est observatum. Sed quare sprevit Levitas? forte *a.* quia non *Jehovam*, Hierosolymis sedem habentem, sed Deum Patrum, ante Mosen et foedus per eum factum, colere instituit, ut modo notavi. Levitis autem per Mosen fuit sacerdotium adligatum, et illi erant Hierosolymis adstricti. *b.* Levitae alium noluerunt ac *Jehovam* colere Hierosolymis, et eo nomine fuerunt a Rege repudiati. Quod utrumque ex 2 Chron. XI. colligi potest. Dicuntur enim Israelem reliquisse, et se Judae adsociasse, *quia Rex eos repulit, ne Jehovae ministrarent;* se itaque vitulorum cultui non sunt passi admoveri. Accedit *c.* fieri potuisse, ut Rex, sese animos populi facilius sibi conciliare posse, censuerit, si cum toto populo honorem Sacerdotii communicaverit.

§. LIX. 4. *Quartum*, in Historia notatum, est in *Festo*, simili quidem Mosaico, Hierosolymis celebrari solito, sed alio *mense* celebrando, occasione dedicationis fani Bethelis

 instituto,

instituto, ad exemplum Salomonis. Cum enim tempore festi Tabernaculorum dedicasset Templum, festo dedicationis instituto, ut supra vidimus, Jeroboam idem, sed alio fecit mense, *octavo* scilicet, et non *septimo*, sive tunc fanum sit absolutum ac dedicatum, sive ad imitationem quoque AEgyptiorum. *Septimus* enim mensis Israeliticus respondet *octavo* AEgyptiaco; uti observavit Vignolius Chron. S. Praeter haec *quatuor* notabilia, num aliquid in cultu Mosaico, aut ejus ritibus, mutaverit, non constat: silentium historiae, in primis notabilis pericopa Am. IV: 4, 5., probabile mihi facit, reliquos ritus, vel maximam partem, fuisse retentos. Memorantur autem Amos IV. nonnulla, Ephraimitis recepta, speciminis tantum loco, legibus Mosaicis similia; sacrificia scilicet matutina, decimae, sacrificia confessionis מחמץ h. e. sine *fermento*, denique oblationes spontaneae.

§. LX. Haec religionis mutatio fuit quidem in speciem *politica*, sed, si Juda quoque de religione patria non descivisset, regnum Jeroboami mox in primordiis pessumdedisset, aut valde saltem labefactasset. Politica prudentia in eo fuit sita, quod populus, manente religionis communione Hierosolymis, facile adsociari denuo potuisset Judae, uti c. XII: 27. ab Historico traditum est. Sed ipse Jeroboam, hac ratione suppressa, coram populo tantum dixit, vers. 28. *multum vobis ab adscendendo Hierosolymam.* Quo significatum non voluit, nimis remotum ac molestum illud esse, cum haec ratio tanti non esset, nec Bethel et Dan multis Israelitis erant propinquiora loca, sed *sufficere*, et *satis diu* id esse factum: quem usum vox רב *multum*, ejusmodi in phrasi ac structura, saepe habet. Contendit itaque Rex, praerogativam illam loci sacri et religiosi, non esse Judae propriam, sed utriusque regni communem, antea, cum unum erat regnum, id recte fuisse factum, sed nunc, diviso illo, *locum* quoque cultus utrique concedendum esse, adeoque nunc satis diu Hierosolymam adiisse Israelitas. Praestitit sese in

eo

eo Jeroboam, politicum quidem, ſed Deo minus fidentem quam ſibi, et Deo inobſequioſum. Debuiſſet metum de regno amittendo deponere, et in promiſſum Dei, ipſi per prophetam factum, recumbere, cultum quoque Jehovae, ſicut ipſi injunctum erat, retinere. Ceſſit quoque illud ipſi peſſime, ut ſequens docet hiſtoria; imo per illud ipſum, quo illud confirmare voluit, perdidiſſet mox in principio regnum, quod ex loco parallelo quoque poteſt erui 2 Chron. XI: 13. Pluribus enim religionis mutatio anſam dedit, ſeſe Rehabeamo adjungendi, et regnum ejus firmandi: quod regnum ejus brevi deſtruxiſſet, niſi ipſe Rehabeam, cum Juda, defeciſſet ad idololatriam, poſt *triennium* regni, quando totus Iſrael a Juda eſt abſtractus: 2 Chron. XI: 17. XII: 1.

§. LXI. Quantopere in religione mutata obſtinatus fuerit, nullis mediis ab ea abſterrendus, luculenter adparuit, quum propheta Judae, ad ipſum miſſus, excidium ei interminatus eſt, et prodigiis confirmavit, abſque ut rex a propoſito dimoveri potuerit, uti cap. XIII. narratur. Propheta ad eum a Deo ex *Juda* ablegatus eſt, ut ſedi Jehovae, Hieroſolymis, teſtimonium praeberetur; adpellatur *vir Dei*, et *in verbo Jehovae* veniſſe dicitur h. e. cum expreſſo Dei mandato, et in ejus nomine, tanquam legatus Jehovae, ac ejus autoritate veſtitus. Nomen licet reticeatur, probabile tamen eſt fuiſſe יעדי, vel יעדו *Jehdo* ex 2 Chron. IX: 29. ubi ſubjungitur *Achiae*, et diſerte additur, *contra Jeroboamum*, Joſ. Ant. VIII: 8. eum nuncupavit *ἰαδων Jadon*, qui ergo diverſus eſt a עדו *Hiddo*, qui poſt Abiam adhuc vixit 2 Chron. XIII: 22. *Judicium* is in *altare*, ſuper quo tunc ſacrificabat Jeroboam, pro more Prophetarum, res inanimatas, elegantiae et emphaſios cauſa, adloquentium, pronunciavit, deſtructionem ac proſtitutionem iſtius cultus idololatrici conprehendens, ab aliquo rege Judae, nomine Joſiae, ſuo tempore faciendam; quod etiam inpletum eſt, 2 Reg. XXIII. Quo ſignificatum eſt 1. Iſraelem in eo cultu diu eſſe, et ad finem regni uſque, perſeveraturum 2. regnum deſtruendum eſſe, ſtante ad-

huc regno Judae, 3. Regem Judae dominium exercituum in Israele, et 4. cultum illum Deo displicere, ac publice prostituendum esse. Confirmatum praeterea est judicium duplice miraculo, altero ex altero nato. *Prius* est *scissio* altaris et *cineris* victimae, seu *reliquiarum* ejus *pinguium* (vox enim דשן non *cinerem* denotat in genere, sed *victimae* in altari crematae, significatione a *pinguedine* ducta) *dispersio*, in signum destructionis ejus, suo tempore futurae, nec non irae Dei in cultum, et regnum idololatricum, accensae. Cum hoc portentum *enunciasset* Propheta (quod hic verbum נתן *dare*, seu, ut subinde sumitur, *ore proferre*, denotat) Jeroboam iratus, eum jussit, *manu extensa*, adprehendi: qua occasione *alterum* accessit portentum, in *manu* regis extensa *arida* facta: quando altare mox *scissum* est, et *pingues reliquiae* dissipatae sunt. Quo duplice signo Rex ad se pro tempore rediens, manum, ad prophetae preces, ab eo imploratas, recuperavit *sanam*. Quo duplice signo fuit admonitus, ut si domum suam velit salvam, *Jehovae* adhaerescat; cum alias cum tota domo *exaresceret*; sicut dein ipsi, cum melior non esset factus, denunciatum est, ac contigit, cap. XIV.

§. LXII. Ut autem indignatio Dei, et regi, et Israeli, fortius insinuaretur, Propheta omnia honoris signa, quae Rex praebere ipsi voluit, sprevit, simul nec cibum nec potum ibi sumere, expresso Dei interdicto prolato, voluit, ne quidem eadem via, qua venerat, redire, ut omni modo patefaceret, prophetae Jehovae nihil commercii cum tali populo esse, adeo etiam, ut, alia via rediens, omnem ipsum adeundi occasionem eriperet. Cum autem in reditu ab aliquo propheta, ibi degente, et divinum jussum praetendente, deceptus, et nimium credulus eo rediisset, ac comedisset, in via ad patriam domum a leone occisus quidem est, secundum interminationem ab ipso illo propheta deceptore ipsi factam, attamen non discerptus, leone nec ipsius cadaver, nec asinum vectorem laedente, sed honorifice ibi sepultus est, testimonio quoque istius prophetae divinitus ornatus,

natus, quo verus est declaratus *vir Dei*, et propheticam ejus denunciationem complementum suo tempore habituram esse, adfirmatum est. Quae pericopa, v. 11—32. valde notabilis, varia peperit quaesita, uti, fueritne verus an falsus propheta Israelis? quid culpae commiserit propheta Judae? quare judicium non ipsi, sed prophetae Israelis fuerit revelatum? quale illud fuerit judicium? denique quo illud spectaverit? ad quae hic non est fusius respondendi locus, quare paucis absolvam. Verum quidem ipsum autumaverim fuisse prophetam, vel unum ex filiis Prophetarum, quia absolute eo nomine, nulla addita nota, insignitur, et a viro Dei ex Juda qua talis agnitus, cum ei mox crediderit, veritati quoque prophetiae contra altare testimonium dederit; attamen, Jeroboamo, non obstante cultus inmutatione, adhaesisse, nec a verae pietatis studio adeo celebrem fuisse, ex mentita revelatione, nec non habitatione Bethele, licet Samaria fuerit oriundus, 2 Reg. XXIII: 18. denique ex scopo reductionis prophetae Judae, colligi posse videtur. Scopus utique, quare virum Dei tanto studio revocavit, alius mihi non patet, quam ut suo honori consuleret, et Jeroboami commoda promoveret. Cum et ipse esset unus filiorum prophetarum, propheta quoque vulgo habitus, se a viro Dei neglectum, nec visitatum fuisse, aegre tulit, et ad sui, dignitatisque propheticae, contemtum spectare, sibi persuasit, cui ut occurreret, propheta reducto, se cum eo familiarem esse demonstravit. Sed et idem, quod Jeroboamus, in retinendo viro Dei, videtur in animo habuisse, ut rex honoraretur, et Israel in ejus obedientia maneret. Vir enim Dei, in eo loco manens, et cum civibus commercium exercens, Deo illud regnum non esse ingratum, non obstante defectione a lege ejus, demonstravit.

§. LXIII. Quod vero ad peccatum viri Dei, in reditu cum Propheta illo commissum, adtinet, videri quidem posset excusabilis, et solus propheta mendax culpabilis, cum dictis ejus credendi habuerit rationem, quia ipsum prophetam esse

 noverat,

noverat, ipſeque, tanta cum fiducia, revelationem ſibi factam praetenderet, aliud quoque cenſere potuerit eſſe a rege honorari, et cum ipſo converſari, aliud, nec tanti, apud prophetam eſſe, et cum eo edere ac bibere; attamen, licet illa viro Dei a malo et inprobo animo liberando ſufficiant, a temeritatis et inobedientiae culpa eum non faciunt inmunem, ut ex judicio Dei, ipſi inflicto, patet. Peccatum vero in eo fuit ſitum, quod prophetae, mandatum Dei, ſibi facto contrarium, praetendenti, temere crediderit, et ſcopo Dei, in eo dando, quem modo expoſui, adverſatus fuerit. Temeritas vero ejus ex eo praecipue elucefcit, quod cum ipſe expreſſum a Deo acceperit mandatum, illud per alium a Deo fuiſſe revocatum crediderit, ſine ulla convictione propria, ſine ulla certitudine. Praeterquam enim quod incredibile videri debeat, Deum voluiſſe, ut jam egreſſus rediret, et ſe reficeret, mendax propheta nullum veritatis, praeter proprium teſtimonium, protulit indicium. Praeterea idem ipſe, qui mandatum erat conſecutus, revocationem utique accipere debuiſſet, vel intimam animi, divinitus factam, perſuaſionem.

§. LXIV. Sed quare *judicium* viro Dei non fuit revelatum, verum Prophetae mendaci? Videri quidem poſſet, ut nonnullis viſum eſt, illud viro Dei fuiſſe factum, ex v. 20. ſi vertatur, *ad prohetam, quem reduxit*, uti v. 23. paſſim ſolet; ſed erronee, cum et ibi לנביא reddi non debeat, *prophetae*, ſed *propheta, qui reduxerat eum:* littera ל enim eſt nota nominativi vel accuſativi emphatica, variis in locis. Cum vero vates Bethelicus v. 26 dicit, caſum illum eveniſſe viro Dei ſecundum verbum Jehovae, quod דבר לו *dixit ipſi*, non inmediate eſt capiendum, ſed per ipſum, ſcilicet Bethelicum, ut ſit, *dixit ipſi per me*. Utique Bethelico vati illud fuiſſe revelatum, nimis clarum eſt, quam ut in dubium vocari debeat. Factum enim diſerte dicitur *prophetae*, cum ille Judae conſtanter *vir Dei* adpelletur, alter vero *Propheta*, et phraſis verti nequeat *quem*, ſed *qui*

reduxit

reduxit eum; praeterea in verborum Dei pronunciatione non Deus ipse loquitur, sed de Deo in tertia persona sermo fit; adeo ut verbum Dei ad Prophetam Judae non fiat, sed a Bethelico ipsi denuncietur. Facta vero est haec revelatio, non viro Dei ipsi, sed Prophetae Bethelico, cum, ut mendacium ejus, supra memoratum, clarius et certius constaret, ex ejus jam proprio ore refutatum, tum, ut vera causa judicii Dei in virum Jehovae publice, et inter Israelitas clarius, elucesceret, ne forte alia fingeretur, vel et judicium a viro Dei in altare prolatum, tanquam ab eo fictum, pro causa haberetur, et ita prophetia eluderetur. Quare ipse propheta Bethelicus veram causam judicii, nomine Dei, luci debuit exponere.

§. LXV. Fuit quidem judicium prophetae Bethelico in genere tantum revelatum, *quod cadaver ejus in sepulchrum Patrum non sit venturum*, absque ut tempus quo moreretur, aut mortis genus, fuerit determinatum, ne propheta Judae scilicet ab itinere et reditu in patriam abstraheretur, sed eventus omnem obscuritatem in lucem dedit, et judicium divinum fuisse clare evicit. Leo enim ipsum in via occidit, non more leonino, sed cum certis divinae directionis signis, in eo conspicuis; non enim devoravit cadaver, asinum quoque reliquit intactum, imo inmotus et ipse adstitit, tamquam custos cadaveris, neminem laesit transeuntem, et corpus a vate Bethelico auferri sivit. Quae omnia utique clara erant divinae manus signa; et leonem a Deo esse tantum inmissum, ut virum Dei violenta adficeret morte.

§. LXVI. Singulare illud in prophetam Judae, ac ad speciem valde severum judicium, eo mihi collineasse videtur, et ideo inmissum, 1. ut veritas prophetiae contra altare, et certitudo inplementi confirmaretur, omnisque occasio regi et populo sese obfirmandi, acsi vaticinium a Deo revocatum esset, eriperetur: si enim una mandati divini pars inpune fuisset violata, et a Deo censeri potuisset revocata, ea facile in ipsis nasci posset opinio, totum vaticinium ejus

 quoque

quoque eſſe naturae, adeoque inplemento cariturum. 2. Judicium, in altare pronunciatum, hominum animis altius infigeretur, diutius conſervaretur, etiam per prophetam Bethelicum confirmaretur, quippe qui publicum ei dedit teſtimonium, et verbis, et mandato de ſepultura ſua juxta prophetam Judae. 3. Addere liceat, ipſum Jeroboamum de judicio, ſibi et domui ſuae infligendo, admoneri hoc fato prophetae potuiſſe, ſi in malo perſeveraret propoſito ſuo. Cum enim propheta, exactam in omnibus non praeſtans obedientiam, inſuper deceptus, tam ſevere punitus ſit, quid rex non habebat exſpectandum, ſi expreſſum Dei mandatum, per prophetam ad ipſum delatum, proterve et ſine ulla excuſatione ſuſque deque haberet? Quo etiam facit, quod obſtinationis Jeroboami poena, ipſi et domui infligenda, mox ſubjungatur, v. 33, 34. longe etiam gravior, quam prophetae obvenerat. Phraſes enim, *exſcindere* et *delere e terra*, mortem non tantum violentam, ſed et ignominioſam, honeſta quoque ſepultura carentem, denotat, quod cap. ſequente clarius eſt expreſſum. Verbum שמד proprie dicit, *inſtar ſtercoris ejici*, et השמיד *inſtar ſtercoris everrere*.

§. LXVII. Cum hiſtoricus huic caſui mox c. XIV. ſubnectit excidii domus Jeroboami denunciationem per Achiam prophetam, occaſione conſultationis ejus de morbo filii, adhibita quoque phraſi, *tempore illo*, colligendum hinc, ut vulgo ſolet, non eſt, caſum hunc cum ſuperiore eſſe connexum, et mox poſt eum contigiſſe, cum phraſis illa latitudinem admittat, imo ſubinde cum ſuperiore narratione nihil habeat vinculi, haud una evincat ratio, caſum hunc a ſuperiore eſſe remotiorem. 1. Caſus praecedens in principio regni Jeroboami contigit, vix annum poſt praedictum ipſi regnum ab Achia: ut ex ſuperioribus conſtat. Sed eo tempore Achia erat a gravi ſenectute remotior, teſte occurſu ejus Jeroboamo, et colloquio cum ipſo: nunc vero oculi ejus prae ſenectute jam caligarunt: v. 4. 2. Sedes regni jam

jam non amplius, ut antea, fuit *Sichem*, sed *Thirtza* v. 17. urbs amoena et pulchra, unde forte et nomen traxit, sita in tribu Ephraim, uti Bonfrer. ad Euf. Onom. probabile fecit. 3. Sub vitae finem accidisse, quod hic narratur, illud quoque indicare videtur, quod excidium domus Jeroboami propheta, cum morte filii, paulo ante placide occubituri, in signum instantis ruinae domus, connectat: vers. 14. ubi etiam voces זה היום, *jam hodie suscitabit Jehova regem, qui exscindet Jeroboami domum*, emphasin habent, ut proxime illud excidium instare significent: quo etiam ultimae tendunt voces, minus intellectae, *et quid etiam nunc?* elliptice capiendae, ut sensus sit: *quid etiam nunc*, mortuo filio, solo bono in ea domo, *superesset*, scilicet domo Jeroboami, cujus modo facta fuerat mentio. Filium aegrotum dixerat unicum esse *bonum* in illa domo, quo mortuo, dicit, eam mox esse exscindendam, quia nihil boni in ea superesset. Alia ad hunc casum illustrandum, quippe ab instituto nunc aliena, mitto.

§. LXVIII. Unum alterumve observasse contentus ero: Uxorem misit Rex ad Achiam, non ipse adiit, nec palam, sed mutata specie, ne mutati animi, et religioni institutae diffidentis, prophetam Jehovae consulendo, suspicionem praeberet populo: addi potest, eum, si innotesceret, veritum fuisse responsum a propheta non nacturum: quod malae conscientiae erat signum. Induit vero uxor habitum mulieris pauperioris, et peregre venientis: uti ex commeatu, quo instructa est, colligi potest, v. 3. sumsit enim *decem panes*, cum lagena mellis, eosque *conpunctos*, adeoque mucidos, punctis et maculis notatos: uti Jos. IX: 5. non ergo dona erant, prophetae offerenda, ut putatur, sed *viaticum*, in signum paupertatis, et itineris longinqui, ad homines fallendos, et prophetam decipiendum.

§. LXIX. Mors Jeroboami, quae mox, missis aliis ejus rebus gestis, subjungitur, non fuit placida, licet *cum patribus cubasse* dicatur, cum illa phrasis subinde violentam non exclu-

excludat mortem, uti in Josia et aliis, sed per divinitus inflictam plagam, una etiam cum tota domo, a Baesa exstincta: uti ex v. 10, 11. et 2 Chron. XIII. colligi potest. Nadab itaque, filius et successor ejus, adhuc vivi, sed divina plaga jam percussi, ad regnum inepti, fuit per *biennium*, in chronologia contexenda non numerandus: uti suo loco postea patebit. Ubi autem *continuum* fuisse bellum traditur, inter ipsum et Rehabeamum, illud non de praeliis, sed statu tantum hostili, capiendum est, cum de actu exercita hostilitate nihil fuerit memoriae proditum. Regnavit Jeroboam ann. 22. 1 Reg. XIV: 20. quibus anni 2 Nadabi sunt includendi, 1 Reg. XV: 27. Qua ratione, tota ejus domo deleta, successio regni ad aliam domum est translata: sicut et postea accidit in regno Israelis, secus ac in Judae; ubi semper in posteritate Davidis, secundum promissum ipsi datum, mansit. Quater autem variavit, quam diu illud regnum statum suum fuit tuitum, usque ad Jeroboamum secundum, ejusque filium; successione per *quatuor* familias procedente, Jeroboami, Baesae, Omri, et Jehu, ut sequens historia docebit.

§. LXX. De *Rehabeamo* rege Judae, cui Benjaminis tribus quoque adjuncta mansit, antequam agam, vitium cod. Hebr. Masoreth., 1 Reg. XIV: 21. et 2 Chron. XII: 13. in anno aetatis, quo regnare coepit, tollendum est. Annus enim 41*mus*, ibi memoratus, nullo modo se tueri potest. 1. Natus enim sic fuisset ante regnum Salomonis, quod 40 tantum annos duravit: sed tunc *juvenis* adhuc erat, nec primam duxit uxorem, quae AEgyptia fuit, nisi jam rex factus. 2. Peregrinas mulieres, inter quas fuit Ammonitica 1 Reg. XI: 1. mater Rehabeami, ut locis citatis traditur, sibi adsociare non coepit, nisi operibus praecipuis absolutis, adeoque circa ann. 20*mum* regni. Cappell. Crit. S. itaque legendum censuit עשרים ואחת *viginti* et *unum*, cui, praeter Grotium, calculum addidit Ludolf. Comm. ad Hist. AEthiop. L. I. c. 3. qui quoque observavit, in aliqua lacinia

LXX Interpr. in Cod. Vatic. annos haberi 16, quod etiam adserit Sulpic. Sev. Sed litterae numerales כ *viginti*, et מ *quadraginta* facilius potuerunt permutari. Rehabeamus, ut ejus gesta, ac regni fata, verbo enarrem, a bello cum Jeroboamo, ad eum sibi subjiciendum, per prophetam, jussu Dei, abstractus, sese totus ad regnum suum muniendum vertit, variis urbibus firmatis, ac necessariis rebus ad earum defensionem, tempore obsidionis, instructis: uti 2 Chron. XI. narratur. Mansit quoque Jehovae, una cum populo, fidelis per *triennium*, quando idololatria quoque introducta est, magno cum regni detrimento. Cum enim antea *multi* ex Israele ipsi adhaesissent, regnumque firmassent, defectio Israelis ab eo tempore facta fuit generalis; quem sensum verba Historici 2 Chron. XI: 17. et XII: 1. fundunt. Sed majorem calamitatem edtulit hostilis invasio *Sisaki*, regis AEgypti, de quo postea suo loco, in regnum ejus, anno regni 5*to*, a Jeroboamo forte evocati: occupavit enim urbes munitas, et Hierosolymam, thesauros Templi, ac regiae spoliavit, regnumque *servile* fecisset, nisi poenitentia regis ac servorum ejus intercessisset, et Deum ad ei succurrendum, hostemque avertendum permovisset: uti 2 Chron. XII. narratur, sed in libr. Reg. reticetur. Ceterum hac prima vice reges AEgypti se rebus Judae inmiscuerunt, nunquam Israelis, forte quod, a Jeroboamo decepti, Judae regnum pro rebelli regni Israelis habuerint. Sed postea a Juda etiam diu abstinuerunt, ut sequens historia docebit. Plura de Rehabeamo non constant. Praefuit ann. 17, 1 Reg. XIV: 21.

§. LXXI. Successit ipsi filius ejus Abiam, vel Abia ex Maacha, quae filia Absolomi fuisse dicitur in lib. Reg., et 2 Chron. XI: 20. sed filia *Urielis e Gibea* 2 Chron. XIII: 1. Unde non inepte colligitur, Absalomum, filium Davidis, non intelligi, sed alium Benjaminitam, utroque nomine illo insignem: fuit enim *Gibea* in tribu Benjaminis. De ipso nihil aliud traditur in libr, Reg. c. XV., quam eum fuisse

 Patri

Patri in religione similem, et bellum cum Jeroboamo gessisse, nulla, aut legis in principio observatae, aut illustris victoriae de Israele reportatae, facta mentione, nisi quod *prius* videri posset tacite innui, ubi ad exemplum Patris se conformasse, et cor ejus non ita, ut Davidis, integrum fuisse, traditur. Rehabeam enim initio *legi* Jehovae adhaesit, postea, secus ac David, descivit: quod idem fecit Abia. Defectum illum, quoad victoriam, supplevit autor libri Chron. c. XIII., sed defectionis ejus a Deo non meminit. Supplendi itaque hi libri ex se invicem sunt. In historia belli, et orationem Abiae ad Jeroboamum et Israelem, quae adtentionem meretur, observandum est, magis ad Judaeos animandos, et Israelitas terrore percellendos, quam ad exactam veritatem fuisse adcommodatam, cum nonnulla vel falsa, vel minus fideliter prolata, in ea occurrant; ex. gr. 1. quod Davidi et semini ejus regnum, super Israele aeque ac Juda, dicatur datum *in perpetuum*, nulla conditione fidelitatis et religionis Regum Judae addita. 2. Jeroboam dicatur contra Rehabeamum rebellasse, et nequissimis stipatus viris regnum rapuisse, nulla facta mentione divini promissi, aut populi ipsum eligentis. 3. Rehabeami tantum molliciei ac juvenili aetati tribuatur, quod Jeroboam retinuerit regnum, cum divino jussu fuerit prohibitus. Denique 4. constantiam Judaeorum, eorumque regum, in vera religione, nimis exaggeret: cum de idololatriae exercitio, sub Salomone et Rehabeamo, constet ex libr. Reg., ipse Abia non melioris fuisse animi traditur in lib. Reg., sed hoc tempore Judaei cum Rege studium verae religionis resumsisse videntur, simul in Jehova collocasse fiduciam; eamque ob causam tam insignem reportasse victoriam; uti v. 18. indicatur, 2 Chron. XIII. 18. Inmensus numerus 500 millium caesorum inter Israelitas, cum vix fidem mereatur, a textu vitiato non sum alienus, maxime cum Syr. Interpres, cum nonnullis Cod. Lat. habeat tantum *quinquaginta* millia. Sed nihil definio. Post hoc praelium vires non amplius *cepisse* [?] Jeroboam traditur 2 Chron. XIII: 20.

XIII: 20. quia cladi accessit plaga lethalis, ipsi inflicta, qua a novis moliminibus coactus fuit desistere: quando Abia res firmas habuit ac securas: sicut *prius* vers. sequentis membrum, cum praeced. connectendum, tradit. Regnavit autem *tres* tantum annos, 1 Reg. XV: 2.

§. LXXII. In historia *Asae*, filii et successoris Abiae 1. memorabilis est reformatio religionis, sub Abia quoque depravatae, ab ipso instituta *duabus* vicibus, in lib. Reg. confusis, sed 2 Chron. XIV et XV. distincte narratis. *Prior* facta est primo regni decennio, quando *pace* gaudebat, et mater adhuc nomen ac honorem *dominae* gerebat, rege nondum justae aetatis, et solo regnante: uti loco cit. Chron. narratur. Sed illud opus, per Cuschaeorum invasionem interruptum, dein post gloriosam victoriam de iis, et prophetae admonitionem, resumtum est ann. regni 16to, omni bello finito. Qua posteriore periodo festum Pentecostis solenniter celebratum, foedus inter Deum et populum renovatum est, reliquiae quoque idolorum sublatae sunt, in specie simulacrum matris, quae et ipsa omni honore ac administratione regni privata est, cum rex jam ad justam esset provectus aetatem. Idolum autem, a matre collocatum, et מפלצת, *terriculamentum*, ut vi vocis Hebr. putatur, dictum, videtur, quae Veterum fuit opinio, a Seldeno, Bocharto et aliis adoptata, fuisse *Priapi* simulacrum, Dei libidinis, et a Phoeniciis, AEgyptiis ac Graecis religiose culti, ut ex Herodot. l. II. et Diod. Sic. l. IV. constat. Praeterquam enim, quod modo קדשים *sacrati*, seu Veneri sacri, cynoedi, qui vocis usus est, fuerint memorati, ipsum nomen מפלצת eo ducit, sive a *terrore*, seu reverentia, derivetur, ut Lat. *verendum* et *veretrum* membrum genitale, in Priapo maxime famosum, sive a rad. פלץ derivetur, cujus origo est in motu *tremulo* et vibrante, unde per met. *librare* denotat: cui respondet Gr. πάλλειν, unde *Phalli* epitheton, Priapo proprium, fluxisse censetur, pro *veretro*, nisi quis a φαλὸς et φάω, *albo*, *splendido*, potius derivare velit, dicit enim lig-

[illegible] *[illegible]*, et ita *album* factum. Addi po-[illegible] [illegible] [illegible] אשרה *Aschere* jungi, sive pro *luco* Ve-[illegible] [illegible], sive Venere et Luna, capiatur.

§. LXXIII. 2. Praelium cum *Cuschaeis*, quorum notitiam [illegible] tradam, Arabibus, Asam inmensa copia in-[illegible], et pacem ac reformationem regni, ut dixi, in-[illegible], anno itaque Asae 10*mo*, quousque *pace* gavi-[illegible] 2 Chron. XIV: 1. quod etiam tradit Jos. Ant. VIII: [illegible] Regnum Asae valde gloriosum fecit, et de favore [illegible] ipsum, reformatorem illum regni insignem, fuit [illegible] Tanta enim clade adfecti sunt, ope Jehovae, ut [illegible] fuerint *confracti*, absque ut in unum conglobari, [illegible], aut viriliter agere amplius pro eo tempore potue-[illegible]. Hic enim sensus est phrasios 2 Chron. XIV: 12., [illegible] historia tantum traditur, silente lib. Reg., *et ceci-[illegible] ut non amplius fuerit ipsis* מחיה non, [illegible], acsi nemo mansisset vivus, quod ab usu vo-[illegible] [illegible] quoque abhorret, sed *compactio*, et for-[illegible] ut modo dixi. Exserit enim vox Hebr. hic [illegible], in *compactione*, coagmentatione, vel [illegible], situm. Qua occasione, ut est 2 Chron. XV. [illegible] spiritu prophetico, Asae, et populo Judae [illegible], miserrimam Israelis sortem, quam postea, ob [illegible] a Jehova, subiret, coram oculis depinxit, ut [illegible] exemplo, sese, sicut nunc faciebant, Jehovae [illegible] adfixos, et ab omni idololatria solicite ab-[illegible] in eandem conditionem miseram inciderent, [illegible] si Jehovam deserant, eveniret. Spectant [illegible] ad praeteritum, in specie Judicum tem-[illegible] futurum, cum nullum sit, cui omnia [illegible] Israelis nomen eo tempore, a Juda distinc-[illegible] fuerit, denique diserte *prophetia* adpellentur: [illegible] depravatus, a tempore Jeroboami ad fi-[illegible], v. 3. et dein miseriae et angustia-[illegible] v. 5 et 6. quo cuncta fuerunt per

continua

continua bella, et inteſtina diſſidia, confuſa, et Iſraelitae captivi, ſervi, ac omnibus odioſi, quaevis mala paſſi ſunt.

§. LXXIV. 3. Poſtea, incertum quo anno, erupit bellum Baeſae, regis Iſraelis, cum Aſa, cujus cauſam praebuit Baeſa, condendo *Ramam*, ut aditum ad regnum Judae obſtrueret Iſraelitis; quippe qui ingente numero ſeſe Hieroſolymam, religionis ergo, conferebant, poſtquam Dei auxilium in Cuſchaeis debellandis expertus eſſet *Aſa*, rex Judae, 2 Chron. XV: 9. Quem ut inpediret civium ſuorum ad regnum Judae confluxum, ne regnum ſuum eo debilitaretur, ſocietate cum Rege Syriae Damaſcenae inita, invaſit Aſam, et *Ramam* munivit, ut vias omnes inde teneret obſtructas. Sed *annus*, quo bellum incepit, definiri nequit. Tradit quidem autor lib. I. Reg. cap. XV. bellum fuiſſe inter Aſam et Baeſam, *omnibus diebus vitae ipſorum*, ſcilicet quibus una vixerunt et regnarunt. Baeſa vero incepit anno 3*tio* Aſae, et 24 ann. regnavit; adeoque ad annum 26, aut 27*mum* Aſae, qui 41 ann. regnavit. Sed nec verum eſſe poteſt, bellum per annos 24 fuiſſe geſtum, niſi de hoſtili animo vel ſtatu capiatur phraſis *omnibus diebus*. Primo enim *decennio* pace gaviſus eſt Aſa, ut modo vidimus, nec bellum actu geſtum eſt, niſi poſt *Cuſchaeos* proſtratos, et regni reformationem peractam; ut ex dictis patet: ſupplenda itaque phraſis eſt, acſi haberetur: duravit, ex quo coepit, *omnibus diebus vitae ipſorum.*

§. LXXV. Annus ergo, quo bellum actu incepit, manet in incerto. Traditur quidem 2 Chron. XV: 19. *pacem* fuiſſe uſque ad annum Aſae 35*tum*, et ſequente 36*to* erupiſſe ib. XVI: 1. ſed illud conſiſtere nequit, quia Baeſa anno Aſae 26 mortuus eſt; ut modo vidimus. Vulgata habet opinio, annos non regis Aſae, ſed regni Judae intelligendos eſſe, epocha ab initio Rehabeami ducta, ita ut annus 35*tus* ſit Aſae 15*tus*, ſed nec phraſis, nec ſtilus uſitatus, id fert, nec etiam in eum Aſae annum convenit, cum tunc totus in regno reformando fuit. Nihil ſupereſt, quam ut

et hic vitium in *numeros* statuatur irrepsisse cum Cappello, Marshamo, ac aliis. Nec tamen vera lectio restitui, aut annus determinari nunc potest: nec etiam necesse est, cum illud tanti non sit. Illud tantum observo, occasionem numeri annorum a Chron. XVI: 1. corrupti, repetendam videri ex c. XV: 19. Putatur enim et nunc passim, isto loco de bello Asae cum Israele agi; quod secus se habet, cum sensus sit, Asam fuisse nullo bello cum exteris populis implicitum, postquam Cuschaeos prostravisset, usque ad ann. regni 36*tum*; quando infestari coepit a Syris, et aliis forte populis. Utique postquam regi Syriae, magis quam Jehovae, visus fuerit confidere, ipsi a propheta est denunciatum, *exercitum regis Syriae esse manibus ejus elapsurum*, v. 7. quod utique bellum pro hypothesi habet; quo etiam facit, quod additur, *ipsi* ab eo tempore *fore bella*. Videtur illud bellum ann. 36*to* regni Asae ortum esse, ut c. XV: 19. traditur. Quo loco male intellecto, et ad bellum cum Baesa adplicato, error natus est in numero c. XVI: 1. Coepit vero Baesa ipsi molestiam creare, cum altera vice reformationi incubuit ann. 15*to* regni. De quo supra dixi.

§. LXXVI. Ceterum, solet Asae in hoc bello *duplex* inputari crimen, *unum*, quod regem Damascenum *munere* corruperit, et ad pactum cum rege Israelis frangendum compulerit; *alterum*, quod Deo diffisus, cujus auxilium modo in Cuschaeis prosternendis expertus erat, ad regem extraneum confugerit. Quod posterius quidem ex vero ipsi inputatum est, et ipse propterea a Propheta objurgatus, 2 Chron. XVI: 7. Sed *prioris* respectu excusari potest, 1. quia Damascenum ab hostili in se inpetu tantum abstrahere voluit, et Baesam tanquam hostem tractavit: hostium vero societatem quocumque modo rumpere licet. 2. Regem Damasci quoque ad Baesam invadendum non legitur incitasse, sed unice ad eum cogendum, ne Judam invadat. 3. Denique *antiquius* fuit regis Damasci pactum cum regno Judae, v. 19. cui innixus Asa, eum a recessione cum Baesa, et iniquo

pacto,

pacto, abstrahere intendit. Praeter hoc ipsi vitio vertitur, quod in morbo, sub finem vitae, apud solos medicos, Deo neglecto, solatium quaesiverit; ut 2 Chron. XVI. habetur. Pessime quoque in eo egit, quod prophetam, qui illum ob pactum cum rege Damasci initum reprehendit, male tractaverit, 2 Chron. XVI: 10.

§. LXXVII. Perlustremus nunc gesta et fata Regum Israëlis, qui Asae fuerunt aequales, ductum autoris libri Regum secuti. Quorum primus fuit *Nadab*, filius Jeroboami, qui, Patre adhuc vivo, sed plaga divinitus percusso, et ad regnum inepto, regnum administravit, sed ad brevissimum tempus, cum anno *secundo* regni fuerit a Baesa, per conspirationem, occisus, quo tempore bellum gerebat cum Philistaeis, et in urbe Danis Gibbetone oppugnanda esset, ut eam manibus Philistaeorum eriperet 1 Reg. XV: 25.— Nec Nadabum tantum, sed totam domum Jeroboami, e medio sustulit; eoque ipso denunciationem per Achiam prophetam, ipsi antea factam, cap. XIV: 10. exacte implevit. Transiit itaque regnum ad aliam domum et tribum. Successit enim ipsi hic ipse *Baesa* e tribu Issascharis, licet non melior aut prudentior, adeoque idem quoque fatum nactus, 1 Reg. XV: 33. et XVI: 1—7. Tenuit enim eadem instituta, quae Jeroboam, aeque etiam obstinate, contra expressam Dei per prophetam Jehu admonitionem et interminationem, quam Deus prophetae injunxerat, c. XVI: 1. et propheta fideliter ad ipsum retulerat, v. 7. Hac enim ratione duo illi versus, ut sermo historici ab inani repetitione liberetur, capiendi sunt, ut v. 1. sermo Dei ad Prophetam, et v. 7. prophetae ad Baesam intelligatur: quod ipsa vocum structura quoque docet, vel admittit. Eandem vero sortem, et ob eandem rationem, ipsi et domui ejus eventuram, significatur v. 7. verbis ultimis: *ut sit instar domus Jeroboami, et propter quod percussit ipsum.* Quorum sensus est, Baesam fore sicut *domum Jeroboami*, aeque ac hunc, cum ipsa domo, exstirpandum, et eandem ob caussam, ob quam occidit

Deus Jeroboamum. Dictum erat, judicium Dei eſſe Baeſae [illegible] propter *malum*, quod fecerat, dein additur, judicium in eo ſitum eſſe, quod *domui* Jeroboami ſit ſimilis futurus, quum ſubjungitur, ideo ipſum ſimilem futurum, quod eadem commiſerit crimina, quae Jeroboamo excidium adtulerunt. Contigit quoque utrique eadem ſors, ut hiſtoria docet. Cum enim 24 annos regnaſſet, initio a *tertio* Aſae facto, filius ejus Ela, cum *biennium* regnaſſet, eodem modo ac Nadab, filius Jeroboami, tractatus eſt, a ſervo ejus Zimri, una cum tota domo Baeſae occiſus, et exſtirpatus, c. XVI: 8.— Nihil praeterea de his regibus memoriae proditum eſt, niſi quod cum Rege Judae Aſa bellum geſſerint, ut in hiſtoria Aſae habuimus. Sed et *Zimri*, poſt *quinque* dies, poenas luit, ab Omri occiſus, quem exercitus, in obſidione Gibbetonis adhuc occupatus, evexit, et regem fecit: ib. 15—20.

§. LXXVIII. *Omri* vero, quintus rex Iſraelis, tempore Aſae, ab exercitu proclamatus, rex deinceps, poſt ſuperatam factionem aemuli ejus Tibni, a toto populo adſumtus. Qua ratione nova rurſus familia ad regnum Iſraelis pervenit; ſimul cum ea nova introducta eſt regni ſedes. Omri enim regiam tranſtulit *Samariam*, emto monte ab ejus domino *Semer*, et urbe ibi condita, ac a vetere ejus domino adpellata, 1 Reg. XVI: 24. Diſtabat haec urbs paucis leucis *Sichemo*, verſus ſeptentrionem, in extremo limite tribus Ephraimi, poſtea celeberrima facta: ut hiſtoria docebit. Ceterum cum regnare dicitur incepiſſe anno 31*mo* Aſae v. 23. illud de tempore capiendum eſt, quo, Tibni devicto, regnum [illegible] eſt ſtabile et pacificum, adeoque *quadriennio* poſtquam rex factus eſſet in caſtris, uti ex v. 15. coll. 29. patet. Regnavit 12 annos, 6 Thirzae, et 6 Samariae, epocha ab eo tempore ducta, quo in caſtris rex factus eſt, ſolus tantum 8 annos praefuit. Ipſi ſucceſſit filius *Achab*, ſextus rex tempore Aſae, ſed cui ſupervixit, et Joſaphato, regi Judae, aequalis fuit: ib. v. 29.— In cujus hiſtoria autor libr. Reg.

Reg. valde eſt prolixus, propter Eliam, celeberrimum illum prophetam, qui tunc floruit. Praemittit hiſtoricus c. XVI: 30.— generalem conſpectum idololatriae per ipſum introductae, praeter eam Jeroboami, Phoeniciae ſcilicet, ſuaſu uxoris Jezabelis, filiae Eth-Baalis, regis Sidoniorum, quam ſibi in ſuam et regni perniciem adſociaverat. Mentio quoque hujus regis eſt in fragmento Menandri apud Joſ. Ant. l. VIII. ubi Ithabal adpellatur, et 32 annos regnaſſe traditur. Refert quoque ex eodem Joſephus, famem et ſterilitatem fuiſſe in Phoenicia per *unum* annum; cujus mentio etiam reperitur in hiſtoria Achabi, ſed quae in Cananaea diutius duravit, 3 ann. et 6 menſ., tardius enim coepit in Phoenicia, et citius finita eſt; quod ex ipſa Hiſt. S. firmari poteſt.

§. LXXIX. Haec idololatria Phoenicia, ab Achabo inter Iſraelitas introducta, pro *objectis* habuit *Herculem* et *Aſtarten*, et ſita fuit in primogenitis igne comburendis, vel luſtrandis, partim in exercitiis Venereis. *Hercules* autem Tyrius, etiam Thaſius, et AEgyptius, probe a Graecorum, Amphitryonis et Alcmenae filio, quippe longe recentiore, diſtinguendus, teſte etiam Herodoto, pro hieroglypho ſolis, antiquiſſimi et vulgatiſſimi Numinis Gentilium, habetur; cui etiam omnia recte conveniunt nomina. Adpellatur 1. *Hercules*, ſive הראה כל, aut אור כל *inſpector* et *illuſtrator* univerſi, uti Macrob. Saturn. l. I. cum nuncupat, τὸν ἐν πᾶσι καὶ διὰ πάντα ἥλιον; vel et ערקל Syr. *feſtinus*, celer; uti Ammon Deus כמוש *Camus*. 2. In fragmentis Sanchoniat. *Beel-ſamen*, בעל שמים *dominus coelorum*, uti in Script. S. בעל *dominus* eximie. 3. *Melicartus*, μελίκαρθος apud Phil. Bybl. ex Sanchoniat. מלך-קרתא *rex civitatis*, πολιοῦχος. 4. In Script. S. מלך *Molech rex*, et ענמלך *Anmelech* rex opulentus, et divite vena aliis ſuccurrens; quae verbi ענה poteſtas eſt, etiam אדר-מלך *Adarmelech*, *rex magnificus* 2 Reg. XVII; 31. Ritu autem infami et horrifico colebatur, primogenitorum vel *combuſtione*, vel *luſtratione* per ig-

nem. Quo utroque modo hanc idololatriam fuisse exercitam, nunc satis constat: *prioris* descriptionem jam dedit in historia Carthaginensium, origine Phoenicum, Diod. Sic. l. XX. Script. S. diserte memoravit, ex. gr. Deut. XII: 31. 2 Reg. XVII: 31. *Posterioris* exemplum est apud Dionys. Halicarn. in historia Romuli, urbem post fratris caedem expiantis et initiantis, *populum piaculi causa per flammas salire jubendo.* Utrique quoque ritui recte adplicatur phrasis, Hebr. העביר למלך, et העביר למלך באש 2 Reg. XVI: 3. 2 Chron. XXVIII: 3. Ezech. XX. et alibi, *transire facere ad Molechum* h. e. *consecrare* ei per *ignem*, sive comburendo, sive lustrando. Alterum numen, Dea Sidoniorum, adpellatur עשתרת *Astarte* 1 Reg. XI: 5. incertum *unde* et *quare?* de quo variae prostant Doctorum conjecturae, hic non recensendae. Addere tantum liceat aliam, vocem posse conferi compositam ex עשת et תר, et significare *serenum*, ac beneficum, *orbem*: utique תור seriem denotat orbicularem, a rad. *obire*; *gyrare*; et עשת est *nitor* candidus ac serenus, Cant. V. unde figurate pro splendida sumitur fortuna, et alia translatione *nitere* erga aliquem est benignum et propitium esse, ansa sumta a coelo nitente et sereno. Habetur pro emblemate Lunae, quae *regina coelorum* dicitur Jer. VII: 18. et in *lucis*, ac venereis exercitiis, colebatur: quo pertinet vox אשרה *Aschera* 1 Reg. XVI: 33. licet pro *simulacro Deae* aliquando etiam usurpetur: sed prolixiori hic esse non licet.

§. LXXX. Casu singulari tempore Achabi, in Hierichunte, a Bethelita aliquo, (בית האלי enim omnino est *Bethelita*, ut בית הלחמי 1 Sam. XVI: 1, 18. *Bethlechemita*,) satellite et idololatra Achabi, (Jericho enim tunc, ut ex hoc loco liquet, ad regnum Israelis pertinuit) reaedificata, sub auspiciis inpii Regis Achabi, ad veram religionem pro[illegible], quippe contra inprecationem divinam a Josua olim factam, Jos. VI. sed quae in confirmationem ejus cessit, cum *inprecatio* exacte fuerit in duorum filiorum aedifi-

catoris

catoris nece, tunc facta, inpleta, hoc inquam, caſu narrato, c. XVI: 34. hiſtoria ad *Eliam*, Achabi ſeverum cenſorem, et verae religionis vindicem acerrimum, prophetam celebratiſſimum, tranſiens, cap. XVII. eum abrupte introducit, nec genus ejus deſcribens, nec prophetam nuncupans in principio; quippe ſatis notum et celebrem, vel *ſolo* ſuo nomine *Eliae*. Tantum ejus *patriam*, vel et forte *locum* habitationis memorat, ubi eum *Thiſbitam ex advenis Gileadis* adpellat, *Thiſbitam* ab urbe Thiſbe, in ſuperiore Galilaea tribus Naphtali, ad auſtrum Cadeſch in Naphtali, uti Relandus in Palaeſt. demonſtravit, unde fuit oriundus, et unum *advenarum Gileadis*, a loco, ut putatur, habitationis in Gilead. Quod tamen minus certum eſt, cum vox מתשבי, aliter punctata, poſſit verti *e Thiſbi Gilead*, ut LXX et Joſ. habent: quo admiſſo de alia *Thiſbe*, in Gilead ſita, cogitandum foret. Sed, his miſſis, illud mihi certius videtur, illum hoc tempore in tractu Hierichuntino, ubi ſchola erat prophetarum 2 Reg. II. inter medios prophetas fuiſſe, tanquam eorum primum et ducem, verſatum, cum Eliſa, ejus ſucceſſor, ibi ſedem habuerit, et Achabum hic habuerit obvium, ſub cujus auſpiciis *Jericho* fuit, tanquam urbs, reaedificata. Quae vera ratio eſt Eliae ex abrupto memorati, occaſione iſtius reaedificationis, et inprecationis Joſuae inpletae. Ex quo nexus cum ſuperioribus ſponte eluceſcit. Accedit, verba Eliae, tunc ad Achabum facta, quibus ſterilitatem et famem ipſi et populo denunciavit, conſpectum *inprecationis*, juramento confirmatae, ferre poſſe, adeoque eo reſpectu haud abſimilia verbis Joſuae, et aeque certo inplenda, ſicut de verbis Joſuae nunc adparuerat. Licet vero *denunciatio* tantum memoretur, cum tamen ea *malum* contineat, quod Elias a Deo, tanquam juſto vindice ſcelerum, repetit, *inprecationis* conſpectus cenſeri nequit alienus: maxime cum a *precibus* ſuis ſuſpendat finem iſtius mali, et Jac. V: 17. *precibus* Eliae et fames, et ejus finis tribuatur, argumento, verba Eliae ſimul fuiſſe *inprecatoria*;

[illegible] futura mala per modum precum [illegible] expresse addat Elia, in pro- [illegible] *stare coram Jehova*, Deo et su- [illegible] significare videtur, hanc sterilitatem [illegible] considerandam esse tanquam per- [illegible] ministri, legati, et prophetae, si- [illegible] veri Dei, exstans signum, sicut in seq. [illegible] igne coelitus delapso. Phrasis, *stare* [illegible] significatum, ut constat, omnino prae-

[illegible] comminatoria sterilitatis ac famis denunciatio- [illegible], duratione non addita, a precibus Eliae [illegible] fata Eliae, tempore famis narrantur se- [illegible] mox, jussu Dei, a conspectu Achabi, [illegible] *torrentem*, vel vallem, *Crith juxta Jorda-* [illegible], et sustentaretur: sicut partim miracu- [illegible] cibum adferentes, partim ordinaria via per [illegible] factum est c. XVII: 1—7. Ratio secessus [illegible] ignotum, non tam fuit, ne occidere- [illegible] quam ne sollicitaretur de fame terminanda, [illegible] potestate dixerat: cujus indicium quoque [illegible] termino famis ante fores existente, jussus [illegible] manifestare. Ceterum *locus*, ubi occultus [illegible], vel vallis, *Crith*, definiri nequit, nisi in [illegible] proxime Jordanem, in parte ejus *citeriore*, [illegible] *trans*, sed *juxta* Jordanem ponatur. Se- [illegible], in *secretis fidelium crucis*, apud Reland. [illegible] duxit e *monte*, prope *Fasaelem* urbem [illegible] conditam, *tribus leucis a Jordane*, *ad plu-* [illegible] *tis*. Ceterum *corvos*, proprie dictos, [illegible] diebus, mane et vespera, ipsi cibum [illegible] posito, ut debet, miraculo, nihil habet [illegible] mercatores, sive *Orebitas*, a loco Oreb [illegible] Arabes, uti nonnullis fuit visum jam tem- [illegible], ut ipse testatur ad Jos. XV. l. V. dudum evicerunt

evicerunt Docti, Bochart., Reland., alii. Vox enim Hebr. alium non admittit significatum, nec Historicus aliquid memorat, ad alium usum definiendum, nec tam tuto latere potuisset, si ab ejusmodi hominibus cibus fuisset adlatus; nec tunc necesse habuisset apud torrentem latitare, eoque exsiccato, discedere, cum aeque *potare* ac cibare ipsum potuerint.

§. LXXXII. Fluvio sub *finem dierum* vers. 7. incertum *quot?* vulgo quidem *unius anni*, sine solido fundamento, (ימים *dies* pro anno sumi mihi non constat, nisi aliquid addatur, unde id patescat) exsiccato, licet aeque potus ac cibus ei miraculose potuisset suppeditari, Deus voluit, ut inde ad *viduam* Sareptanam sese conferret, partim, ut longius secederet, ne forte penuria aquae excitati homines in Eliam inciderent, ut cap seq. factum legimus, partim, ut piae viduae alienigenae, praeterito Israele, tanquam indigno, succurreret, eamque cum domo aleret, quo quasi vocationi gentium fuit praelusum. Fuisse enim *gentilem*, licet a veri Dei cultu non alienam, ex Luc. IV: 26. et ipsa historia elucescit, *Jehovam* enim adpellat Deum *Eliae*, tanquam Hebraei, et habitavit *Sareptae* Sidoniorum, quae inter Sidonem et Tyrum media erat, a fundendis vitris, vel conflandis metallis nomen nacta, optimo quoque vino celebris. Cum hic aliquandiu versatus, et miraculose a vidua sustentatus esset, incertum etiam *quamdiu?* cum in genere tantum ימים *dies* memorentur v. 15. funestus accidit casus mortis filii viduae, sed qui ad Eliae autoritatem confirmandam cessit, mortuo per ipsum resuscitato; v. 17.— Qui singularis casus verbo est illustrandus. Mater morte filii nimium contristata, in aliquam cum Elia erupit expostulationem, acsi non ad benefaciendum, ut visum in initio fuerat, venisset, sed ad memoriam peccati renovandam, et se in filio puniendam, adeoque ut per tam sanctam personam, ad se missam, commissa sua manifestarentur et vindicarentur: sicut Deus per prophetas *visitare* censebatur peccatores. Cum vero filium

 recepisset

recepiſſet vivum, jam nunc ſeſe intelligere dixit, ipſum eſſe *virum Dei*, ſeu eximium, et Deo gratum prophetam, qui quicquid petierit a Deo inpetrat: non ergo *ſanctum* tantum, ut initio putavit, ſed excellentiſſimum prophetam ex hoc miraculo, majore cum fiducia, collegiſſe. Videtur autem Elia ſeſe primum *extendiſſe ſuper puero*, ut tentaret, num non deliquium potius quam mors eſſet, quia recens de ſinu matris erat ſumtus, adeoque per *calefactionem* reſtitui poſſet. Quod cum non ſuccederet, ad *preces* ſe vertit, et Dei ope vitam reddidit mortuo, cum Deus eum exaudiviſſe dicatur. Quo illuſtri miraculo Eliae prophetica perſona, piis ſalutaris, ſed inpiis terribilis, eſt confirmata.

§. LXXXIII. Quo facto poſt *dies multos*, ſcilicet morae ejus apud viduam, *anno tertio*, ſcilicet famis, jam expleto, jubetur Elias ſeſe Achabo manifeſtare, et poſt Majeſtatem Jehovae publice vindicatam, adnunciare ipſi pluviam, mox ſecuturam, ſicut factum eſt cap. XVIII. *Tertius annus*, v. 1. memoratus, dubium eſt, num famis, an peregrinationis Eliae, primum apud fluvium, dein in domo viduae, ſit intelligendus. *Priore* ſenſu annus tertius *expletus* ſtatui debet, cum fames *tres* annos, et 6 menſ. duraverit, uti a Chriſto in euangelio, et Jacobo c. V. adfirmatur: ſed poteſt etiam de mora Eliae, non apud viduam tantum, ſed et ad fluvium capi; quae minus temporis ſpatium, quam ſterilitas, potuit duraſſe. Ceterum licet *mandatum* Dei ſimpliciter habeat, ut ſe Achabo ſiſteret cum promiſſo pluviae, includitur tamen proſtitutio idololatriae ante facienda: quia Elias v. 36. diſerte dicit, ſe *ſecundum verbum Dei* omnia illa feciſſe. Eſt itaque et hic, ut alibi ſaepe, *reticentia* hiſtorica.

§. LXXXIV. Stitit ſeſe Achabo ſingulari occaſione et modo: uti v. 3—16. narratur. Fame vehementer graſſante Samariae, Achabus, aulaeque ejus praefectus Obadja, vir pius et religioſus, ad quaerendam aquam et *foenum*, vel *herbam virentem*, quae vis vocis חציר eſt, exierunt in agrum, ſinguli

guli seorsim, ut *equi et muli* in vita conservarentur, nec ex *reliquis jumentis* quid *exscinderetur* defectu alimenti, quem sensum ultimae voces, et *non exscindamus e jumentis*, omnino habent. Quo in opere cum versarentur, incidit Elia in Obadjam, eique in mandatis dat, ut Regi, sese mox eum visurum esse, adnunciet, et mox, cum difficultatem moveret hoc faciendi Obadja, juramento confirmat. In quo sermone Obadjae illud nostram meretur adtentionem, quod dicat, se, quo tempore Jezabel *prophetas Jehovae* neci dederit, occultasse *centum*, *quinquaginta quinquaginta* (bis enim v. 4. legi debet חמשים *quinquaginta*, uti v. 13.) h. e. quinquaginta secum in una spelunca. Quaeritur enim, quando id fecerit Jezabel et quare? Videtur tempus famis huic tyrannidi adsignandum, quippe quod speciosam inprobae foeminae id patrandi rationem praebere poterat. Cum enim pro autore famis Elia haberetur, et ipse delitesceret, furorem in scholam propheticam, Eliae subjectam, effudit, et 100 filios prophetarum occidit, tanquam socios Eliae, qui partem habebant in perturbando Israele, uti Eliae mox inputavit Achab v. 17. In hoc quoque famis tempus rectius quadrat, quod *pane* et *aqua* eos tantum sustentaverit in spelunca Obadja. In colloquio vero Eliae cum Rege, cui sese mox praesentem stitit, v. 17.— illud memorabile est, quod Elias *perturbator* Israelis a Rege adpelletur, et quidem famosus ac insignis; (hanc enim emphasin habet ejus dictum v. 17. *tune* זה *iste* scilicet ades?) ob calamitatem scilicet famis, ipsi inputatam, non acsi qua verus Jehovae propheta ejus ageretur reus, sed quia dixerat, *pluviam* a suo verbo pendere, et interea tam diu se occultaverat, nec malo succurrerat. Sed quod, postquam Achabum, tanquam idololatriae Phoeniciae introductorem, dixerat *famis* esse autorem, Israelem, cum falsis prophetis, convocari velit ab Achabo ad montem Carmelum, petitionis *ratio* est, quod notari velim, licet eam prudenter reticuerit, ne Achab recusaret, ut prostitueretur idololatria, et de Majestate Jehovae publice

conſtaret, ſimul in omnium oculos ingereretur, veram tantae calamitatis cauſam in illa quaerendam eſſe idololotria. Sicut ſequentia comprobant.

§. LXXXV. Populo per Achabum in unum, cum Prophetis Baalis, coacto ad montem, ſimul in quaeſtionis, ſitne *Jehova* an *Baal* verus Deus, decidendae modum, ab Elia propoſitum, per *ignem* coelitus in ſacrificium, ſuper altare poſitum, delapſum, illudque conſumentem, conſentiente, Baalitae ſeſe clamoribus et inciſionibus fruſtra fatigarunt, ipſo altari, ab Elia Jehovae erecto, quod, quo minus reſpondeat Baal, putarunt ſuperſtitioſe inpedire, *luxato* in parte ſuperiore, et ſic compagibus ſolutis: hic enim ſenſus eſt verborum v. 26. ויפסחו *luxarunt ſuper altare* (in parte ejus ſuperiore, quam emphaſin hic et alibi habet על, qua *ſummum* dicit,) *quod fecit*, ſcilicet Elia, quod ex ſequente verſu ſupplendum eſt, ſi forte non exciderit nomen *Eliae*, per ſequentem verſum abſorptum. Lectio עשו, quam nonnulli cod. Mſſ. habent, *fecerunt* ferri nequit, et ex עשו pro עשה ſicut Dan. XI: 10. in יתגרו, ut in comm. docui, orta eſt. Verbum enim פסח *luxandi*, ac *laxandi* habet poteſtatem propriam; unde et *claudicandi* uſus a luxato laxatoque membro fluxit, quem et hic v. 21. exſerit, *quare claudicatis ſuper duobus adfectibus* et *amoribus*, quaſi religioſis (hic הסעפים dictis, quatenus totum cor occupant, et intime turbant, ſignat enim vox proprie cacumen rei, in ſpecie *caput cordis* vel venae,) nunc ad Jehovam, nunc ad Baalem inclinati, utrumque etiam in ſuo inceſſu conjungentes, ac retinentes. Elia vero illis ſalſe illuſit, eoſque proſtituit, quod Deum adorarent, qui pluribus intentus eſſe non poſſet, ſubinde dormiret, adeoque gravioribus eſſet excitandus clamoribus, et ad adtentionem revocandus, v. 27. Vox שיח meditationem denotat profundam, a propria *ſubſidendi* poteſtate: ſecunda vero שיג, a שוג vel סוג *avertere*, ſecedere, eſt *ſeceſſus*, vel ſeptio, ſepimentum, quo quis occultatus eſt, et circumſeptus, denique דרך *via* non *iter* ſignat, quod nec

phraſis,

phrasis, nec res ipsa patitur, vult enim Elia, ut *fortius clamarent*, quod in absentem non quadrat, sed *negotiationem*, qua quis occupatus est. LXX eodem sensu χρηματίζει verterunt. Quo facto, ignem mox a Jehova inpetravit, qui coelitus delapsus sacrificium, licet aqua perfusum, una cum *aqua*, magna copia circa altare congesta, mox absumsit. Cujus miraculi consequens fuit populo quidem pro eo tempore salutare, cum Jehovam proclamaverit solum verum Deum, sed Baalis-sacerdotibus perniciosum, quippe jussu Eliae a populo *mactatis*, v. 40. Quod Eliae facinus extraordinarium quidem fuit, sed divino instinctu vel mandato, quod ipsum in toto hoc negotio direxit, v. 36. factum, nec legi tamen adversum, quin consonum Deut. XIII., aut relate ad vates illos injustum, cum autores fuerint perturbatae civitatis, et caedis tot verorum prophetarum, a Jezabele perpetratae. Ex quo facile elucescit, quam perverse hinc infame illud *haereticidium* colligatur, aut justificetur.

§. LXXXVI. Quibus peractis, *pluvia* mox abundantissime, ad Eliae adnunciationem, et preces, fuit concessa v. 41.— Elia sese in terram incurvatum *jactitante*, ac concutiente, (quod est גהר v. 42. proprie *jactitare* et agitare ex. gr. utrem, butyri eliciendi ergo, sicut 2 Reg. IV: 34. etiam sumitur) *facie inter genua* posita, in signum precationis, profundae meditationis, et patientis exspectationis pluviae, coelum tandem, a tenuissima et parva nube facto initio, *usque huc, usque illuc*, quaquaversum (quod hic denotat vers. 45. עד-כה ועד-כה relate scilicet ad loca vel partes coeli) *obtenebratum est nubibus*, et magna pluviae copia est effusa, Achabo citissime Jizraelem curru properante, sed Elia citius adhuc praecurrente, ut laetitiam super re bene gesta significaret, simul se in opere Jehovae strenuum ac inperterritum exhiberet, imo se regis fidelem fore ministrum, et praecursorem, si in Jehovae cultu perseveraret, profiteretur. Sed illud longe aliter cecidit. Cum enim Achab facta Eliae adnunciasset inprobae uxori, ea mox per nunci-

um Eliae denunciavit necem instantem: quando ipse, timore correptus, fuga sibi consuluit, et abiit *Bersebam* Judae. Punctatura Masoret. in verbo וירא vers. 3. quidem habet, *et vidit*, sed Gr. Syr. et Lat. aliis cum punctis *et timuit*, quod longe aptius est huic loco. *Berseba* vero *Judae* adpellatur, licet in tribu Simeonis fuerit, quia in regno Judae fuit. Hic servo relicto, solus, et nullo instructus viatico, unius diei iter confecit, quum prae fame defecit, et ad mortem se praeparavit, sub *genista* (quae רתם adpellatur, quod virgae ejus, ad nexum flexumque faciles, firmas praestent ligaturas, rad. enim *adligare*, *jungere*, denotat.) una, sive vel in loco arido ac sterili *solitaria*, vel eximia et singulari, *recumbens*. Hic sese prae fame moriturum sentiens, nisi Deus miraculose intervenirет, ad mortem se composuit, eam vitae praeferens, quia ministerium suum in Israele deprehenderat inutile, seseque indignum judicabat, cui Deus miraculose rursus succurrat, quo verba ejus tendunt, *non sum patribus meis melior* etc. Sed aliter Deo visum fuit, qui per angelum eum ad *edendum* excitavit, idque bis, priore vice ad famem pellendam, altera ad vires, longiori itineri sufficientes, acquirendas. Quo sustentatus, et refocillatus, se ad iter persequendum adcinxit, et ad montem Dei Horeb venit, ubi se in spelunca occultavit, et singulari plane *viso* honoratus est, obiter hic illustrando. Pluribus enim illud exposuit, plane ad mentem meam, Cl. Verschuir in peculiari Diss., quae legenda est.

§. LXXXVII. Contigit ipsi visum, quod ante omnia, ut verus sensus et scopus intelligatur, notandum est, partim iram et vindictam divinam in Idololatricum Israelis regnum [illegible], partim indignanti, quod illud in legem et prophetas Jehovae impune grassaretur, partim dolenti verum Dei cultum in illo exstinctum, omnesque ejus cultores, se solo excepto, ut putabat, deletos, denique officio reformationis, in quo hucusque fuerat, cum desperatione se subducere [illegible], ac mortem expetenti. De qua commoti animi tempestate

tempestate ex ipsa historia, et verbis Eliae, facile constat. Oblatum autem ipsi visum est in monte *Horeb*, altero celeberrimi montis in deserto Arabiae colle; de quo monte lex olim fuit divinitus promulgata, et in quo Moses tot quoque dies fuit cum Deo conversatus, ac leges accepit. Hujus enim montis alter collis erat *Sinai*, alter *Horeb*. Hic cum in spelunca pernoctaret, audivit *ventum*, cumque procellosum, qui ingentem simul dedit fragorem, simul obvia prostravit, dein *terrae motum*, in horribili terrae concussione situm, et tunc *ignem* fulminantem, cui nihil restitit, denique *tenuem sonitum*, vel potius *susurrum complanationis tenuissimae*, h. e. aeris complanatissimi ac sedatissimi susurrum, (vox enim דממה exprimit proprie statum aeris nullo modo turbati, sed tranquilli, complanati) unde *vox* fuit audita, v. 12. qua Eliae fuit dictum, *egredere, et sta in monte coram Jehova*, (verba enim illa v. 11. loco mota, et vers. 13. praemittenda sunt) quando Jehovam audivit ad se loquentem; *tria* enim priora phaenomena dicuntur praecessisse Jehovam, adeoque in iis non praesentem, *postremo* itaque praesens adfuit. Quo indicatur, *ventum*, *tremorem* et *ignem* non fuisse praesentiae Dei symbola, sed solum aerem tenuissime sedatum, nec ex illis, sed hoc tantum Deum fuisse cum Elia locutum.

§. LXXXVIII. Quid sibi haec emblemata velint, quove tendant, non est difficile explicitu; si quis ad Eliae ac regni statum, cui adcommodata fuerint necesse est, adtenderit, praeterea oraculum Dei, ad Eliam delatum, adverterit, quippe quod ad ipsum visum respexisse, et ejus explicationem tradidisse, censendum est; maxime cum emblemata illa sint judiciorum divinorum usitatae imagines, et ipsa illa judicia in oraculo promulgata, aeque ad *ternarium* numerum ac emblemata sint redacta v. 17. *quisquis evadet gladium Chazaelis, eum interficiet Jehu, quisquis vero subducetur gladio Jehu, eum occidet Elisa*: et illi ipsi sunt quos ungeret Elia, illos reges, hunc prophetam. *Primum* itaque, procellosi, et quaevis alta ac firma prosternentis, *venti*, triste Israelis fatum,

 quod

quod Chazaelem, regem Syriae Damascenae, autorem haberet, clare ob oculos ponit; praebere enim solet talis ventus imaginem motuum bellicorum, non intestinorum tam, quam extraneorum, ab hostili exercitu extraneo in terram irruente: historia quoque, ut mox patebit, consentit. *Secundum, terrae motus*, cogitationem injicit intestini et furiosi hostis, qui *insani* ad speciem, acsi nullo ageret consilio, omnia quam citissime subvertit, et summa imis miscet. Quod quam apte in Jehu, Joramum subito invadentem, domum Achabi universam delentem, et totam regni formam mutantem, quadret, nemini non ex historia notissimum est. Judicium itaque Dei in idololatricam Achabi domum et regnum, a Chasaele inceptum, ipse perfecit, eaque ratione gladio Chasaelis ereptos interfecit, uti v. 17. habetur. Secuta vero haec intestina commotio est cladem Israeli illatam a Chasaele 2 Reg. IX. *Tertium* emblema, *ignis* fulminantis, ad Elisam referendum, intelligi potest de judiciorum divinorum propheticis denunciationibus, cum, quod prophetae futurum esse divinitus praedicunt, id ipsi facere dicantur, uti Jer. I: 10. Ez. XXXII: 18. XLIII: 3. Nec abhorret emblema *ignis*. Sic enim Deus ad Jeremiam cap. V: 15. *ecce pono verba mea in ore tuo, ut ignem: populum vero hunc in stipulam, quam devorabit ignis*. De duobus quoque illis testibus Ap. XI: 5. legitur, *ignem ex ore ipsorum prodire, ac consumere inimicos*. Sed si ulterius sit extendendum, statui potest, id quod de Elisa habetur exsecutioni non fuisse mandatum, quia opus non erat, cum nihil reliqui fuerit, post invasionem Jehu, de stirpe Achabi, quippe quam, una cum horrendi idoli Baalis cultoribus, funditus exstirpavit: quo visum primo et directo sensu in primis spectat. Loquitur quoque Deus conditionate, vers. 17. *quisquis vero subducetur gladio Jehu, eum occidet Elisa*; scilicet sicut Elias fecit, ignem de coelo mittendo: si nimirum de inpia stirpe quid superesset.

§. LXXXIX. *Quartum* emblema, lenissimae ac complanatae aurae,

aurae, referri 1. potest ad occultum et silentem eorum statum, qui notabili satis numero, ad 7000 usque, sese grassantis idololatriae reos non egerant, verae religionis officiis in occulto defuncti, et meliora tempora patienter exspectantes: quod eo magis licet, quia eorum mox meminit, post tria illa judicia ordine enarrata, oraculum divinum, simul ad animum Eliae sedandum, adeoque ad scopum visi, adcommodatum est. 2. Praebet quoque animi sedati ac compositi, adfectuum tempestate non commoti, animi mitis ac moderati, pulcherrimam imaginem: cui et hic recte datur locus, cum ad sedatiorem animum Eliae, nimium perturbato, ac irato, inspirandum et aptum sit, et tendat quoque visum. 3. Denique complanatus aer, vehementiores commotiones excipiens, statum Reip. serenum, tranquillum et florentem, post motus illos sedatos, egregie repraesentat. Quod a scopo, inprimis mystico ejus intellectu, quoque non est alienum. De quo, ut et de praesentia Dei, *tribus* emblematibus negata, sed *postremo* adserta, aliisque ad visi illustrationem pertinentibus, nunc agere non licet.

§. XC. Hoc viso instructus et erectus Elia, ut in ejus historia pergam, jubetur, ut *secundum viam suam rediens eat desertum versus Damascum*, c. XIX: 15. h. e. per desertum Damascum petat, primo *desertum*, dein Damascum. Designat vero מדבר *desertum* hoc loco campestrem regionem, ad occasum Jordanis, a mari Gennesaret ad mare mortuum usque, in specie Hierichuntinam; quae vocis satis usitata est significatio, inde ducta, quod pascendo gregi sit aptus ille tractus. Denotat enim desertum patens, et *pastui* aptum, ubi pecora possunt agi, quam vim continet verbum דבר. Hanc autem viam voluit Deus ut insistat Elia Damascum tendens, quia ibi in Elisam incideret, terram quippe arantem in *Abela Mechola*, v. 19. qui locus situs fuit in *magno campo* Jordanis, ad ejus occasum, haud procul Betschean, seu Scythopoli, in tribu Manassis cis Jordanem. Mandato porro instructus de ungendo Chasaele rege Damasci, Jehu

 rege

rege Israelis, et Elisa propheta, et iter ingressus, in via offendit Elisam, quem mox *unxit*, non quidem proprie, sed symbolice, *pallio* suo in eum, dum transibat, injecto v. 19. Quo non tantum eum *ministrum* suum declaravit, quod passim recte est observatum, et ex ipso emblemate, ac v. 21. facile elucescit, sed in primis *successorem*, eodem agendum spiritu: quod deinceps ex eventu demum patuit. Elia enim in coelum sublato, *pallium* ejus in terram decidit, et ab Elisa sumtum ac sibi aptatum est 2 Reg. II: 13. Ceterum cum Chazael fuerit rex declaratus per Elisam, incertum num et unctus, Jehu vero jussu quoque Elisae unctus, statuendum est, Eliam, cui illud erat demandatum, illud, instinctu vel jussu divino, Elisae, jam successori declarato, exsequendum tradidisse; ipsumque alio fuisse a Deo destinatum. Judicium utique in Achabum Deus distulit, usque ad mortem ejus, c. XXI: 28.

§. XCI. Achabo per *famis* plagam, tandem sublatam, et idololatriae prostitutionem, Jehovae quoque Majestatis demonstrationem publicam, nihilo meliore, cum populo, facto, secutum est aliud Dei judicium per Damascenorum, sub Benhadado, invasionem hostilem, cum nova quoque divinitatis Jehovae manifestatione in Syris profligatis; ut Rex cum Israele tandem ad saniorem reduceretur mentem. Qui verus conspectus casus ejus est, et narrationis c. XX. scopus. Invasio utique Syrorum, tanquam grave judicium, regno inflictum, consideranda est, sicut antea *triennii* fames; de quo ipse casus, quo totum regnum a Syris occupatum, ipsa Samaria obsessa, et ad incitas redacta est, facile testatur. Liberatio vero, plane miraculosa, eo manifeste tendebat, ut Jehova pro vero agnosceretur Deo, et rex cum populo ab idololatria abstraheretur. Quod sicut ex modo liberationis, per prophetam antea promissae, sponte sua elucescit, ita ipsis verbis adseritur, v. 13, 28. Ex quo simul colligitur, casum Naboti male in vers. LXX Gr. huic esse praemissum, maxime cum iste casus tanquam ultimum in-

expugnabilis

expugnabilis obſtinationis indicium occurrat, et cum infelice ejus morte cohaereat. Ipſa invaſio, ubi *Benhadado*, regi Damaſci, tribuitur, non eſt, ut communis habet opinio, de illo cogitandum, quem Aſa in Iſraelem tempore Baeſae incitavit c. XV. cui Chazael itaque ſucceſſiſſet, ſed de alio ejus nominis, filio et ſucceſſore ejus. Praeterquam enim quod nimis longum inter Baeſam et Achabum, ſeu utraſque illas invaſiones, ſit temporis ſpatium, quam ut ab uno Benhadado inpleri poſſe videatur, Benhadad noſtro loco v. 34. ſuperiorem invaſionem adtribuit patri ſuo. Sunt itaque Benhadadi illi diverſi, et noſter catalogo regum Syriae inter Benhadadum *Primum*, et Chazaelem inſerendus eſt: de quo poſtea ſuo loco. Docet quoque v. 34. citatus, Syros non tantum tempore Baeſae adflixiſſe Iſraelem, urbibus ſeptentrionalibus, et tribus Naphtali captis cap. XV: 20. ſed et tempore Omri, patris Achabi, adeo ut regnum Iſraelis fecerint aliquatenus tributarium. Cujus indicium partim in eo eſt, quod *plateas* habuerit Rex Syriae in ipſa metropoli Samaria v. 34. partim, quod aurum et domum Achabi eo fundamento poſtulaverit rex Syriae, et Achab ei conceſſerit, ſe quoque profeſſus *ſervum* v. 3, 4. Quo in deplorabili ſtatu videtur res manſiſſe, uſque ad hanc novam invaſionem Benhadadi, filii ejus: cujus cauſa mihi fuiſſe videtur propoſitum de regno Iſraelis delendo cum ipſa Samaria, ſive ex ambitione regni ampliandi, ſive alia de cauſa ignota. Teſtatur utique de hoc conſilio regis Syriae, quod iniqua prorſus, nec ferenda, poſtulaverit ab Achabo, quae facile praevidebat ab ipſo non adſumenda, ut hac ratione ipſi naſceretur occaſio regnum illud exſtirpandi. Quod ipſi Achabo quoque ſuboluit, ut verba ejus indicant v. 7. quibus dicit, regem Syriae hanc ſuſcepiſſe expeditionem, *quia malum quaerebat*, ſcilicet excidium totale. Quo verba quoque Benhadadi v. 10. haud obſcure tendunt. Cum enim jactabundus dicit *pulverem Samariae non ſuffecturum pugillis totius populi*, ſcilicet, quem ſecum habebat, uti verba

ſunt vertenda, inmenſam quidem militum ſuorum copiam, et facilitatem occupationis Samariae, ſignificat, ſed ſimul inſinuat, ſe eam in pulverem eſſe redacturum, et plane deſtructurum. Vid. Ezech. XXVII: 4.

§. XCII. In expeditionis narratione illud 1. notari meretur, quod Rex *Samariam* recta tetenderit et obſederit; cum inde pateſcat, eum totum regnum Iſraeliticum, excepta urbe regia, habuiſſe vel ſubjectum, vel metu percuſſum, ita ut nihil eſſet, quod reſiſtere, aut moram injicere, potuerit. Ex quo de miſerabili ſtatu Iſraelitarum facile colligitur. 2. Legationem oppugnationi praemiſſam ad regem Iſraelis, non ex animo pacis ſtudioſo fluxiſſe, ſed eo tantum collineaſſe, ut regiam civitatem ſub aliqua juris ſpecie invadendi occaſio naſceretur, ex intolerabilibus ejus poſtulatis facile eluceſcit. *Priore* vice per legatos dixit, *ſuum* eſſe quicquid auri, argenti, uxorum et filiorum pulchrorum habebat Achabus, ut ſive *juris* confeſſionem Achabo extorqueat, ſive *actualem* traditionem poſtulet. Forte utrumque intendit Benhadad, in ſignum pleniſſimae ſubjectionis, et ad redimendam totalem exſtirpationem; nec aliter intellexit Rex Iſraelis, cum ſe *traditurum* promiſit v. 7, 8. *Altera* vice voluit, ut miniſtris licentia detur aulam regis, et *aulicorum* domos, perveſtigandi, (non enim omnium intendit incolarum Samariae domos, cum *ſervorum* ejus meminit, ut putatur, ſed aulicorum, eo nomine inſigniri ſolitorum, quia ad regias aliquatenus pertinebant poſſeſſiones: quare addit, ſe velle *deſiderabilia* regis,) et pro arbitrio omnia diripiendi. Antea tantum dixerat, ut ipſe Achab daret, ſed nunc *inveſtigationem* per miniſtros ſuos poſtulat, cum ut fraudes Achabi praeveniat, tum etiam *urbem* per ſervos, in eam admiſſos, in poteſtatem redigat. Quod Achab quoque ſubodoratus eſt, ubi dicit, regem Syriae *nil niſi malum quaerere.*

§. XCIII. Legatio cum fruſtra cecidiſſet, minae quoque, multa cum jactatione ad terrendum factae, fuiſſent ſpretae,

rex,

rex, cum regulis, seu satrapis suis, otio et compotationibus sese delectans, *servis* tantum jussit, ut in urbem *irruant*, et eam subito *vastent*; secum statuens, urbem mox, et sine multo labore, in manus suas venturam esse. Hunc enim sensum adferunt verba v. 12. שׂימו וישׂימו, minus intellecta, quia alterum verbum ישׂימו non observarunt, a rad. ישׂם esse derivandum, et השׂימו esse legendum cum שׂ. Verti ergo debent *irruite* (שׂוּם enim, ut alibi, exserit usum bellicum, quo *invadere*, *irruere* denotat) *et siderate super urbe*, vel eam *subito vastate*: quae vera potestas est verbi ישׂם. Robur addit, quod וישׂימו verti nequeat, *et irruerunt*, ut solet, et debet, si a שׂוּם sit, quia antequam sese moverunt, *famuli* praefectorum ex urbe adparuerunt, qui totam illam multitudinem dissiparunt. Per *servos* illos intelligendi sunt satellites et armigeri *principum* provinciarum, uti ex Jonathanis armigero, *puero* ejus dicto 1 Sam. XIV: 6. et aliunde, colligi posse videtur. Per quos, ubi Deus Syros profligaturus esse a propheta dicitur, eos fundamenta victoriae jacturos, uti olim Jonathan cum armigero fecerat, indicatur: ex quo manus Dei evidenter adpareret. Cum vero Achab Prophetam rogat, *quis adligabit bellum*, seu adgredietur? (phrasis ducta est a *curru* bellico, ut plena sit: ligare currum ad praelium Gen. XLVI: 29. 1 Reg. XVIII: 44.) et pro responso accepit, *tu ligabis:* illud de pueris in bellum, instar inperatoris, ducendis, non est, ut solet, intelligendum, sed de praelii initio, num a Syris, an Achabo faciendo, ut sensus sit, egone incipiam, et pueros in hostem ire faciam, an Syrorum exspectabo inpetum, intra urbem meos tenens? Sequens enim narratio docet pueros solos fuisse egressos, et regem non, nisi Syris in fugam actis, exiisse v. 21. Denique, ubi Propheta regem admonet, ut sese *confirmaret*, denuo a Syris oppugnandus, illud in primis intendit, ut insigni hac victoria recte uteretur, urbes, a Syris occupatas, recuperaret, exercitum ex universo populo colligeret, et vertente anno in aciem educeret, regem Syrorum non am-

[illegible] Samariae exspectans. Quod salutare mo- [illegible] Providentiae rationibus congruum, simul ex- [illegible] ut ex altera liquet expeditione, qua [illegible] occurrit ad urbem Aphek, et Syros totaliter [illegible]

[illegible] *Aphek*, ubi sequente anno Syri ingente numero, [illegible] congregati fuerunt, et castra posuerunt, sita est [illegible] prope Jitsraelem, 1 Sam. XXIX: 1. ubi magna [illegible] quam sibi eligendam, et salutarem futuram, [illegible] admodum, opinati sunt Syri, dicentes, Jehovam [illegible] non *vallium* et *camporum*, quippe qui, [illegible] multitudo sese longe lateque expandere et agere po- [illegible] contra eam valet. Adparuerunt quoque Israelitae [illegible] sicut pauci, ita contemtibiles, sicut חשׂפי עזים [illegible], pilis penitus revulsis, ad contemtibili- [illegible] expingendam: sic enim verbum est verten- [illegible], a rad. חשׂף *depilare*. Eventus praelii [illegible] funestissimus, quippe ingente clade adfectis, et [illegible] ad vitam conservandam sese Achabo serviliter sub- [illegible], sed nec regi Israelis fortunatus, quatenus regem [illegible] vita non tantum reliquit, sed et foedus cum eo [illegible], contra Dei consilium et monitum, in proprium [illegible]. Sicut ipsi ab aliquo de schola propheta- [illegible] fuit denunciatum, postquam crimen Regi, insigni [illegible] et apologo, pro more Veterum, ob oculos [illegible], et regi sententiam condemnatoriam contra se ip- [illegible]. Propheta, ad Achabum missus, vultu, non [illegible], sed *tegumento* aliquo, (vox אפר enim re- [illegible] פאר et galerum sublimiorem denotat,) obduc- [illegible] innotesceret, ut justiorem pronunciaret sen- [illegible], Achabum repraesentat, cui Benhadad in manus a [illegible] traditus, probe custodiendus, quem cum salvum [illegible], nec ex negligentia, ut Propheta in apologo a se [illegible], sed ex sinistro in Deum adfectu, ac inclina- [illegible] ad Syros idololatras, cum Syrum esse a Deo devotum,

quia

quia Jehovam, tanquam Deum montium contumelia adfecerat, vel ex miraculosa victoria, sciverit, graviore a Deo poena se esse adficiendum, secundum propriam sententiam, qua prophetae dixerat, *firma et recta est sententia*, (id enim כן, et non *sic* denotat) cognosceret. Cujus effectus fuit, quod rex aestu indignationis, et tristitiae tantopere fuerit correptus, ut de laeta, quin sana mente, recesserit, et omnem perdiderit bonum saporem: uti v. 43. traditur, verbis admodum emphaticis: סר enim est a סרח *recedere*; quod verbum degenerationem, et a recto mentis statu dejectionem, hic et alibi denotat, ut ubi de vino sumitur, quod saporem perdit, et in *vappam* recedit. Altera vox est a rad. זעף proprie *vehemente et venenato aestu* adflavit.

§. XCV. Tanto beneficio mactatus, et a propheta increpitus Achab, tantum abest, ut ad saniorem redierit mentem, ut ad pristinam idololatriam prolapsus fuerit, et ei addiderit per Jezabelem manifestam tyrannidem: cujus notabile dedit in caede Naboti, ac vinea ejus rapta, specimen: quo tandem factum est, ut definitiva sententia in ipsum et domum ejus a Deo per Eliam fuerit pronunciata, exsecutione tantum per Achabi poenitentiam paululum dilata. Quae historia adcurate cap. XXI. traditur. *Vinea*, quam tanto studio petiit Rex, fuisse videtur inter Samariam et Jitsraelem, locum habitationis Naboti, in via ad posteriorem urbem, et ei proxima, ut ex 2 Reg. 21 et. 26. colligi potest, quam cum nec permutatione, nec pretio, licet magno, ipsi oblato, quo phrasis מחיר זה v. 2. non pretium *hujus*, sed *hoc* vertenda, tendit, a Naboto potuisset inpetrare, et propterea summopere tristaretur, Jezabel, detestanda arte, sub aliqua justitiae specie, eam ipsi procuravit. Jussit, litteris nomine Regis, et sub ejus sigillo, ad Senatum Jitsraelis missis, ut Nabot in publico consessu, solenniore aliquo die, collocaretur in *sede regia*, sub specie eum honorandi, sed vere ut rebellionis crimen ipsi, majore cum specie, inputari possit. Eo mihi phrasis בראש העם *in capite populi* tende-

re videtur; quippe quae non simpliciter *coram populo* et in publico, uti *caput* apud Orientales saepe sumi solet, sed majore videtur pollere emphasi, cum a נגד *coram* mox distinguatur, et crimen rebellionis in regem, ac Deum, qui regem constituit, ipsi diserte inputetur: quod ut majorem haberet speciem, et populo, vel mobili vulgo, facilius persuaderetur, fraudulenter, et specie honoris, effecerunt, ut principis, seu *capitis* populi, sedem in publico consessu capessiverit, ut, ipsum esse rebellem, et regnum adfectare, accusare majore cum specie possent: accedit, ipsum non fuisse, tanquam reum et accusatum, in consessum populi productum, sed ibi jam sedentem demum accusatum: ut series narrationis evincit. *Crimen* utique ipsi inpactum, quo *Deo et regi benedixisse* dicitur, non est ad *maledictionem*, proprie dictam, ut solet, referendum, quippe quod nullo obduci poterat colore veri, nec Deus et rex tunc necesse habuissent conjungi, verum ad *rebellionem* in regem, et ita simul in *Deum*, quipppe *unctum* ejus, adeo ut verba vertenda sint: *valedixit Deo et regi* h. e. κατ' εὐφημίαν renunciavit iis, et res suas sibi habere jussit, regem et Deum abnegavit. De quo usu vid. Schultens ad Job. I: 5. Cui accusationi, per duos testes, ad id subornatos, factae, eo facilius credidit populus, quod eum in sede principis videret; rem sic adornantibus senioribus et nobilibus, ad quos litteras miserat Jezabel. Ceterum de crimine Majestatis etiam testatur, quod bona ejus, inter quae *vinea*, fuerint fisco regio adjudicata, et ipse cum liberis occisus, ut ex 2 Reg. IX: 26. patet.

§. XCVI. Hoc facinore enormi, et inemendabilis animi indicio, patrato, Elia ipsum jussu Dei mox adiit, quando haereditariam Naboti possessionem invadebat, et infamem ipsi denunciat mortem, in poenam criminis. (silet quidem mandati exsecutionem historia, sed ea hac ratione supplenda est, *et adiit regem*, et *illa*, quae a Deo Eliae injuncta modo memoraverat, *dixit Achabo*.) Ad quod cum regerit

Achabus,

Achabus, *an invenisti me, inimice mi:* tantum abest, ut crimen negaverit, aut excusaverit, quod nonnulli putant, ut confessus fuerit, sed hostilem animum Eliae exprobraverit, acsi, loco amicae admonitionis, de rege in peccato deprehenso laetaretur triumphabundus, instar ejus, qui hostem prosternendi reperit, et laetus captat, occasionem. Emphasis est in epitheto *hostis mi!* et *invenire* est malum ac excidium invenire, hostemque deprehensum ac superatum tenere. Respondet Elia, se invenisse quidem regem irretitum, et mala morte periturum, sed non hostili cum animo, potius tristi, propter insanabilem ejus depravationem, uti verba ejus habent: *inveni te, propterea quod te vendidisti ad malum in oculis Jehovae faciendum;* totum itaque quantum peccato et corruptioni, idque sponte, mancipatum. Quando mox totalem ejus et domus totius exstirpationem, qualis Jeroboamo et Baesae contigerat, ei denunciat, Jezabeli quoque in specie dilaniationem per canes in *antemurali*, vel pomoerio, seu agro circumjacente Jitsraelis. Id enim חל hic denotat, pro quo חלק 2 Reg. IX: 10, 36. portio, ager haereditarius prope urbem, occurrit; sensu ergo eodem; nisi et hic pro חל, cum Chald. et Syr. quis legi velit חלק. Hoc sermone Eliae rex, tanquam fulmine, tactus, in profundam incidit tristitiam, et, poenitentiae ac luctus habitu sumto, incessit stridulo cum sonitu ac murmure leniter, casum suum deplorans: (notio enim primigenia vocis אט est *stridoris ac lenioris murmuris*,) nec illud frustra. Judicium enim, hac poenitentia interveniente, quae Dei est clementia, dilatum, et ad Filium ejus translatum est, ac in eo inpletum 2 Reg. IX. ita tamen, ut aliquid in Achabo ipso sit inplementi consecutum, quia in bona illa mente non perseveravit: sicut cap. seq. docet.

§. XCVII. Tandem ultima, sed tristissima, vitae Achabi scena aperitur, ipse enim novo bello cum Syro-Damascenis, propter Ramoth in Gilead, inplicitus, societate quoque cum Josaphato rege Judae, ibi praesente, inita, erectus, praeterea

a prophetis suis, bonum successum promittentibus, deceptus, contra Michae, prophetae Jehovae celeberrimi, salutare et divinum monitum, praelium cum Syris habuit infelici cum successu, quo sagitta percussus interiit. Quae historia prolixe traditur cap. XXII. Tertius labebatur annus, ex quo superius cum Syris bellum erat finitum, quo toto tempore pax inter Syros et Israelitas fuerat; Josaphat praeterea, rex Judae, aderat Samariae, arcta nunc cum Achabo junctus societate, causa nuptiarum filii ejus cum Achabi filia Athalia, 2 Reg. VIII: 18., uti ex 2 Chron. XVIII. constat. Qua societate animatus Achab, de urbe Ramoth in Gileado Syris eripienda consilium cepit, et ejus causa novum adgressus est cum iis bellum: sive ea urbs pacto inter Achabum et Benhadadum c. XX: 34. non fuerit nominatim expressa, sive contra illud a Syris injuste retenta. Sed antequam sese eo adcingeret, consultationem, suasu Josaphati, cum Deo per prophetas suos instituit de bello ineundo, ejusque successu. Consuluit primum prophetas 400, qui omnia prospera praenunciarunt, non quidem falsorum numinum, ut multi opinantur, sed veri Dei vates habitos, qui de schola prophetarum videntur fuisse, nunc vero se decipi passi sunt, spiritui falso sese committentes et propriam imaginationem pro divina habentes inspiratione: utique rerum adparentia, in primis Josaphati, regis pii, praesentia et adsociatione, justitia quoque belli, delusi, temere pronunciarunt, absque ut de divino responso, ipsis facto, certam habuerint persuasionem. Tales fuisse, quales dixi, vates, et non Baalis, variae adfirmant rationes. 1. *Prophetae* adpellantur absolute, et non, ut c. XVIII: 19. *Baalis*. 2. Spiritum *Jehovae* praetenderunt, v. 24. et nomine ejus locuti sunt, v. 11, 12. 3. Ad eandem classem cum Micha referuntur a Josaphato, v. 7. non enim rogat, *essetne aliquis propheta Jehovae?* sed, *num non adhuc esset* propheta Jehovae, adeoque *alius* adhuc aliquis? 4. Denique si falsorum Numinum, aut Baalis, fuissent, quid *spiritu* pravo, extra ordinem misso, ad

eos

eos decipiendos, opus fuiſſet? v. 22. Cum vero Achab dicit, Micham non niſi *malum* fari, et propterea nunc non fuiſſe evocatum a ſe, eo ſignificat non tantum ſe a propoſito nolle deſiſtere, ſed et Micham non quidem pro falſo a ſe haberi vate, attamen pro tali, qui male in ſe adfectus erat, nec niſi ad mala praenuncianda adhiberi ſolet. Exiſtimavit nimirum, inſipienter ſatis, prophetas, convenienter adfectui bono vel malo, mitti a Deo, alios ad bona, alios ad mala adnuncianda. Quam opionem de Elia quoque fovit: ut ex c. XXI. conſtat.

§. XCVIII. Micha, ad regis Joſaphati petitionem arceſſitus, ſtatim ac in regis conſpectum venit, cum in haec erumpat verba, v. 15. *adſcende et proſpere age, et dabit Jehova in manum regis*, verba reliquorum prophetarum repetit, non tam ironice, multo minus prophetice, quam *optative*; ut pravam regis de ſe opinionem a ſe removeret, ſeſeque optime velle Achabo profiteretur, acſi dixiſſet, adfectum meum ſi ſequerer, dicerem, cum reliquis vatibus, ſicut optative dico, *eat rex et proſpere agat*, *dat* vel, *dabit Deus* etc. uti vates reliqui fati ſunt, ſit id verum, quod illi dixerunt. Simile exemplum eſt in Jeremia c. XXVIII: 6. *Amen! ſic faciat Jehova!* Qua ratione nihil hic supereſt difficultatis. Ipſe Achab quoque percepit, ipſum non tam *prophetare*, quam adfectum ſuum explicare, cum ipſum *juramento* ad *verum* dicendum nomine Jehovae adſtrinxit: quando Micha, nihil perterritus, longe aliud fatum et exercitui et ipſi nomine Jehovae praenunciat, ſimul vates ejus a ſpiritu *mendace* fuiſſe adfirmat, et non a Jehova, niſi quatenus permiſerit, inſpiratos, elegante ſub viſione, quam ſibi contigiſſe refert, quae tota ſcenica eſt, et prudenter explicanda: non enim res geſta narratur, ut facile patet, ſed ficta, ſeu drama, eo tantum ſcopo, ut de judicio Dei in Achabum pronunciato conſtaret, ſimul ratio falſae, verorum alias prophetarum, vel filiorum eorum, prophetiae daretur. Quo irritatus rex eum in cuſtodiam dedit, *alendum pane anguſtia*, et

et aqua angustia, sic enim voces v. 27. vertendae sunt per adpositionem: quae pulchra figura est orationis, qua quis *dolore et gemitu* dicitur *nutriri*: uti Jes. XXX: 20. Ps. XLII: 3. Job III: 24.

§. XCIX. Prophetica Michae denunciatio, etsi regem a temerario proposito abstrahere non potuit, illud tamen effecit, ut vitae suae solicitius consuluerit, ad malum vaticinium eludendum, Josaphatum, quasi belli ducem, regio vestitu indutum, constituendo, et suum mutando, ut tutior esset, nec a jaculatoribus Syris, prae reliquis, ut in mandatis habebant, et Achabo forte suboluit, peteretur: dixit utique Josaphato, ego (suppleri enim debet אני *ego*, vel addi, ut ex seq. אתה *tu* patet,) *mutare vestes*. (pro *mutabo*) *tu tuas regias induas*, sed res aliter cecidit, et Michae effatum fuit impletum, etiam in Achabo. Josaphatus pro rege Israelis habitus, et a ducibus Syrorum acriter oppugnatus, in *quiritationem*, seu tempestatem querelarum de vi et oppressione, cum inploratione opis et auxilii (eam enim significationem exserit verbum זעק et צעק, cujus proprietas est in *fragore*, veluti coeli tonitrua et fulmina mittentis, unde ad *tempestatem* querelarum transiit) erupit, Deique singulari directione ducibus ab eo abstractis, evasit; sed Achabus telo est lethaliter vulneratus ab aliquo, qui sine certo scopo hunc aut illum feriendi sagittam emisit, (quod hic dicitur *in simplicitate sua* trahere arcum,) et regem Israelis, non fine Dei directione rursus, petiit. Mortuus Achabus quidem est in praelio, sed post mortem, cum aliqua infamia tractatus, dum *canes* sanguinem ejus, qui in *currum*, in quo vulneratus animam exspiravit, defluxerat, *linxerint*, et *meretrices* currum lavaverint. Junguntur *canes* et *meretrices* etiam alibi, ut Deut. XXIII: 19. ob vagam libidinem, promiscuam venerem, et infamiam. *Pulchre canis et meretrix copulantur*, dixit jam Hieron. ad Jes. LX. *quia utrumque animal pronum est ad libidinem*. Ceterum, cum *verbum Jehovae* de Achabo, per Eliam prolatum, c. XXI. in eo *impletum* dicitur ab Histo-

rico,

rico, illud non de pleno inplemento, sed de *specimine* aliquo capiendum est, Deus enim mitigaverat, et distulerat inplementum propter Achabi poenitentiam, attamen partem voluit in eo conspicuam futuram, maxime cum Achab in virtute non perseveraverit. Linxerunt quidem *canes* sanguinem ejus, sed 1. post sepultum regem, quique in currum tantum effluxerat, 2. nec in eodem loco, quo Naboti lamberant, uti prima habebat denunciatio c. XXI: 19. sed in *piscina Samariae.*

§. C. Achabo e vivis sublato, postquam 22 annos regnasset, 1 Reg. XVI: 19. successit filius ejus *Achazia*, qui, Patri similis, 2 tantum praefuit annos, 1 Reg. XXII: 52. et haud unum *judicii* Divini, regni incumbentis, expertus est specimen, longe gravioris praeludium, nisi rex cum populo sese ad saniorem reciperet mentem. *Primum* est in Moabitarum defectione: de cujus consequente postea dicam, 2 Reg. I: 1. *Secundum* adparuit in classe aurifera, quam, societate cum Josaphato inita, fabricaverat et instruxerat, fracta in Heziongeber, nec instaurata, quia Josaphat recusavit. Qui notabilis casus 1 Reg. XXII: 48, 49. et 2 Chron. XX: 35. narratur, nostra vero animadversione et eo nomine dignus, quod haud una laboret difficultate, ex collatione locorum illorum nata, paucis e medio tollenda. *Prima*, in eo sita, quod in lib. Reg. *Josaphat*, sed in Chron. Josaphat et Achazia naves fabricasse leguntur, levis est, et facile solvenda, statuendo, Josaphatum id curasse, Achaziam sumtus et supplementa addidisse: sicut loco Reg. mox, classe fracta, *servos* suos denuo obtulisse legitur. Rex Judae itaque primus et praecipuus fuit autor, quare *opus* ejus dicitur in lib. Chron., et rex Israelis in societatem est adsumtus. *Secunda*, inde orta, quod in lib. Reg. naves *Tarsis Ophiram* destinatae, sed in loco parallelo *Tarsisum*, legantur, quae longe diversa loca sunt, ut in historia Salomonis vidimus, majoris est, nec tamen insolubilis, cum nihil habeat inprobabile, eas ad utrumque locum fore mit-

 tendas,

tendas, alias Ophiram, alias Tarsischum: prius in lib. Reg., posterius in Chron. traditur, ita tamen ut in lib. Reg. illud etiam insinuetur, cum naves *Tarsis* diserte adpellentur; indicio utique eas eo solitas fuisse ire, et nunc quoque ituras. *Tertia* differentia est, quod Achazia in lib. Reg. societatem demum obtulerit post fractas naves, et Josaphat eam recusaverit, sed in Chron. in initio mox inita tradatur societas. Cui recte occurritur, statuendo, Achaziam in initio fuisse admissum a Josaphato in societatem, ut est in lib. Chron., sed, navibus fractis altera vice opem suam in navibus reparandis, ac resumenda navigatione, obtulisse, sed repulsam tulisse, uti in lib. Reg. narratur.

§. CI. *Tertium* judicii specimen offert lapsus Achaziae, de tecto superioris coenaculi per *reticulum*, quo tectum erat cinctum, uti per legem Mosis Deut. XXII: 8. fieri debebat in domibus. Adpellatur 2 Reg. I: 2. שבכה proprie *reticulum plexum*, opus etiam *cancellatum* inplexum, vel reticulatum: in lege vero Mosis מעקה *retinaculum*, a rad. *retinere*, vel comprimere; praeterea ex lapsu, et morbo inde orto, mors; ab Elia ipsi singulari occasione denunciata, quae intacta non est praetereunda. Cum Achazia legatos ad idolum Accaronitarum בעל זבוב *Baal-zebub*, dominum muscarum, seu Δία μυιῶν, vel ἀπόμυιον, a *muscis*, infestissimis ibi animalculis, *abigendis*, sic dictum, celebre eo tempore oraculum, ut ex hoc ipso casu quoque elucescit, mitteret, de morbi eventu rogaturos; Elia, jussu Dei, iis occurrit in via, dicens, *an quod non*, vel *non* (duplici cum negatione) vel *nihil*, (nihili faciendus, uti לא *non* haud infrequenter sumitur) *est in Israele Deus*, adeundum est idolum? etc.: scilicet qui consuli queat per prophetas, aut ut consulatur non est dignus. Quae interrogatio, non simpliciter, eo Achaziae factum tendere, adfirmat, adeoque contemtum Dei Israelis, ejusque prophetarum involvere, sed et indignationem complectitur, ac pessimum esse regis facinus significat. Addit praeterea, regem inpium et idololatram propterea

esse

esse morte tollendum in lecto, ubi decumbebat. Quo nuncio, per legatos mox reversos, ad regem delato, is Eliam fuisse, qui ipsis occurrit, conjectura ex pallio ac cingulo ejus cilicio facta, recognoscens, mox duces cum militibus ad eum in monte Carmeli residentem, (Elias enim statim ac mandatum esset exsecutus *abiit*, vel rediit in locum suum: uti 2 Reg. I: 4. fin. traditur, et eo sensu capiendum est) misit, cum jussu, ut quantocyus regem adeat: sed qui una alterave vice, jussu Eliae, *fulmine* icti et absumti sunt; (*ignis* enim de *coelo* delapsus recte de fulmine capitur.) Quod factum videtur ad vindicandam autoritatem tum Jehovae, tum Eliae, tanquam veri prophetae ejus, eo quod *partim* imperiose, ac contumeliose, eum ad regem descendere jusserint, nulla personae ejus, ac muneris prophetici habita ratione, *partim* ipsum male viderentur tractaturi; quo respicit, quod Deus, aditum ad regem permittens, ei dixerit *ne metuas* etc. Sed spectavit quoque hoc judicium ad spiritum idololatricum, quo rex et populus, hi ipsi quoque duces ac milites, infecti erant, puniendum, et prostituendum, spiratque legalem severitatem, a Christi oeconomia alienam; uti ipse Dominus Luc. IX: 55. duobus discipulis, Eliam imitari volentibus, titulo *boanerges*, seu filiorum tonitru, propterea, ad omnes ab eo spiritu absterrendos, insignitis, declaravit. Donec ultima vice submisse rogatus a novo duce, regem adierit, et dictum Dei ad eum detulerit: quod etiam effectu non caruit, rege mox mortuo.

§. CII. Jorami, qui Achaziae fratri successit in regno Israelis, historia antequam pertexatur, ultima vitae Eliae, et prima scena Elisae, utraque valde gloriosa, traditur cap. II. plane suo loco, cum hic casus in initiis Jorami, superstite adhuc Josaphato, sed regnante jam Joramo, ejus filio, ut seq. docebunt, acciderit. Enarrat itaque adcurate Historicus gloriosum Eliae raptum in coelum, per ventum inpetuosum, ultra Jordanem factum, Elisa praesente et inspectante, postquam loca, in quibus scholae prophetarum erant,

N 2 Bethelem

Bethelem et Hierichuntem, viſitaſſet, ac Jordanem, aquis ſciſſis, miraculoſe tranſiiſſet cum Eliſa. Qui notabilis admodum caſus, uno alterove obſervato, quantum ſcopus nunc permittit, illuſtrandus eſt. 1. Ratio, quare a Gilgale non mox Jordanem petiit, ſed, circuitu facto, per Bethelem et Hierichuntem, alia mihi non ſuccurrit, ac quod ſcholas prophetarum, iis in locis erectas, ante viſitaret, ſimul prophetarum filii, de ſublatione ejus certiores facti, teſtarentur, quo hiſtoria haud obſcure ducit. Tranſiit utique per illa loca ſpeciali ſpiritus ductu, et revelatione de ſublatione ejus in coelum futura, cui etiam acceptum eſt ferendum, quod Eliſa ipſum deſerere noluerit, et prophetarum filii illud Eliſae jam adnunciarint. 2. Percuſſio Jordanis pallio Eliae, et ab ipſo et ab Eliſa dein facta, aquarumque inde orta diviſio, ut vadoſus factus ſit tranſitus, ſicut miniſterium Eliae divinum obſignavit, et Eliſae initiavit, ita utriuſque naturam, et ſcopum, in populo Iſraelitico percutiendo, ac idololatria deſtruenda, repraeſentavit. *Jordanes* enim, ut Nilus AEgyptiaci, et Euphrates Aſſyriaci et Babylonici regni, Jeſ. VIII, XI. et alibi, figuram gerere poteſt Iſraelitici. Quo etiam ſingularis modus ſublationis Eliae per *turbinem* tendit, nec non *currus et equorum* igneorum emblema: de quo mox. 3. *Duplex portio* ſpiritus Eliae, quam Eliſa petiit, v. 9. non ſignificat, quod multis viſum eſt, majorem portionem, quam ipſe Elia habuerat; quippe quod, praeterquam quod nimiam argueret adrogantiam, talis petitio *cum* eventui repugnat, Eliſa enim *ſpiritum* Eliae praetulit, et ſimilia, non majora, licet plura de eo memorata ſint, fecit, *ſpiritus* quoque Eliae ſimpliciter ſuper eo *requieviſſe*, dicitur v. 15. *tum* ipſi phraſi *duplicis portionis*, quae quidem amplam, et reliquis Eliae diſcipulis majorem denotat, ſed non ipſo Elia: ſunt enim et manent Eliae portiones, quae ita diviſae fuerunt, ut Eliſae ceſſerint *duae*, inſtar filii Eliae *primogeniti*, et praecipui, cui duplex portio haereditatis competebat. Quo hic reſpici videtur, uti jam eſt obſervatum.

Sed

Sed emphasi, passim neglecta, pollet eximia vox *spiritus tui*; quippe quae non tantum propheticum, et miracula patrandi potestate praeditum *spiritum* denotat, verum et fortitudinis ac intrepiditatis, simul idololatriae oppugnandae, ac populum idololatricum severe castigandi, virtute pollentem spiritum; qualis in Elia se exseruerat, et *spiritus Eliae* nomine eximie insignitur, ex parte in Johanne Baptista quoque eluxit Luc. I. et in *duobus testibus*, Ap. X. suo tempore iterum conspicietur. Spiravit quoque talem Elisa, ad *judicia* Israeli infligenda designatus, et per *ignis* emblema repraesentatus 1 Reg. XIX: 12, 17. Quo praeterea tendit responsum Eliae, dicendo: *difficile* et *durum quid petiisti*; quo non rei magnitudo, sed spiritus istius *asperitas*, ac *severitas* exprimitur, ad populum idololatricum oppugnandum et castigandum tendens, opposite ad *lenitatis* ac mansuetudinis spiritum, quique consolationes ac bona adfert populo.

§. CIII. 4. Modus *sublationis* Eliae duo habuit singularia; unum quod *currus* et *equi ignei* ante diviserint Eliam et Elisam, inter illos *medii*, alterum quod *turbine* procelloso, *urente*, qualem vox Hebr. סערה denotat, fuerit ablatus. Fueritne vero *curru* et *turbine* sublatus, an solo *turbine*, non definiverim, licet posterius non sit alienum, cum v. 1 et 11. solius turbinis fiat mentio, et de *curribus* ac *equis* tantum tradatur, eos inter Eliam ac Elisam *medios* fuisse, qui utrumque et diviserunt, et conjunxerunt. Fieri itaque potuit, ut emblematis tantum ergo fuerint visi. Quo de quicquid sit, notari velim, utrumque ad ministerium Eliae inter Israelitas, eique congruum, fuisse adhibitum, opposite ad Christum, melioris oeconomiae conditorem, nube placida sublatum. Elias, instar *currus* et *equorum igneorum*, et *turbinis* aestuantis, sese inter Israelitas gesserat, idololatriam et populum corruptum severe oppugnando, causamque Dei et piorum potenter, ardenteque cum zelo, agendo; dignus itaque, qui cum *curru* et *equis ignitis* comparetur, et *turbine* involutus in sublime tollatur. *Currus* vero et *equi*, in-

ter Eliam et Elisam medii, recte ad Elisam, divinitus inaugurandum in locum Eliae, et eodem *spiritu* animandum, referuntur; sicut antea Eliae fuit in viso oblatus, c. XIX.

§. CIV. Elia hac ratione ablato, mox solenniter et divinitus inauguratus quasi est Elisa, tanquam ejus successor, et spiritu ejus copiose praeditus, *partim* per *pallium* Eliae dejectum, et ab ipso sumtum, quod antea, tempore vocationis ad hoc munus, in eum conjecerat Elia, eoque signo quasi *unxerat* eum prophetam, et successorem. 1 Reg. XIX. *partim* per ejusdem virtutis exercitium in *aquis* Jordanis, per ipsum illud pallium divisis. Quod ipsum historicus insinuatum voluit, cum 2 Reg. II: 14. verbis Elisae, aquis percussis, *ubi est Deus Eliae?* subjungit, *etiam ipse*, (scilicet Elisa) *et aquas percussit et divisae sunt*, (simul ac percussit, divisae sunt) verba itaque sunt historici, et ad sequentia pertinent, ac Elisam designant, eoque tendunt, ut Elisam idem facientem ac Eliam, pro ejus successore, eodem praeditum spiritu, recte haberi, indicent. Quare a filiis prophetarum, qua talis, mox agnitus est, et *duo* dedit singularia ministerii sui specimina, de natura et efficacia ministerii testantia, *unum* salutare, in gratiam piorum, alterum judiciale et severum in poenam inproborum. *Prius* in aquis Hierichuntinis *malignis*, sive turbidis et foetidis, quae agrum vicinum reddebant sterilem et *abortientem*, sanandis, ac foecundis reddendis, per *salem*, ab Hierichuntinis *nova phiala* oblatum, in eas conjectum. Quod miraculum eo mihi videtur collineasse, 1. ut sedem hanc, cujus urbs antea a Josua maledicta, proxime, contra Dei voluntatem sub Achabo, in urbem munitam reaedificata erat, non sine inpleta maledictione illa, cujusque signum in ipsis illis aquis malignis, quae ab eo forte tempore coeperunt, mansit conspicuum, *sedem* inquam hanc a maledictione esse liberatam et sanctificatam, hoc luculento favoris divini signo, testificaretur, simul dignum esse scholae prophetarum locum, et Deo adprobatum; declararet. Quod magis se adprobabit, si advertatur,

vertatur, Elisam ibi in initio fixisse sedes, c. II: 18. et *primores* urbis, hic *viros civitatis* dictos, reverentia erga ipsum ductos, cujus etiam in titulo *Domini*, quo ipsum adlocuti sunt, v. 14. indicium est, petiisse, ut scholam propheticam, ibi erectam, confirmaret, ipseque eam regeret; loci amoenitate ac fertilitate etiam memorata, cui nihil nisi aquarum malignitas obstabat, divinae maledictionis unicum signum superstes, cui ut mederetur rogarit, non quidem aperte, attamen tacite, *aquarum malignitatem* ipsi significando. Spectavit itaque eo miraculosa aquarum sanatio, ut apta foret, et Deo grata, scholae sedes. Quo etiam referri potest, quod *phialam* et *salem* ab ipsis petierit, ut hac oblatione testificarentur, se ad scholae sustentationem omnia conferre velle commoda, nec non *pacis* foedus cum ea inire, ac constanter servare, esse paratos. Ejus enim signum esse *salem* tralatitium est. 2. Significavit praeterea hoc signo Elisa, quod cum superiore cohaeret, scholae propheticae, ab ipsis admissae, et benigne fotae, acceptum ferendum esse, quod hoc tam luculento favoris et benedictionis signo, in tollenda maledictione, et aquis sanandis, mactarentur. Scholae utique propheticae, quae veram profitebatur, et offerebat fidei et pietatis doctrinam, haud ineptum praebet emblema *nova phiala*, *sale plena*; cum sal sit doctrinae salutaris purgatricis, conservatricis et pacificae, imago satis nota. Denique 3. addi potest, scholae istius *scopum* et usum ad corruptam doctrinam legalem, per ritus idololatricos et pravos mores, reformandam, iis fuisse ob oculos positum. Aquae utique turbidae et foetidae, eleganter depingunt depravatum religionis statum, ejusque effecta perniciosa: ad quem emendandum schola prophetica, cum *phiala salis* comparata, destinata erat, et apta.

§. CV. *Alterum* muneris prophetici specimen longe diversae naturae, et *spiritus* Eliae, in ipso jam residentis, signum, in *pueris*, Elisae tanquam prophetae insultantibus, nomine Dei maledicendo, et ursis occidendos tradendo, in via Be-

thelis editum, v. 23— spectavit ad autoritatem propheticam vindicandam, simul idololatriam prostituendam, et populum idololatricum puniendum; sed et judicium Divinum, ipsi suo tempore infligendum a Syris, vel Assyriis, et Babyloniis, cum *duobus ursis* facile comparandis, ob oculos ponendum. Fecit illud Elisa *malidicendo* in *nomine Jehovae*, qua legatus itaque Jehovae, et ejus autoritate vestitus. Qui istius phraseos, *in nomine Jehovae*, verus, et usitatus satis, significatus est. *Pueri* vero non aetate, sed scholae idololatricae discipuli, a falsis prophetis excitati, ut jam ab aliis est observatum, ipsi dicentes, *adscende calve!* vel ipsi exitium inprecati sunt, ut idem sit, ac *abi* in malam rem contemtissime mortalium, quod ab usu verbi עלה *adscendere* non abhorret, vel adsumtionem Eliae in coelum irriserunt, ut sit: *adscende et tu*, qui dominum tuum jactas in coelum adscendisse, ut, Domino nunc privatus, ejus te socium praestes. Conferri cum dictis meretur Anonymus Genevensis in Bibl. German, nov. tom. XI.

§. CVI. Historia Achabi et Achaziae, regum Israelis, ut et Eliae tradita, ac ad Jorami, successoris Achaziae, ut et Elisae, qui Eliam excepit, initia perducta, de *Josaphato*, rege Judae, qui regibus memoratis fuit tempore aequalis, nunc agamus, ductum in primis autoris lib. Chron. secuti, qui defectum libri Regum, hac parte valde notabilem, supplevit. De Josaphato enim pauca tantum referuntur 1 Reg. XXII: 41— multis et praeclaris ejus gestis ac fatis silentio involutis: quae 2 Chron. XIX et XX supplentur. Successit Patri suo Asae, anno Achabi, regis Israelis, *quarto* 1 Reg. XXII: 41. Praefuit annos 25, ib. 42. sed ita, ut sub finem filium Joramum habuerit socium, qui 4 annos cum Patre regnavit: ut postea patebit. *Duo* valde memorabilia ipsum, et regnum ejus celebrarunt, et laude dignum reddiderunt: *unum* in reformatione, *alterum* in hostium ingente numero invadentium mirabili prorsus prostratione, divinitus facta. Quod ad *prius* adtinet, Josaphat in genere traditur 2 Chron.

XVII: 3

XVII: 3 *in viis Davidis*; *patris sui anterioribus* inceffiffe h. e. Davidis, et patris fui prioribus, five ו *et* in אביו addatur, per litteram praecedentem ד omiffa, five Davidis viae eaedem intelligantur ac patris priores. Utique *pater* hic nequit effe David, fed debet Afa, cum, quod epitheton *priorum viarum* in Davidem non quadret, cujus viae ad finem usque fuerunt eaedem, fecus ac Afae, uti conftat, tum, quod vias Patris fui Afae tenuiffe dicatur 2 Chron. XX: 32. et 1 Reg. XXII: 43. Sed in fpecie, praeterquam quod conftanter iis infliterit, Patrem et in eo fuperavit, quod reformationem ulterius promoverit, et religionis, et virtutis refpectu. *Cynaedos* enim, a Patre relictos, de terra removit 1 Reg. XXII: 47. *Excelfa* quoque idolis confecrata fuftulit omnia 2 Chron. XVII: 6., relictis tantum, quae Jehovae erant dicata, quia populus ab iis non poterat abftrahi ib. XX: 33. et 1 Reg. XXII: 44. Qua ratione loca illa facile conciliantur. Idololatrica enim priore loco intelligi, ex 2 Chron. XIV: 2. manifeftum eft, et 2 Chron. XVII: 6. quoque indicatur, cum *luci* addantur. Praeterea, quoad juftitiam et virtutem, in regno exercendam, Levitas et legifperitos, una cum libro Legis, per totum mifit regnum, ad populum notitia Legis Mofaicae inbuendum, tribunalia erexit, et Judices conftituit, falutaribus additis monitis ad jus, fine acceptione perfonarum, dicendum ac faciendum, 2 Chron. XVII et XIX.

§. CVII. *Alterum*, quod regnum reddidit celeberrimum, fimul tutum et fecurum, fitum eft in mirabili et divina prorfus liberatione a populis vicinis, hoftiliter irruentibus, et divinitus deletis. Qui fingularis cafus fufe narratur 2 Chron. XX., uno alterove illuftrandus obfervato. De *tempore*, quo hic cafus contigit, licet nihil certi dici poffit, probabile tamen mihi fit, accidiffe in primordiis regni Achaziae, 1. quia feries narrationis 2 Chron. XX: 1. eo ducere videtur, fubjungitur enim cladi et morti Achabi, adhibita formula, et *poftea* eft factum. 2. Praemittitur adfociationi

Achaziae in classe reaedificanda; quae huic casui subnectitur, ibid 35. 3. Moabitae defecerunt a regno Achaziae, 2 Reg. I: 1. III; 5. mox in principio, post cladem et mortem Achabi: quae defectionis ansam praebuisse videtur, sicut ipsa defectio ansam invasionis in Judae regnum, ut se stabilirent. Quod cum durante regno Judae, Israelis socio, se efficere non posse censerent, omnibus fere vicinis populis excitatis, et sibi adsociatis, illud exstirpare adgressi sunt. Quod ad populos adtinet, qui unitis consiliis in regnum Judae, ad illud penitus exstirpandum, inpetum fecerunt, autores fuisse Moabitas et Ammonitas, ex historia facile constat, et Ps. LXXXIII: 9., ad hunc casum referendo, confirmatur. Sed qui fuerint illi העמונים, v. 1. tanquam auxiliares, plane non constat, interpretibus dissentientibus, absque ut aliquid, in quo acquiescere licet, protulerint. Mihi nihil rectius suppetit, quam ut העממים legatur, et varii, iique praestantissimi, ac martiales in genere intelligantur populi, in unum *conglobati*, quae primaria est rad. עמם potestas, Moabitarum ac Ammonitarum in hoc bello socii et auxiliares. Vox עממים utique aeque fuit in usu ac עמים, uti Jud. V: 14. et Neh. IX: 22. eaque subinde in genere *populos*, et eximie gentiles, simul *strenuos* denotat, ut Hos. IX: 1. alias *populos terrarum*, Ezr. IX: 14. etiam *copias militares*, Ezech. XXX: 11. et alibi. Auxiliares vero intelligi, ex eo etiam liquet, quod עמהם *cum ipsis* fuisse dicantur, denique ex variis fuisse conflatos gentibus, ex v. 2. et Ps. LXXXIII. manifestum est. Ipsos quoque Edomitas cum habuisse conspectum, ex v. 23. colligi potest. Firmat opinionem nostram Syr., vertens *stipati viris militaribus*. Ceterum populi auxiliares quinam fuerint, ex Ps. citato facile eruitur: ubi vid. Comm. noster. Fuerunt fere omnes in circuitu Cananaeae habitantes, ad ortum, austrum et occasum: septentrionalium autem, ut Syrorum, nulla fit mentio: *Aram*, enim 2 Chron. XX: 2. vel irrepsit pro ארם *Edom*, vel repeti debet, aut mente intelligi vox

עבר *trans*,

עבר *trans*, ut ſit: *a trans mare mortuum*, *a trans Aramaeos*.

§. CVIII. Hi populi intrarunt Judaeam ab auſtro, et caſtrametati ſunt in *Chatzon Tamar* ſeu Engedi, loco celeberrimo, *non tantum vineis*, *quantum balſamis florente*, quae verba ſunt Origenis ad Cant. l. II. in ora auſtrali tribus Judae extrema. De qua hic non eſt agendi locus: Joſaphat interea ad Deum confugit, et ardentibus precibus ejus auxilium inploravit, ac inpetravit, a propheta nomine Dei ipſi promiſſum. Quo animatus ad hoſtes propius, cum exercitu, accedens, canticis et jubilis ſeſe tantum tenuit occupatum, Deoque victoriam commiſit, et ab eo quoque nactus eſt, modo prorſus ſingulari. Jehova enim in Ammonitas, Moabitas ac Edomitas injecit מארבים v. 22. ſive *maledictiones* urentes, et abigentes, quarum effectum fuit, ut in ſe invicem ruerint, et mutua clade ceciderint, ſi legere liceat מארבים ab ארב, ſive, ſi vox textualis ſervanda ſit, *nexus*, *nodos* et *laqueos*, quibus ſibi mutuo inpliciti, et nexi, ſe invicem occiderunt, fere ſicut viginti illi quatuor pueri, ſatellites Abneris ac Joabi, qui capitibus mutuis adprehenſis, ſe invicem gladiis interfecerunt, 2 Sam. II: 16. Vox Heb. ארב proprie tales *nexus* denotat, et pro *nexu manuum* ſumitur Jeſ. XXV: 11. etiam pro *nexili* opere, ſive *feneſtra*, vel foramine cancellato. Unde ad inſidias ac fallacias tanſiit, quibus dolus nectitur: uti apud Lat. *nectere fraudem* pro *inſidiari*: cui notioni et hic locus dari poteſt, quatenus hi populi ſibi mutuo inſidias ſtruxerint ad perniciem. Ceterum irruerunt primum Ammonitae, et Moabitae in Eſavitas, incolas montis Seir, forte quod eos cum Joſaphato et Judaeis occulte facere, et ſibi inminere ac inſidiari, putaverint; nec ſine ratione, quia Edom, adhuc ſubjectus erat Joſaphato, qui ibi habebat praeſidium, et praefectum: uti 1 Reg. XXII: 48. his verbis ſignificatur, *nec rex erat in Edomo*, *niſi* (כי־אם *niſi* enim omnino inſeri debet) *conſtitutus rex*, ſeu praeſidiarius, prorex, h. e. pro-

 prio

prio rege carebat Edom, et habebat praesidiarium, a rege Judae constitutum, qui ibi praesidium habebat. Sic hac eadem voce נצב David in Edomo legitur posuisse נצבים praefectos et praesidiarios 2 Sam. VIII: 14. Postea sub Joramo demum traditur, *Edomum* a Juda defecisse, et proprium constituisse regem 2 Reg. VIII: 20. Subjectionis indicium quoque in eo fuit, quod Josaphat in *Hetsjongebare* construxerit classem auriferam, 1 Reg. XXII: 49. in littore *maris algosi in terra Edom* 1 Reg. IX: 26. 2 Chron. VIII: 17. quod itaque arguit, Edomum adhuc, sicut tempore Salomonis, qui ibi etiam naves aedificavit, fuisse in potestate Josaphati. Edomitae itaque volentes nolentes in societatem nunc a Moabitis et Ammonitis contra regnum Josaphati abstracti, justam movere potuerunt suspicionem Moabitis ac Ammonitis infidelitatis, ita ut diffiderint, eo magis, quod Deus *insidias* in eos inmisisse dicatur. Esavitis hac ratione profligatis, ipsi illi, inquit Historicus 2 Chron. XX: 23. עזרו *unus in alterum ad delendum*, h. e. vel *adjuverunt* se invicem ad perniciem, vel, si illa phrasis offendat, sicut in hac orationis serie, et structura, aliquid insoliti habet, et legere liceat עצרו *strinxerunt* proprie, deinde *ensem*, vires exseruerunt, unus in alterum. De qua verbi עצר potestate exposui in not. ad Comment. Vitringae ad Deut. XXXII: 36. Quibus peractis Judaei, sine ulla sua opera, ab hostibus liberati, castra eorum spoliarunt, tribus insumtis diebus, ac summopere ditati sunt, quando die *quarto* Deum propterea solenniter laudarunt ac celebrarunt in eadem valle, inde adpellata *benedictionis valle*; sicut a *judicio* divino, ibi in hostes exercito, eorumque *excidio*, nomen חרוץ accepit Joel IV: 14. nec non *Josaphati*, ib. 12. q. d. *Jehovae judicantis*, ex adlusione ad originem nominis Regis.

§. CIX. Reliquis Josaphati gestis, vel jam narratis, vel mox memorandis, sed minus laudabilibus, et a prophetis reprehensis, in societate cum Achabo et Achazia, ac Joramo

mo inita, missis, ad successores in utroque regno, utrumque ejusdem nominis, Joramum dictum, nec moribus dissimiles multum, pergo. *Joramus* filius Achabi, ac Achaziae frater et successor, qui 12 annos regnavit 2 Reg. III: 1. Jeroboami quidem idololatriae adhaesit, sed non patris Achabi, et Patre melior fuit, imo *Jehovam* quoque reveritus, uti verba ejus, cum in angustiis versaretur in expeditione contra Moabitas, cum regibus Judae ac Edomi, 2 Reg. III: 10. *eheu! vocavit Jehova tres reges, ut eos dedat Moabo*, innuere videntur; praeterea Elisam quoque, tanquam prophetam, magni faciens: uti verba ejus v. 13 declarant. Quae etiam, inter alias rationes, Josaphatum moverunt, licet bis a prophetis propterea increpitum, ut societatem denuo inierit cum rege Israelis, in expeditione contra Moabitas, 2 Reg. III. existimans, omnia praeclara de Joramo speranda, qui Baaliticam, Patris et fratris, idololatriam jam destruxerat: inter alias, dixi, rationes, quia tales sese facile offerunt, uti, quod Josaphato hoc bellum visum fuerit justum, cum Moabitae ab Israele defecerant, praeterea ipsi jam proxime hostilem animum in ipsum Judam denudaverant, in expeditione supra narrata cum vicinis populis. Josaphatus itaque in eo non videtur peccasse, nec ab Elisa fuit reprehensus, quin in ejus gratiam divinam accepit, et favorabilem, a Deo prophetiam de successu belli, una cum pluvia abundante, qua exercitus indigebat.

§. CX. Tetenderunt contra Moabitas per terram Edomi, suasu Josaphati, v. 8. (interrogans enim eo loco, *quorsum ibimus*, est Joramus, et respondens, *per viam deserti Edomi*, Josaphat) admodum prudente, ut rex Edomi, Judae regno obnoxius, 2 Reg. XXII: 48. in societatem traheretur, et a Moabitis, quibuscum paulo ante regnum Judae invaserat, abstraheretur. Erant enim Edomitae jam inclinatiores ad Moabitas, uti ex ipsa hac historia patet; rex enim Moabitarum, ad incitas redactus, ad Edomitas legitur voluisse *perrumpere* tamquam sibi faventiores, v. 26. non *enim per Edomitas*,

mitas, sed *ad* eos, perrumpere conatus est. Videntur quoque jam tunc occasionem quaesivisse defectionis a regno Judae; uti ex ipsa defectione, regnante Joramo facta, colligi potest. c. VIII: 20. Cum *vero aquae* penuria laborarent in itinere *tres reges* cum copiis, indeque de successu expeditionis male ominaretur rex Israelis, acsi pro judicio Jehovae, ipsis incumbente, haberi deberet (eo enim tendunt verba ejus v. 10 *eheu? vocavit Jehova tres reges, ut eos dedat Moabo*) Elisa, petente Josaphato, accitus, et in ejus gratiam, Deum consuluit, et responsum accepit, quod partim promissi divini, partim prophetiae habuit conspectum: quod probe adverti velim. Deum ipsis et aquas et victoriam quoque, secus ac Joram auguratus erat, de Moabitis concessurum esse, cum v. 18. declarasset, mox per modum prophetiae subjungit, quam crudeliter victoria uterentur Israelitae in primis (solus enim Israel memoratur in ultima actione, et ei etiam *ira* Dei dicitur propterea incubuisse, ut mox patebit) qui modum non tenerent: quod tantum abest, ut Deo fuerit gratum, ut *iram* ejus in Israelem provocaverit: v. 27.

§. CXI. Moabitas, oculis illusos, dum aquas, solis radiis illustratas, pro *sanguine* habuerunt, ac vana opinione de mutua regum, in se invicem ruentium, caede fascinatos, in castra hostium irruentes, tantum ad spoliandum, Israelitae insurgentes non tantum straverunt, ac in fugam conjecerunt, sed et יבו בה *percutiendo Moabum*, v. 24. Ubi quid sibi יבו velit, non convenit inter Interpretes. Lectionem sibi non constare, nota marginalis, יכו *percusserunt* substituens, satis arguit: sed ei fine intoleranda tautologia locus hic dari nequit: uti facile cernitur. Mihi, ut alias conjecturas mittam, si textualis lectio sit servanda, videtur adoptanda radix נבה, quod jam fecit Cl. Schultens defect. disp. I., sed alio sensu, ac ipsi placuit, vertendumque, *et protuberarunt*, prominuerunt *in ea*, scilicet terra Moabi, sese longius per eam extendentes: id enim dicit נבה et נבי apud Arab. Sed si quid mutandum sit, vel cum Clerico quidem יבאו vide-

יבאו videtur legendum, sed non *venerunt* vertendum, verum *penitius intrarunt*, simul supervenerunt, et hostiliter irruerunt, quam potestatem verbum haud infrequenter exserit; vel potius ויכו, uti mox v. 25. *circuiverunt in ea terra*, hostiliter *percutiendo Moabum*: quod ab ipsis factum esse mox traditur per partes, etiam usque ad urbes dirutas, fontes obstructos, arbores fructiferas excisas, et agros vastatos. Praeterea regem ad tantam redegerunt desperationem, ut filium primogenitum et successorem, inspectante, et hoc spectaculo se oblectante Israele, *mactaverit* in holocaustum, ad Deos suos placandos. Quae Israelis crudelitas, sicut *iram Jehovae*, in eum accensam, produxit, ita reges socios, indignatione adfectos, ad discedendum, et terras suas repetendum, compulit. Hunc enim sensum verba v. 27. fundunt: *et fuit ingens ira super Israele* (scilicet Dei, sese per plagas quoque jam, ut videtur, exserens) *et discesserunt ab ipso* (rege Moabi,) *et reversi sunt in terram* (quisque in suam, sese ab invicem separantes.)

§. CXII. Persequamur, ut antea in historia Eliae fecimus, Elisae, eodem acti spiritu, illustria et miraculosa facinora, ductum autoris lib. Regum secuti. *Primum* c. IV: 1—7. memoratum, fuit viduae alicujus filii prophetarum, debitis oppressae, a dura creditoris exactione liberatio, ac per totam vitam sublevatio, per miraculosam *Olei*, praestantissimi Cananaeae, ejus fertilis, fructus, multiplicationem, ita ut olei fluxus in vasa non cessaverit, nisi omnibus vasis repletis. Quod miraculum, serie narrationis teste, eo videtur contigisse tempore, quo Elisa una cum Israelitis a bello cum Moabitis domum rediit; adeoque in agrum Hierichuntinum, ut probabile est, ubi schola erat prophetica, ab Elisa peculiariter curari solita; uti ad cap. II. supra observavi; accedit, cum, postquam mulieri Sunamitidi succurrisset, mox *Gilgalem* rediisse c. IX: 38. Spectavit autem hoc miraculosum viduae praestitum subsidium, ut videtur, eo 1. ut in fide providentiae Dei, qua suis omni modo

 prospicit,

proſpicit, confirmarentur pii Iſraelitarum, et ſcholae propheticae alumni, quorum unus fuerat viduae maritus, pietate ſua clarus, qui forte quoque liberalitate, in hanc ſcholam collata, debita illa contraxerat. 2. Juſtitiam exacte obſervent, nec creditoribus, etiam duris exactoribus, quid ſubtrahant, aut alienis vivant inpenſis. 3. Dona *Spiritus* S., addere enim illud liceat, cum *oleo* comparari ſolita, in hac ſchola per omne tempus manſura, et cum aliis communicanda, quamdiu *vaſa* ſupereſſent capacia, ſignificaretur.

§. CXIII. *Secundum* miraculum in filio Sunamitidis mulieris, in tribu Iſſaſcharis, ſuſcitato, v. 8—37. hic locum reperit, quod haud diu poſt praecedens fuerit factum. Quae vero de Eliſa, apud piam hanc foeminam prima vice, et deinceps ſaepius, divertente, filioque ipſi promiſſo, et nato, narrantur, antea acciderunt, hic autem, hiſtoria miraculoſae reſuſcitationis altius repetita, praemittuntur. Ipſa narratio, licet hic illic aliqua adhuc luce indigeat, me, qui hiſtoriam tracto, non detinebit; ſed unum alterumve obiter monuiſſe contentus ero. Verba Sunamitidis, quibus Eliſae, filium promittenti, reſpondet v. 16. *ne mentiaris famulae tuae*, non ſunt dubitantis, multo minus de mendacio prophetam ſuſpectum reddentis, ſed optantis, ſimul confirmantis dictum prophetae, nec ad natum tantum filium, ſed in vita perſeverantem, in domus columen, reſpiciunt. Quam mentem clarius expreſſit, cum, filio mortuo, Prophetae dixit v. 28. *num petii filium a Domino meo? nonne dixi? ne me liquido et ſecuro animo eſſe jubeas, ne me demulceas*, ſpe filii oblata, quam forte deinceps amiſſura ſum: uti vertit et expoſuit Cl. Schultens de Orig. Hebr. diſput. IV. verbum שלה: ubi vero de ſcopo adventus, et incolumitate quoque filii rogata, reſpondit v. 23, 26. שלום *pax*, mentita non eſt, nec ſolenni formula, ubi quid reticendum eſt, adhiberi ſolita, uſa, ſed et fidem de ope divina, ſibi per prophetam praeſtanda, ſimul inſinuat; quam in toto hoc negotio luculenter expoſuit pia femina; uti quod filium mortuum cu-

biculo

biculo prophetae incluserit, et ejus pedes tenaciter comprehenderit. Alterum, quod observo, ad modum resuscitationis rectius intelligendum pertinet, et habet, verbum גהר v. 34. ubi Elisa, super puero non tantum cubasse dicitur, sed et יגהר *super eo*, minus intellectum, hic, ut in historia Eliae 1 Reg. XVIII: 42. notavi, exserere vim *agitandi*, et adversa fronte congrediendi cum aliquo, quam apud Arab. habet, in specie *utrem* ad butyrum faciendum, adeoque sensum esse, Elisam, cubando super puerum, se, et ipsum secum, agitasse, et cum eo quasi congressum esse, ad calorem in ipso excitandum. Ad scopum magis facit, nonnulla, ad Elisam pertinentia, hinc collegisse: uti 1. quod apud regem et duces in honore fuerit, v. 13. 2. fixas quidem in monte Carmelo sedes habuerit, attamen terram Israeliticam continuo peragraverit, et in specie scholas in Gilgale, et Hierichunte, visitaverit, v. 8, 9. Domus Sunamitidis erat in itinere a Carmelo ad Gilgalem, et vice versa. 3. Elisa statis diebus, sabbati et novilunii inprimis, admiserit quoscunque, etiam coetus, ad docendum, et consilia dandum, v. 23. Denique 4. quod non fuerit perpetuo gavisus influxu spiritus prophetici: casum pueri funestum ipse declarat sibi non fuisse notificatum, misit quoque frustra, forte et praecipitanter, Gehazi, ministrum suum, una cum *baculo* suo ad puerum sanandum, v. 29. forte quia putavit, eum nondum fuisse mortuum, ita ut necesse non censuerit eo ire. Quo etiam facit, quod ministrum tanta voluerit uti festinatione, ut per viam neminem salutaret, nec alicujus salutationem admitteret: quo nihil aliud ac festinatio significatur. 5. Ipsa vero miraculosa suscitatio sicut de spiritu Eliae, super Elisa requiescente, testabatur, quippe cum ejus miraculo 1 Reg. XVIII. comparanda, ita eo etiam spectasse videtur, ut dogma resuscitationis mortuorum piorum animis altius infigeretur.

§. CXIV. *Tertium*, in gratiam scholae propheticae, Gilgale factum, situm est in *jusculi* (vox enim נזיד in ge-

 nere

nere *coctum*, *decoctum* denotat, a זיד *tumore efferbuit*) per *cucumeres* agrestes (eos enim designare videtur vox פקעת a *fissione* et *stridore* sic dictos, amarissimi et perniciosi saporis ac effectus; *mortis* nomine, quo quicquid amarum et insalubre est exprimitur, hic indicati) a ministro scholae collectos, et in ollam inmissos, insciis curandae culinae praefectis, (ad eos enim pertinet illud, *et non sciverunt*, dicitque non, illos hoc leguminum genus ignorasse, ut putatur, sed pestiferum illud in ollam fuisse conjectum) corrupti, ac amari et insalubris facti, sanatione per injectam *farinam* v. 38.— et eo collineasse videtur, ut, sicut antea schola Hierichuntina, ita et haec Gilgalis, manifestum haberet favoris divini signum, ex quo simul de sustentatione, etiam tempore difficillimo, ut *famis*, quae nunc grassabatur, divinitus concedenda, certior fieret, praeterea, quod addere liceat, corruptionem, sive doctrinae, sive morum, si forte in scholam irrepserit, non vi, sed doctrinae et institutionis medio, esse tollendam, inculcaretur; est enim *farina* verae doctrinae egregium emblema. Accessit eodem fere tempore, ut nexus historiae indicat, novum favoris Dei indicium, ad scholae sustentationem pertinens; quod vir aliquis fuerit excitatus, qui 20 panes hordeaceos, et spicas, gluma adhuc vestitas, obtulerit Elisae, quodque illi 100 viris ad satietatem usque, per benedictionem ejus, suffecerint v. 42.— Quod inter miraculosa Elisae facta quoque locum habet.

§. CXV. *Quintum* miraculosi spiritus in Elisa signum adparuit in Naamane, supremo regis Syriae Damascenae duce, a lepra per aquas Jordanis purgato, simul ad veri Dei notitiam ac cultum converso: cap. V. Videtur, ut hoc praemittam, hoc tempore in schola quoque prophetica Gilgalis degisse Elisa, cum, quod ante et post c. IV et VI. ibi repraesentetur, hic nulla loci expressa facta mentione, tum ad Jordanem ablegaverit Naamanem, adeoque in ejus fuerit vicinia. Nec obstat, quod puella *prophetam* Samariae fuisse dicit v. 3. quia, ne dicam urbem metropolin pro regno

Israelis

Israelis forte sumi posse, praeterea eam Eliam quoque in oculis habere potuisse, cum *prophetam* in genere adpellet, opinio tantum puellae fuit, inde nata, quod eum ibi aliquando viderat. Utique eum *Samariae* non fuisse, inde colligi potest, quod *audivisse* dicatur, regem lacerasse vestes, et ad eum miserit nuncium, v. 8. sufficit, eum fuisse in vicinia Samariae. Ceterum quod de Syris, globatim in terram Israelis irruentibus (id enim phrasis v. 2. significat, vertenda, *et Syri exierunt turmae* h. e. per turmas praedatrices,) et puella Israelitica captiva facta, traditur, accideritne hoc tempore, an antea? incertum est: si Elisam intenderit puella, oportet sub Joramo contigerit, quando, Elia sublato, Elisa demum in publicum prodiit, sed si Eliam, ut potuit, de ejus sublatione nihil sciens, antea haec invasio facta fuit: quod non est inprobabile, cum hoc tempore videatur pax inter eos fuisse populos, vel ipsa hac legatione regis Syriae teste. Accedit, Joramum dicere v. 7. regem *occasionem dissidii* quaerere: quod itaque tunc non erat. In ipsa narratione nostram nunc tantum animaversionem meretur, quod Dux per lavationem in Jordane purgatus a lepra, et sanatus, primum Elisae aliquod *munus* obtulerit, dein, cum propheta id recusaret, *portionem* terrae Israeliticae secum sumendam petierit, ac inpetraverit. Vox ברכה *benedictio*, ut verti solet, v. 15. qua *munus* oblatum a Naamane insignitur, non simpliciter munus aliquod praestantissimum, *benedictionem* actu et signo reali demonstratam, in animi grati pro tanto praestito beneficio signum, denotat, sed munus in signum reverentiae erga prophetam, simul Jehovam, cujus erat propheta, denique societatis foederalis religiosae cum propheta tesseram. Dixerat enim, se Jehovam solum nunc agnoscere Deum in tota terra, et, in ejus fidei ac adfectionis signum, nunc exhibet prophetae munus, reverentiae et societatis futurum pignus. Ipsa vox Hebr., quae proprie *geniculationem*, et procubationem in pectus designat, hinc ad quamvis reverentiam et societatem pacis,

ut 1 Chron. XVIII: 10. et alibi, tranſiit. Cum vero Eliſa ejuſmodi ſignum, quia ſpeciem recompenſationis et remunerationis praeferre poſſet, recuſaret, Naaman aliud propoſuit, et ab Eliſa petiit, v. 17. terrae ſcilicet Iſraeliticae portionem, ſecum in terram ſuam deferendam, ſive ut *altare* inde erigeret Jehovae, ſive ut fidei et religionis ſuae eſſet tantum ſignum, et monumentum. De quo ejus ſcopo verba ejus clare teſtantur. *Et non* (h. e. *ſi non*, ſi hoc reverentiae et fidei meae ſignum nolis, ecce peto aliud, quod ne ſpeciem remunerationis habet,) *detur mihi portio terrae* — — — *quia*, vel profecto, *non offeret amplius ſervus tuus Diis aliis, ſed ſoli Jehovae.* Unde clare eluceſcit, eum id non ex ſuperſtitione, acſi terra illa eſſet ſanctior, aut Jehovae unice placeret, petiiſſe, ſed tanquam fidei ſuae et religionis monumentum. Quod vero unicum caſum, quo regi, in Templo idololatrico adoranti, officium praeſtet, ſeſe etiam incurvando, licet ſine adoratione idoli, excipiat, in eo nec hypocriſios, nec irreligioſitatis, crimen ponendum eſt, ſed civile tantum officium regi exhibendum, quod condonari poſſit: ſicut Eliſa quoque tacite ipſi conceſſiſſe cenſendus eſt, *in pace* eum dimittendo. De quo egregie diſſeruit Cl. Werenfelſius in peculiari de hoc caſu diſſertatione, in operibus ejus obvia.

§. CXVI. Ceterum miraculoſa haec Naamanis, per ſeptuplicem inmerſionem in Jordanem, ſanatio, eamque ſecuta ejus converſio ad verum Deum Jehovam, 1. ad veritatem et divinitatis Jehovae, Dei Iſraelis, et divinae miſſionis ac muneris prophetici Eliſae, evincendam, ac in omnium oculos ingerendam, fuit adcommodatiſſima. Quae etiam ratio eſt, quare in Jordane, ſymbolo regni Dei in Iſraele, idque *ſeptem* vicibus, id facere debuit: numerus enim *ſeptenarius* erat Jehovae, qua creatori et Deo Iſraelis, ſacer. 2. Expinxit praeterea Gentium vocationem, ſuo tempore futuram, ac a lepra ſpirituali liberationem, per obedientiam Meſſiae, cujus ſignum eſt baptiſmus. Notatu quoque dignum

est, Gehazi, servum Elisae, fuisse lepra, ad verbum Elisae, in signum propheticae dignitatis, ac potestatis, percussum, et consortio ejus expulsum, quod contra ejus voluntatem munus, nomine Elisae, a Naamane petierit. Quod dictum Elisae ad eum, *non ivit cor meum tecum*, significat; non interrogative, ut solet, capiendum, sed quod emphatice cum indignatione negat: *non ivit cor meum*, cum tu abiisti, est, plane contra mentem meam id fecisti. Dixerat Gehazi, *non ivit servus tuus*, respondet Elisa, de meo corde id unice verum est, non qua servus a me missus ivisti, sed contra voluntatem meam, *non ivit cor meum tecum.*

§. CXVII. *Sextum* miraculum, quo ferrum *securis*, quae quid eximii habebat, et commodata erat, adeoque probe curanda, casu in aquas projectum, ab *uno* filiorum prophetarum, eoque praecellente, et reliquis praefecto, (eam enim emphasin hic, ut alibi, habet vox האחד *unus* cap. VI: 3, 5.) super natare fecit, inmisso novo ligno, ab Elisa secto; cap. VI: 1. in gratiam scholae Gilgalis patratum, eo mihi tetendisse videtur, ut nova haec schola signo favoris Dei confirmaretur, simul sinistrum omen, quod in novo auditorio condendo acciderat, averteretur, ne infirmi animi inde quid mali suspicarentur. Non enim de sedibus et domiciliis, sed *oratorio*, seu auditorio, in quo filii prophetarum, tanquam discipuli, sedebant coram Magistro, cogitandum esse, phrasis *sedere* coram Elisa v. 1. satis docet: ne dicam, quod singuli unam tantum voluerint *trabem*, pro domo singulorum non sufficere. *Septimum* Spiritus, et prophetici, et virtutis miracula patrandi, specimen 1. in detegendis arcanis consiliis insidiosis regis Syriae situm fuit. Rex Syriae cum v. 8. *consultasse* dicitur *cum servis suis* dicendo; *ad illum vel illum locum reclinabo:* sensus est, eum inita consultatione definivisse, ut globus aliquis militaris ibi in insidiis locaretur, ad obvios intercipiendos, vel, data occasione, Israelitas incautos adgrediendos Verbum חנה proprie est *reclinari* vel *reclinare* se ad quietem, unde inter alia ad latibula transiit. Moni-

tum vero Prophetae, quo insidiarum locum patefecit Regi, eo omnino tendit, ut rex sibi cum suis caveret, ne ipse aut alius in eorum manus incautus incidat, praeterea Syros inde expellat: sicut factum est, cum rex dicitur eo misisse, non ut exploraret, ut putatur, sed eos detegeret et ejiceret. Erant enim Syri jam in eo loco, antequam Propheta admonuit regem, uti indicat, dicens, quia ibi Syri נחתים *descenderunt*, seu altius penetrarunt, in insidiis occultati: Radix enim dicit profundius penetrare, ductis quasi *fulcis*.

§. CXVIII. Alterum specimen est in hostili turma, ad Elisam capiendum missa, caecitate percussa (sive nihil viderint hostes, sive scotomate ac stupore inmisso, aliter ac res erant, et alia sub specie viderint: uti Gen. XX. in Sodomaeis. Vox Hebr. סנורים proprie denotat *mutationem lucis* in pejus, ex שנה *mutavit* etiam in deterius, ut Thren. IV: 1. et אור lux,) et admonita, se ibi Elisam videre non posse (verba enim ejus, *non haec est via*, *non haec urbs*, non sunt fallentis, aut mentientis, sed negantis, hunc esse locum, ubi virum, quem quaerebant, visuri sint: sermo est ellipticus, ita, ut feci, supplendus: qua ratione nihil hic est difficilis) et Samariam abducta, ibique bene, ad Elisae intercessionem, excepta, uti c. VI: 1—23. fuse narratur. Eo collinearunt haec specimina, ut 1. Jehovae, ejusque prophetae, reverentia, et Syris et Israelitis, incuteretur, ita ut frustranea sit omnis infestatio. 2. Syris ob oculos poneretur, se Israeli nocere non posse, nisi Jehova, a populo spretus, permittat. 3. Israel de praesidio, in solo Jehova posito, cui itaque adhaerere debeat, si salvus esse velit, admoneretur. 4. Denique Syri, tam benigne ab Israele tractati, iratos in eum exuant animos, et pacifice degant.

§. CXIX. *Octavum* Spiritus prophetici in Elisa indicium sese conspiciendum praebuit in terribili fame, Samariae, a Syris obsessae, grassante, cum omnium rerum abundantia commutanda, et morte praefecti, ei contradicentis, praedicta v. 24. et c. VII: 1—20. Licet rex Syrorum turmas

praedatrices desierit clam in terram Israelis inmittere, quia omnes insidiae fuerant frustraneae, ut v. 23. dictum erat, a bello tamen non destitit, sed alio modo gerere instituit, aperto nimirum marte, et totis viribus, quibus prophetam ipsum resistere non posse temere judicavit. Id quod Deus fieri permisit, ut et Syros et Israelitas, nihilo meliores per superiores casus factos, puniret, simul novum adhuc potentiae suae, et autoritatis prophetae, favorisque sui erga Israelem, specimen daret. Redacta est Samaria per famem ad extremam miseriam, ita ut 1. *caput asini octoginta, et quarta pars cabi stercoris quinque argenteis siclis* venderentur v. 25. non quod *stercus* columbarum (illud enim denotat vox textualis חריונים ex חרי proprie *aestuatio*, exaestuatio, inde excrementi *ejectio*, et יונים *columbae;* cui marginales דביונים ex דבא *fluxu* profluvio, cui convenit נדב *fluxit sponte* et copiose, nec non זוב *liquescere*, et ita fluere, litterae ד et ז permisceri solent, concinit, a Masorethis superstitiose, tanquam honestior, substituta) emerint et comederint, quod vix fieri potuit, ut haud male disputavit Bochartus H. p. II. l. I., qui tamen minus recte, licet ingeniose, *leguminum* aliquod genus, seu *cicerem tostum*, intelligi putat, uti Olavus Celsius in Hierobot. p. II. jam demonstravit, cui hic non inmoror; sed quod proverbiali locutione emphatice expressa fuerit dirissima fames, quae homines prae desperatione ad quaevis detestanda comedenda compellere potest. Cujus indicium est in dicto Rabsacis Jes. XXXVI: 12. eodem modo capiendo, nec non in eo, quod Deut. XXVIII: 56. occurrit, 2. praeterea ut matres quoque a liberis mactandis et comedendis vix absterritae fuerint: uti v. 37. narratur.

§. CXX. Hoc desperato in urbis statu quid Regem moverit ad necem Elisae quaerendam, v. 31. difficile est explicitu. Inprobabile mihi non videtur, eum pro tantae calamitatis autore fuisse a rege habitum, sicut antea Elias ab Achabo, cum, quod favore suo apud Deum, quo omnia posse credebatur, non uteretur, ad tanta mala avertenda, uti

 alio

[illegible] populum, spe auxilii
[illegible] aëraverat, cui innixus
[illegible] fecerat, vel saluti
[illegible] ex verbis regis v. 33.
[illegible] c. VII: 17, 18. etiam
[illegible], vel המלך עם המלאך
[illegible] roboris acquirit, ut vi-
[illegible] *quid sperem a Jehova am-*
[illegible] videtur, *Jehovae* esse re-
[illegible] mulierem, ejus opem in-
[illegible] *Jehova* (sic enim dividenda
[illegible], seorsim posita, ut sit ne-
[illegible] acsi dixisset *absit*, non ego
[illegible], ad eum confuge. Sic
[illegible] minus quoque consentaneum
[illegible] urbi succurrere, uti falso
[illegible] ab eo exspectari auxilium,
[illegible] ditionem urbis; acsi habere-
[illegible], qui eo satis indicat, se nobis
[illegible] vana nos lactamus spe, aut
[illegible]? puniamus eum, et urbem

[illegible] Elisa, contra omnem exspecta-
[illegible] omnium bonorum copia esse
[illegible] nomine Jehovae, addita et alia
[illegible], per nimium populi con-
[illegible] morte, praedictione, in poenam
[illegible] prophetae, qua illud tanquam
[illegible] VII: 2. *ecce Jehova cataractas*
[illegible] quibus verbis non, uti accipi
[illegible] quidem tantam posse oriri
[illegible] hordeum plueret et triticum,
[illegible] vel aeque inpossibile haben-
[illegible], ac hoc, quod Elisa dixe-
[illegible] minuenda sit, utrumque si
Deus

Deus possit, eum in gratiam urbis, ab eo desertae, hoc facturum, vanum esse creditu: qua ratione promissum Elisae tanquam vanum irrisisset tantum, et prophetae insultasset. Utrumque, quod Elisa praenunciaverat, contigit, uti cap. VII. narratur: Syris terrore panico correptis, ex sonitu curruum et strepitu equorum colligentibus, AEgyptios et Chittaeos (incertum qui et quales fuerint Chittaei, quo nomine alias antiqui Cananaeae incolae veniunt in Script. S.); a rege Israelis contra se esse conductos, ac praecipiti fuga, omnibus rebus in castris relictis, se proripientibus, leprosi aliqui, fame pressi, eo sese conferentes, detexerunt, et per urbem divulgarunt. Quo facto castra sunt ab Israele direpta, et vaticinium Elisae utrumque inpletum est.

§. CXXII. *Nonum* spiritus prophetici Elisae signum, antea ab Historico omissum, urbis liberationi subjungitur, occasione foeminae Sunamitidis, cujus filium Elisa suscitaverat, ex peregrina terra, ubi propter *famem*, ab Elisa ei praenunciatam, aliquandiu exulaverat, domum redeuntis, et a Rege *restitutionem* agri sui repetentis, ac inpetrantis, quo tempore Rex a Gehazi, antiquo ministro Elisae, illustriorum facinorum Elisae notitiam accepit, et ipsum magni fecit, cap. VIII: 1— Accidit quidem casus, quo Regi miracula Elisae narrata sunt, et mulier in patriam rediit, hoc ipso tempore, post liberatam Samariam, uti ex serie historiae liquet; cui non obstat, quod Gehazi jam fuerit leprosus, uti c. V. fin. relatum est, cum extraordinarie leprosus ad commercium admitti potuerit, nec rex legis adeo fuerit studiosus: sed ipsa *fames* jam antea aliquandiu inceperat; occurrit enim ejus jam mentio c. IV: 38. nec rex post hoc bellum Syriacum tam diu, quam *fames* grassata est, *septem* scilicet annos, regnavit. Epocha famis quidem praecise figi nequit, sed probabile fit, haud diu post filium Sunamitidis resuscitatum, eam initium habuisse: quia ratio dari nequit alia aptior, quare Sunamitidem de fame admonuerit, quam quod tunc apud ipsam fuerit, et insigni filii redditi benefi-

eio eam mactaverit; cui et hoc addidit, quod instantem famem ipsi notam fecit: accedit, ejus mentionem mox fuisse in Historia factam, c. IV: 38. Ceterum, ut hoc obiter observem, cum in hoc ipsum famis tempus inciderit Samariae obsessio, unde tanta fuerit victus in ea penuria, facilius intelligitur.

§. CXXIII. *Decimum* spiritus prophetici specimen dedit in Benhadadi, regis Syriae Damascenae morte violenta, Chazaelis successione, et horribili Israelis per eum adflictione, praedicta c. VIII: 7— Quo ipso mandatum, Eliae a Deo datum 1 Reg. XIX: 15. de Chazaele ungendo, rege Syrorum, exsecutioni mandavit. Elias enim illud Elisae reliquit, suo tempore, quando sese commoda obtulerit occasio, exsequendum: ut in historia Eliae habuimus. Contulit itaque tempore opportuno, ductum spiritus secutus, rege Benhadado decumbente, et morituro, sese Damascum, v. 7, et a Benhadado, ejus adventu audito, per Chazaelem, splendida legatione, sub spe favorabilis responsi, consultus de morbi exitu, declaravit, regem quidem non lethaliter aegrotare, attamen moriturum esse: prius Benhadado nunciandum concessit Chazaeli, sed ipsi, quid fieret, aperuit. Quem sensum existimaverim verba ejus habere, secundum marginalem lectionem, hic adoptandam forte, licet inter textualem ac eam quis dubius haerere possit, v. 10. *Ita, dic ipsi, vivendo vives: sed monstravit mihi Jehova, ipsum moriturum* pro certo *esse*; h. e. morbi ratione habita, et secundum vota mea, *dic ipsi, vives*, et *vivas*: sed tu Chazael scias, eum nihilominus moriturum esse, hoc ipso tempore, per aliquod accidens; quod propheta tacet; sed mox insinuat ipsi, declarando, ipsum regem Syriae futurum, sed simul multa et gravia mala adlaturum Israeli. Propheta, *vives* dicens, non quid sit futurum enunciavit, sed *cum* quid ex natura morbi sequeretur, *tum* quid contingeret, si aliquod accidens aliunde non interveniret, quemadmodum Jesaias dixit Hizkiae, *morieris* c. XX: 1. scilicet, morbus tuus est lethalis, nec evades, nisi Deus

Deus extraordinarie succurrat. Addi potest optativa forma, *vives*, si morbus, si vota mea considerentur, et nihil violenti patiaris; votum censeri potest propheta addidisse, quia praevidebat quanta mala Israeli, ipso mortuo, contingerent, per Chazaelem; uti mox exponit. Ambiguô hoc, et semiplenô responso, censeri potest eo magis usus Elisa, quod rex non tantum consulendi, sed favorabile responsum consequendi causa, miserit ad Elisam, teste quoque splendida legatione, et liberalissima munerum missione: fere sicut antea responderat Achabo Micha 1 Reg. XXII; quocum tamen per omnia non est comparandum. Plura ad hanc interpretationem confirmandam hic addere non licet. Prophetiae Elisae qua ratione eventus responderit, ex historia facile constat.

§. CXXIV. Redit autor lib. Reg. ad regnum Judae, ejusque successionem, et *Joramum*, filium Josaphati, Joramo Israelis ex parte aequalem tempore, vivo adhuc patre, ad regnum pervenisse tradit. Id enim sibi volunt voces, per parenthesin insertae v. 16. *et Josaphat rex Judae erat adhuc*. De quo etiam inde constat, quod Joram Israelis dicatur rex factus anno Jorami Judae 2do 2 Reg. I: 17. et Josaphati 18vo ib. III: 1. Sed de eo nihil aliud refert, quam quod vestigiis Achabi, cujus filiam duxerat, institerit, et *malum in oculis* Jehovae fecerit, scilicet prae reliquis, ac propterea a Deo punitus fuerit. Cujus unum tantum profert indicium in defectione *Edomitarum* a Juda, hoc tempore facta, v. 16— Laborat itaque haec historia insigni defectu, quem rursus supplevit autor 2 Chron. XXI. Tentaverat quidem Edom defectionem sub Josaphato, saltem ita visus erat, cum Moabitis et aliis populis in regnum Judae irruens, sed infelici successu, 2 Chron. XX. sed, eo mortuo, rem felicius perfecit sub Joramo. Conatus quidem Joram est Edomitas in ordinem redigere, magnis copiis eorum terram, usque ad Tsehiram, ad australem maris Sodomitici terminum, invadens, sed ab iis cinctus, vix cum suis perrumpendo evasit noctu, quando totus exercitus ejus dilapsus est. Hunc

enim sensum fundere mihi omnino videntur verba v. 21. haud una ratione intellecta; *et accidit, ut noctu surrexerit, et percusserit Edomum, qui ipsum et principes curruum circumcinxerat, et aufugit populus ad tentoria sua*, h. e. Ipse cum principibus curruum, ab Edomo obsessus, et arcte inclusus, ac ad incitas redactus, nocte, Edomo percusso, perrupit, et ita evasit, populo, seu exercitu, ejus dissipato, ac ad tentoria sua, seu domos, aufugiente. Quando mox apte subjungitur, Edomum in sua perseverasse defectione. Inpletum autem ea ratione est dictum Isaaci de Esavo, ipsum jugum fratris aliquando esse disrupturum et abjecturum. Gen. XXVII: 20. Ceterum צעיר *Tsalir*, locus quousque penetraverat in terra Edomi Joram, idem fuisse videtur, qui alias צוער *Tzoar* adpellatur, ex historia Lothi notus Gen. XIX., in vicinia Moabitarum et Edomitarum, ad australem limitem maris Sodomitici, versus ortum. Sed praeter Edomum defecit quoque munita ipsius Judae urbs et sacerdotalis *Libna*, ad occiduum Hierosolymae flexum versus austrum, quam Senacherib, tempore Hizkiae, obsedit: sic enim Historicus 2 Chron. XXI: 10. mox defectioni Edomi subnectit: אז *tunc*, vel si אף legatur (quod non est rejiculum, cum mox addatur *ipso illo tempore*, altera nota temporis *tunc* itaque plane superflua) *etiam defecit Libna eo tempore* etc. Videtur haec urbs, si ratio defectionis danda sit, ab Historico neglecta, ideo desciviße, quod una forte fuerit earum, quae fratribus Jorami a Patre erant datae, quos occiderat Joram. 2 Chron. XXI: 3, 4. Adjecit enim reliquis criminibus et illud, quod fratres, quibus Josaphat, regno exclusis, bona et urbes munitas in possessionem dederat, ad unum omnes trucidaverit, forte ne aliquid ab iis haberet metuendum. Increpitus fuit propter idololatriam, etiam horrendam illam Achabi, introductam, et fratrum trucidationem, addita denunciatione et cladis regno, et plagae ipsi ad mortem, infligendae, per litteras prophetae alicujus, qui אליהו adpellatur, 2 Chron. XXI: 12. et pro *Elia* haberi solet. Quod

plane

plane ferri nequit, cum Elia Thiſbites jam fuerit in coelum ſublatus, uti ab aliis jam eſt obſervatum, nec Eliſa ſubſtitui poteſt, quo nonnulli inclinant, cum nomina אליהו et אלישע nimium diſtent, nec in libro Chron. alicubi memoretur Eliſa, hic itaque tam abrupte non videtur in ſcenam producendus. Alius itaque ex mea opinione intelligendus eſt, ſimilis nominis, propheta, qui longe quaerendus non eſt, cum expreſſe memoretur in hiſtoria Joſaphati יהוא *Jehu*, qui Joſaphatum etiam objurgaverat ob ſocietatem cum Achabo, c. XIX: 2. et res ejus conſcripſit c. XX: 34. Quidni hic ipſe ſit, qui, epiſtola nunc ad Joramum miſſa, ei et male facta et poenam ob oculos poſuit? nec nomina multum differunt, modo אל pro articulo habeatur, nominibus etiam propriis haud raro praefixo: uti אליהוא, אליאב, אלחנן. אלדעה, אלנתן, אלגביש aliiſque multis.

§. CXXV. Nec caruit haec denunciatio effectu. Regnum enim, praeter Philiſtaeos, invaſerunt Arabes, ad latus Cuſchaeorum, adeoque Arabiae Petraeae incolae, et regiae familiae omnes opes ſpoliarunt, omneſque regis filios, excepto uno Joachazo, abſtulerunt, 2 Chron. XXI: 17. Ipſe Rex, foetida ac dolorifica plaga adfectus, viſceribus cum dolore adterente, una cum excrementis, ejectis, exſpiravit: ib. v. 19. his verbis, quae una exponam, quippe nondum recte intellecta: *et fuit* (in miſero illo ſtatu morbi) *dies poſt dies*, (aliquot, vel multos, dies) *et tempore egeſtionis* excrementorum; (vox צאת faeces denotat, quae ex alvo egeruntur, et *emicant*, a rad. צוא et ציא, cujus ſororia eſt יצא *emicare* proprie, adeoque tempus intelligitur, quo fluxu ventris laboravit) *fine duorum dierum*, (quum in eo ſtatu fluxus biduum triviſſet,) *egreſſa* (proprie *emicarunt* et egeſta) *ſunt viſcera ejus cum dolore cruciante* etc. (quam emphaſin adfert חלה, cujus primaria notio eſt in *terendo*, adterendo, ſcuticis etiam et flagellis.)

§. CXXVI. Joramo ſucceſſit filius ejus Achazia, minimus natu, reliquis ab hoſtibus exterminatis 2 Chron. XXII: 2.

 Videtur

Videtur Patri adsociatus in regno, quo tempore morbo laboravit, ann. ejus 11*mo* et successisse ei mortuo ann. 12*mo*. Qua ratione loca 2 Reg. VIII: 25. et IX: 29. facile conciliantur. Joachaz adpellatur 2 Chron. XXI: 17. et XXII: 1. Achazia, sed c. XXII: v. 6. *Azarja*: quae nomina eodem redeunt יואחז et אחזיה significant *Dominus adprehendit*, scilicet ad opitulandum, et עזריה *opitulatus est Dominus*. Successit annos 22 natus 2 Reg. VIII: 26. unde emendari debet 2 Chron. XXII: 2. ubi 42 habetur: legendum enim est 22; unde facile lapsu litterarum כ et מ 40, a librario errari potuit. Cum Joram ann. 32 natus ad regnum pervenerit, 8 ann. regnaverit, 2 Reg. VIII: 17. 2 Chron. XXI: 5. in universum itaque 40 annos vixerit, Achaziam 42 annos non potuisse habere, cum rex fieret, in oculos incurrit. Mendum doctiores Chronologi et comment. Script. agnoverunt, nonnulli quoque Cod. Graeci, et versio Syr., primaeva illa Antiochena, ad textum Hebr. expressa; uti notavit Usserius in Chron. S. Fuit intima societate junctus domui Achabi, quare חתן *gener domus Achabi* adpellatur, non quod filiam, aut neptem ejus habuerit uxorem, de quo non constat, nec etiam *Achabi*, sed ejus *domus* gener vocatur, sed quod matrimoniorum, amicitiae, et cultus religiosi vinculis, arctissime fuerit ei adstrictus, ita ut istius domus viros quoque habuerit consiliarios, uti in lib. Chron. traditur: quem latiorem significatum vox Hebr. proprie habet, unde ad *generum* transiit. Ceterum cum Joram et Achazia ad bellum contra Hazaelem leguntur tetendisse *Ramotam* Gileadis, fueritne hoc factum ad urbem eam Syrorum manibus eripiendam, quod e superiore historia Achabi 1 Reg. XXII. colligi posse videtur, an contra eorum invasionem tuendam, incertum est, licet posterius aliquid roboris ex c. IX: 14. acquirat, et probabile videatur, eam urbem, post infelicem Benhadadi expeditionem cap. VII. narratam, in manus Israelis rediisse. Sed illud tanti non est.

§. CXXVII.

§. CXXVII. Hoc in bello cum versarentur duo reges, Joram Israelis, et Achazia Judae, judicium Dei, per Eliam olim in *Achabi* domum pronunciatum, exsecutioni omnibus suis partibus mandatum est per Jehu, unum ducum Jorami in hac expeditione, divinitus electum, et unctum, per unum filiorum prophetarum, ab Elisa, jussu Dei, ad eum missum, cui judicio involutus quoque est Achazia, socius Jorami in hoc bello, et cum Joramo occisus a Jehu: ita ut utrumque regnum eodem vacaverit tempore, Israelis vero ad novam venerit familiam in Jehu, et Judae ad breve tempus in manus Athaliae deciderit, successione in domo Davidis interrupta, sed mox restituta in Joaso, filio Achaziae. Quae valde notabilis est historia, 2 Reg. IX et X. adcurate narrata; quam uno alterove tantum observato, ad scopum nunc pertinente, illustrabo. Joramo in praelio cum Syris prope Ramotam Gileadis vulnerato, et Jizreelem translato, ut curaretur, sed ducibus ibi residere pergentibus, *Jehu*, unus et praecipuus eorum, fuit inproviso ab uno prophetarum, quem Elisa eo eum in finem miserat, in secretum locum abductus, et unctus in regem Israelis, una cum mandato totam Achabi domum funditus exstirpandi. Verba Elisae ad *puerum prophetam*, eo titulo insignitum, v. 4. ut Elisae non tantum ministrum, sed et unum e filiis prophetarum fuisse, significaretur, *vide ibi Jehu* v. 2. emphatice, secundum verum verbi ראה potestatem, significant, *acri oculo mica in Jehu*, circumspice, et quaere, inventumque acriter intuere, et eum a te intendi ipso indica intuitu. Quod etiam fecisse dicitur v. 5. cum enim dixisset, *verbum mihi ad te Dux!* nemine nominato, licet plures essent praesentes duces, Jehu mox ex intuitu ejus percepit, se intendi, quare ipse solus interrogavit, *quem vis?* sed singularem meretur animadversionem titulus המשגע, quo duces prophetam insigniunt, v. 11. Proprietas verbi שגע est in motu, vel inpetu incitatiore et praecipite, sive ex metu, sive ex audacia: unde ad *insaniam* exprimendam transiit, et amentiam, sive

quod oculi prae tali motu caligare ſoleant, ſive quod inſaniae ſignum ſit ejuſmodi motus, vel temeritatem ac levitatem exprimat. Datus fuit prophetae hic titulus a Ducibus, 1. ob praecipitem illius motum, quo in conſeſſum ducum audacter irruperat, ſimul feſtinatiſſima fuga ſe proripuerat. 2. Prophetae, geſtu et habitu non tantum a reliquis hominibus diſtincti, ſed ecſtaticis motibus ſubinde extra ſe rapti, mentis non viſi fuerunt vulgo compotes. 3. Addi poteſt, falſos vates, cum veris aliquando confuſos, vana ſomnia, ridicula viſa, ſubinde protuliſſe, et geſtibus ſeſe praebuiſſe ridiculos. Unde accidit, ut vates, verorum ac falſorum nullo diſcrimine facto, in genere hoc titulo fuerint inſigniti, Jer. XXIX: 26. Hoſ. IX: 7. Duces vero eo uſi ſunt, non ut eum contumelia adficerent, aut ſpernendum eſſe, ſed pro vero vate a ſe haberi ſignificarent, cum vulgo tantum locuti, et ſtilo militari uſi. De quo ex ſequente facile conſtat.

§. CXXVIII. Quo facto mox a reliquis ducibus, quibus electionem et unctionem ſuam, ad ipſorum inſtantes petitiones, notam fecit, agnitus, et rex proclamatus eſt. Veſtibus enim ſuis in ſummitate graduum ſub Jehu poſitis, ſonitu quoque buccinae adhibito, proclamarunt eum regem cap. IX: 13. ſeſeque ei ſubjectos hoc ſigno declarantes. Vox גרם, originem in *reſectione* ac revulſione habens, transfertur inde ad *os*, cujus caro vulſim reſecta eſt, nec non ad extimam rei partem, qua reſecatur ac abſolvitur, adeoque hinc pro *ſumma* rei parte, ut hic ſumitur. Eſt itaque גרם *graduum* pars politior et elatior, ubi gradus reſecantur et finiuntur, in qua poſitus fuit Jehu, ut ab omnibus conſpiceretur tanquam rex, et *veſtes* ei ſubjectae ſunt in ſignum ſubjectionis, ut moris erat in Rege honorando. Sed hiſce ſignis nondum contentus Jehu, confeſſionem *firmitatis* animi, in re ardua adgredienda, ante ab ipſis ſibi fieri voluit, quam publice in regem conſpiraret; quo haec ejus tendunt, ut opinor, verba v. 15. אם יש *ſi ſoliditas* ſit anima

anima vestra etc., uti verti debet יֵשׁ; est enim nomen, et, ut saepe alias, *soliditatem* signat. Sensus ergo dicti Jehu ad principes alios est: si spiritus vester sit quid *solidi*, si sincerus sit, et fixo praeditus proposito, simul firmus, et contra omnia obfirmatus, ut rem adgredi, et perficere velitis etc.

§. CXXIX. Quibus peractis duces, cum Jehu, mox *citato cursu* (quem egregie exprimit vox שפעת v. 17. agmen equorum sonantium, etc. citato cursu magno cum inpetu sese moventium, denotans, et de equis, nec non aquis effusis, littora plaudentibus, vel fluctibus inter se collisis, et sonum reddentibus, adhibita; proprietatem habet in *plaudendo* et *plangendo* etc.:) Jizreelem tetenderunt contra Joramum, ibi, ut dixi, degentem; quem cum in via, ad se tendentem, et de causa tanti motus quaerentem, offendisset Jehu, et duro repulisset responso, dicens ei v. 22. *quid pax?* עד *usque ad scortationes Jezabelis, matris tuae* etc. (scilicet vel, *dum*, durante hoc, uti Jud. III: 27. vel pro עד מה *quousque erunt scortationes?* per interrogationem) cum fugae se dantem, telo percussit, et occidit, simul in ipsum illum agrum Naboti, in vindictam caedis ejus per Achabum, projecit: eaque ratione judicii Dei in domum Achabi, per Eliam, denunciationem inplevit. Nec elapsus est Achazia, Joramum, quem visitatum venerat Jizreelem, comitatus, jussu Jehu et ipse tunc occisus, v. 27, 28. Quae narratio, cum quoad circumstantias paululum differat a loco parallelo 2 Chron. XXII. eaque discrepantia varie tolli soleat, hac retione, utrobique ex instituta collatione necessariis supplementis additis, ex mea opinione digerenda est. Achazia, inpetu a Jehu in Joramum facto, aufugit versus *Samariam*, *via domus horti*, ubi se occultavit, non quidem in ipsa urbe, sed in vicinia, quae in lib. Reg. *domus horti*, in loco parallelo *Samaria*, quatenus ei vicina fuit, adpellatur. Jehu eum insecutus, non ipse, sed, ut ex loco Chron. patet;

patet, per *missos*, detexit eum ibi, quem prehensum cum ad Jehu, adhuc Jezreele versantem, *adducerent*, jussi a Jehu, ut eum in *curru*, quo vehebatur, *trucidarent*, in itinere, ut in lib. Reg. habetur, id fecerunt in *adscensu Gur*, qui spectat ad *Jibleamum* in tribu Manassis; verum, auriga currum vehementius incitante, factum est, ut veneri Achazia *Megidduntem*, et ibi mortuus sit; unde Hierosolymam fuit delatus, et ibi sepultus: quod ex lib. Reg. colligitur, et 2 Chron. supplendum est. Regnavit unum tantum annum 2 Reg. VIII: 26. 2 Chron. XXII: 2.

§. CXXX. Secuta mox est Jezabelis, inprobae foeminae, truculenta ac infamis caedes, 2 Reg. IX: 30. Ipsa, cum sese, ad gratiam vultus ac Majestatem ostentandam, forte ut Jehu reverentiam sui incuteret, pulchre ornasset, oculos quoque stibio *lacerando*, vel acu cultellove supercilia *scalpendo*, ad fucum rectius inspergendum, (hoc enim verbum פוך, unde in textu בפוך est derivandum, apud Arabes obvium, denotat;) et ad fenestram stans, Jehu, tanquam novo Zimri regicidae, insultasset, ejus jussu a satellitibus ei adstantibus, et a Jehu excitatis (dixit enim Jehu ad fenestram oculos adtollens v. 32. *quis mecum, quis?* h. e. quis mecum, qualiscunque sit, praestet se mihi faventem in trucidanda hac inpia femina, vocula מי aliquando est *qualis*, uti Ex. III: 12. Jer. LIX: 19. et alibi,) est in terram projecta, ac proculcata, ac dein a canibus discerpta, ita ut nihil, praeter aliqua ossa, fuerit relictum. Quo inplementum quoque nacta est prophetica Eliae denunciatio. Adjecit huic regum et Jezabelis caedi filiorum ac nepotum, seu totius domus Achabi lanienam, ab ipsis proceribus ac tutoribus, qui, Jizreele relicta, Samariam aufugerant, (quare Samariam misisse legitur Jehu ad principes *Jizreelis*, quippe tunc ibi degentes c. X: 1.) jussu Jehu factam. Deinde omnes de domo Achabi superstites, magnates, amicos, et *sacerdotes*, seu proximae admissionis aulicos, *sacerdotes regis* propterea dictos, occidit Jehu, ut nemo

mo manserit superstes, v. 11. Denique fratribus et cognatis Achaziae, qui numero *quadraginta duo* filios regis et reginae venerant salutatum, non pepercit, sed eos mactavit in via Jizreele Samariam, in loco dicto בית-עקד *Bet-gneked domo ligationis* pastorum, ubi oves, ut putatur, ad tondendum ligari solebant, projecitque in puteum: hanc enim emphasin praefert phrasis *mactare in puteum*, pro mactatos projicere in puteum: uti et Jer. XLI: 7. Samariam cum venisset, reliquias cognationis Achabi ibi exstirpavit, donec totam ejus domum gravissima ac ignominiosa perditione deleverit.

§. CXXXI. In via Samariam nactus socium, ac factorum suorum laudatorem, Jonadabum filium Rechabi, patris Rechabitarum Jer. XXXV. virum praeclarae virtutis ac existimationis, cujus *benedictione* est mactatus, et animatus (verbum enim *benedixit* v. 15. ad Jonadabum omnino pertinet,) una cum eo se adcinxit ad totalem cultorum Baalis, ejusque instrumentorum, destructionem v. 18—28. Omnibus enim cultoribus evocatis, ac in unum coactis, ac ipso idololatriae exercitium, a se strenue instituendum, praetendente, eos primum in Templo, dein in tota urbe, Bet-baal dicta, trucidavit, et urbem cum ipso idolo flammis tradidit totam. Nomine enim בית-בעל *Bet-baalis* non Templum tantum, sed et ipsa urbs, in qua erat, Samariae quidem vicina, sed ab ea distincta, comprehenditur, ut ex v. 15. hinc explicando, patet. Occisis enim cultoribus Baalis in Templo, *cursores et tribuni se cito proripuerunt* (id enim significat ibi verbum וישלכו *projecerunt* se cum impetu,) *et ad urbem Beth-baal iverunt:* scilicet in qua erat *domus Baalis*, quam cum idolis combusserunt totam. Evanuit vero ab eo tempore haec urbs, loco in *latrinam*, seu contemtissimum locum, mutato v. 27. Vox enim מחראות, a rad. חרא *exaestuavit*, ut חרה et חרי, inde *excrevit*, deposuit alvum, *latrinam* denotat.

§. CXXXII. Quibus omnibus ingente zelo ad finem perductis, nactus est adprobationem Jehovae, ipsi per prophe-

 tam;

tam, ut videtur, factam, una cum promisso regni in familia, ad quartam generationem usque, v. 30. Quod favorabile Dei judicium non est ad domum Achabi exstirpatam restringendum, sed Baaliticam idololatriam quoque destructam, extendendum, secus ac vulgo putatur: nihil enim exceptum est, nec Achabi domus excidium solum memoratur, sed in specie, et praeclaris Jehu facinoribus, tanquam eximium quid, additur. Nec erat idololatrarum, inprimis Baalitarum horrendorum illorum, caedes eo tempore injusta in populo Israelitico: uti in historia Eliae suo loco observavi, licet in fraude utenda, et principio, quo ductus fuit, peccaverit Jehu. Ceterum adprobatio Divina ipsi hoc scopo quoque significata est, ut, si regnum suum velit prosperum et diuturnum, ultra *quartam* quoque generationem extendendum, sibi cavendum esse sciret ab omni idololatria. Quod cum non praestiterit, judicium Dei et ipse brevi post expertus est: uti in historia subjungitur. Describitur enim mox, v. 32 et 33. judicium Divinum per Syros exsequendum, sed tanquam plenariae regni destructionis, suo tempore futurae, praenuncium, postquam regis et populi ad Jeroboamicam idololatriam defectio esset verbo memorata, v. 31. eo minus in Jehu toleranda, quod tam flagrans in Baalitica exscindenda studium comprobaverat, tantoque a Deo mactatus erat beneficio. Ceterum verbum קצץ v. 32. *eo tempore incepit Jehova abscindere Israelem* etc., omnem suam vim exserit, et 1. *extremitatum* amputationem, hic directe intentam, comprehendit: uti ex regionibus Transjordan. ab Hazaele misere adflictis, v. 33. patescit, 2. quassationem et disruptionem vehementem; quam Gileaditae a Syris experti sunt, secundum praedictionem Elisae 2 Reg. VIII: 12. Denique 3. exterminium totale, quo regno Israelis inponeretur finis, cujus praenuncium foret hoc judicium. Praefuit Jehu, primus novae familiae regiae rex, ann. 18 v. 36. et successorem habuit filium suum *Joachasum.*

§. CXXXIII.

§. CXXXIII. De quo antequam agam, historia regni Judae, secundum ductum Historiae lib. Reg. pertexenda est. Postquam illud regnum sibi rapuerat, et tyrannice administraverat, per sex annos plenos, mater Achaziae *Athalia*, e domo Achabi, *Joas* filius Achaziae, caedi filiorum, ab Athalia factae, reliquorum domus regiae, singulari modo, cura materterae, uxoris Jojadae, ereptus, et in Templo occultatus, *septimo* anno proclamatus, et constitutus est Rex, ope Jojadae Pontificis, occisa Athalia: quae historia 2 Reg. XI. et 2 Chron. XXII. et seq. traditur. Quam antequam enarrare ac illustrare adgrediar, de *temporis* circumstantia, quo haec rerum revolutio accidit, differendum est, ut, quam opportunum fuerit, elucescat. Historia quidem simpliciter tradit, anno *septimo*, scilicet latitationis Joasi, et dominii Athaliae, laetum hunc casum in regno Judae accidisse; cum tamen in genere dicat, anno *septimo*, nihil addens, praeterea usitato stilo annus *Sabbaticus* ita exprimi soleat, uti Lev. XXV: 14, 20. Deut. XV: 12. Neh. X: 31. non sine ratione cogitatur, annum *Sabbaticum* hac quoque phrasi fuisse designatum, maxime quia, meliore ex calculo, hic ipsissimus annus fuerit Sabbaticus et Jubilaeus; uti Vignolius egregie observavit, Chron. S. l. III. Ex quo elucescit, quam opportunum fuerit hoc tempus regem in publicum producendi, quippe quo maxima hominum multitudo undiquaque Hierosolymam, sine ulla suspicione mali Athaliae facienda, confluere poterat. Quae ipsa ratio fuisse videtur, quare Jojada ad hoc usque tempus exspectaverit, nec etiam diutius ad majorem regis aetatem distulerit, ceteroquin prudentia forte postulasset, ut vel citius, antequam Athalia se in regno confirmasset, regem produxisset, vel alias ad maturiorem regis aetatem exspectasset. Nec praeterea improbabile est, in uno festorum, sive Pentecostis, quod Usserio, sive Tabernaculorum, quod J. Cappello placuit, accidisse; quippe propter eandem rationem valde opportuno.

§. CXXXIV. Historia mutati regiminis, ab Athalia ad Joasum translati, per Jojadam Pontificem, quae per brevitatem et collationem locorum 2 Reg. et Chron. haud una laborat difficultate, per partes breviter est enarranda, et in aliqua, ubi opus fuerit, luce collocanda, secundum ductum libr. Reg., et collationem libr. Chron. *Prima pars* Centurionum, cum satellitibus et cursoribus, e toto regno convocationem et congregationem a Jojada, ad se Hierosolymam in Templum, et foederis cum iis pactionem, repraesentat, 2 Reg. XI: 4. et 2 Chron. XXIV: 1—3. Ubi, quod ad nostrum nunc tantum pertinet scopum, notandum est, per *satellites* et *cursores* intelligendos esse Sacerdotes et Levitas, cum primoribus familiarum, sed illos directius et expressius; quod ex seq., ubi, secunda persona usus, eos adloquitur Jojada, et *venientes* ac *exeuntes Sabbato* appellat, confirmatur. Epitheton enim illud in eos tantum convenit. Divisi quippe fuerunt a Davidis et Salomonis temporibus in *tres* partes, quarum *una* in Templo serviebat, *duae* aliae domi erant, per singulas septimanas vicibus in orbem euntibus. Qui ministrabant dicti sunt *venire*, qui functi vero jam erant officio *exire* Sabbato. Hos omnes nunc retinuit Jojada, *exeuntes* aeque ac *venientes* Sabbato; ut habetur v. 9. et in loco parallelo. Sacerdotes itaque et Levitae hic adpellantur רצים et כרים, nominibus a satellitio regio petitis, ita ut כרי satellitium exprimat, regem *cingere* solitum, et proxime comitari, רצים vero sint custodes, nuncii et cursores, reliqui omnes ad aulam, vel regis ministerium pertinentes. Quod ex verborum Hebr. potestate et usu facile confirmari posset, si hujus esset loci. Ceterum insigniti fuerunt Sacerdotes et Levitae, non suis, sed alienis, ut videtur, epithetis, a satellitio regio petitis, quia hoc munere nunc fungerentur, et has personas gererent in Templo, de satellitibus Dei, pro hoc tempore, satellites regis facti, militia religiosa cum seculari commutata. Cum itaque in historia traditur, Jojadam *misisse* et accepisse

cepisse *centuriones*, *satellitium*, et *cursores*, significatur, eum quaquaversum misisse, et congregasse *sacerdotes* et *Levitas*, eosque centuriones, satellites ac cursores, constituisse, ut locum supplerent, et partes tuerentur ministrorum bellicorum ac aulicorum Regis, ejusque domus. Memorantur vero in lib. Chron. *centuriones* quinque, quia milites eos in totidem turmas divisit Jojada; ut sequentia docent.

§. CXXXV. Mox enim narratur, quae *secunda* pars est, Jojadam loca, stationes, et munera turmarum, in quinque distributarum, ordinasse, v. 5—8. Ministros sacros, quorum erat in Templo ministrare, *venientes* Sabbati dictos, in tres divisit globos: *primus* domum regis, ubi tunc in Templo degebat, custodiret, *secundus* ordo portam *Sur* teneret, et *tertius* portam post cursores. Hi omnes ad domum regis custodiendam pertinebant, ut v. 6 habetur. Reliquae duae turmae ex ministris, qui officio sacro jam defuncti erant, *exeuntes* Sabbati dicti, reliquas partes Templi quaquaversum, Regis tuendi causa, custodirent, v. 7. Quibus reliquus populus, qui congregatus erat, cum *primoribus* familiarum fuit adjunctus, uti est 2 Chron., ex quo praeterea patet, illorum custodiae fuisse *atria* demandata, sicut aedem ipsam sacerdotibus ac Levitis, actu ministrantibus, vel *venientibus* Sabbati. Loca vero ipsa et portae adcuratius nequeunt definiri: quare hic moras non traham, obiter notasse contentus, voce מסח v. 6. fin. *et custodietis domum* מסח, cujus sensum non detexerunt Interpretes, exprimi *vices* succedentes, seu successionem vicium *volventium*, ex notione *revellendi*, quam continet rad. נסח; revelluntur enim a statione, qui successores accipiunt. Sensus ergo est, eos custodiam domus Regis in Templo observaturos esse *vicibus* succedentibus, seu per stationes, sese continuo excipientes.

§. CXXXVI. Quibus ita ordinatis, ac exsecutioni mandatis, uti v. 9—11 narratur, Rex solenniter fuit unctus, ac proclamatus, v. 12. Quae *tertia* pars narrationis est. Ubi illud tantum observandum habeo, voce עדות non librum

 legis,

legis, ut putatur ex Deut. XVII. sed reliquum ornatum regium, praeter coronam, denotari, quem significatum vox proprie et usitate habet. Eo quoque nos phrasis, *dare super rege coronam* et *ornamenta*, ducit, nec vox עדות absolute, sine ulla nota addita, referri ad librum legis commode potest. Quo peracto, Athalia, de eo certior facta, ad Templum properavit, et conjurationem frustra clamavit, cum audivisset clamores, ab הרצין v. 13. prolatos, a *satellitibus*, non jam Levitis, supra eo nomine insignitis, verum ab illis de populo, qui vices satellitum in atrio exteriore obibant, vel in genere a populo, quaquaversum *discurrente*, ac jubilante (quod ab epitheto רצין, vel ut in loco Chron. רצים non abhorret, et voci עם *populi*, expresse hic adhibitae, recte convenit,) Centuriones quoque, jussu Jojadae, *manus* mox in eam injecerunt, eam adprehendentes, et, cum viam introitus equorum domus regiae intrasset, eam violenta morte adfecerunt. Quae *quarta* pars historiae est, v. 13—16. Phrasis vero v. 16. *adposuerunt ei manus centuriones*, hostilem inpetum, adprehensionem, ac caedem omnino comprehendit, quae satis usitata est verbi שום significatio, huic loco unice congrua: et de violenta ejus morte satis constat ex v. 20., ac loco Chron. Secuta mox est foederis, inter Regem populumque ac Jehovam, ut et inter regem et populum, solennis pactio, idololatriae destructio, denique Regis in domum regiam deductio a centurionibus, satellitibus, et cursoribus, v. 19. qui alii fuerunt, quod probe adverti velim, ac supra memorati, quippe non jam sacerdotes et Levitae, sed e populo, iis nominibus insigniri soliti. Usus erat Jojada ad regem constituendum Sacerdotibus et Levitis, cum in Templo cuncta essent peragenda, qui *satellitum* et *cursorum* officio fungerentur; sed rege jam admisso, et omnibus rebus ordinatis, usitatum et honoratius adhibuit satellitium, Templi custodia sacerdotibus et Levitis relicta. Quod in lib. Reg. verbo, sed Chron. clarius ac distinctius memoratur: qui enim in priore loco כרי et רצים *satellites* et

et *cursores*, in posteriore אדירים et מושלים *magnifici* et *dominatores* adpellantur.

§ CXXXVII. Joas hac ratione regnum consecutus, illud diu tenuit quidem, regnavit enim 40 annos 2 Reg. XII: 1, sed non aeque feliciter ac laudabiliter administravit, longo quippe tempore bene, vivo adhuc Jojada, sed deinceps pessime. Fuit itaque duplex hac parte regni periodus, distincte consideranda; *prior* laudabilis et prospera, *posterior* vitiosa et misera. *Prior* supra regni, satis longi, dimidium sese porrexit, ann. enim 23tio Templum reparavit, et postea adhuc aliquandiu sacra fuerunt recte administrata, 2 Chron. XXIV: 14. Duravit vero quamdiu Jojada fuit superstes, quippe a quo totus pependit, et cujus monitis ac consiliis sese obsequiosum praebuit, adeo etiam, ut uxores ab ipso acceperit, uti 2 Chron. XXIV: 3. expresse traditum est. Verba enim וישא לו *Jojada duas uxores*, etc. vertenda non sunt, et *sumsit sibi*, sed *ipsi*, scilicet regi, duas uxores. Praeterquam quod tale quid de Jojada alieno loco diceretur, ipse provectioris jam fuit aetatis, quam ut tale quid faceret, ac liberos procrearet, ut additur. Verbum vero נשא aeque de eo, qui *alii*, ac qui *sibi*, sumit uxorem, usurpatur. Durante autem hac laeta regni periodo Rex in eo fuit, ut Templum, sub Athalia per *aedificatores* ejus varie laceratum 2 Chron. XXIV: 7. (pro בָּנֶיהָ *filii ejus* rectius, aliis cum punctis, legitur בניה *aedificatores* ejus: quod etiam Jes. LXII: 5. obtinet: Athalia enim unum tantum filium habuit superstitem, quem ad inpietatem incitavit c. XXII: 3.) et sacra collapsa instauraret. Primum jussit, ut sacerdotes et Levitae, singulis annis, per totum irent regnum, et a notis suis *tributa* et *donaria* colligerent, ac domui sacrae reparandae inpenderent ipsi: v. 5 et 6. Memorantur distincte v. 5. *tributa* sacra, ad domum Jehovae deferri solita, in *priore* parte, et *dona* extraordinaria, quae libera dicuntur et spontanea, ab unoquoque ad aedem Jehovae sponte adferenda, in *posteriore*

versus parte. *Priora* vero duplicis sunt generis, argentum *recensionis viri*, et *aestimationis animarum*. *Prius* עבר איש, hae enim conjungendae sunt voces, non dicit argentum *transiens* inter mercatores, pecunia usuaria, uti Gen. XXIII: 16. accipi solet, non enim, ut ibi, additur לסחר, *transiens ad mercatorem*, et ab argento *aestimationis*, quod etiam ejusmodi erat pecunia, distinguitur, sed quod a *recensitis* pendi debebat, secundum legem Ex. XXX: 12. ab anno aetatis 20*mo*, et ultra: quo hic clare respicitur. Adpellatur autem ibi tributum, solvendum ab omni עבר על הפקדים *transeunte super censis*, seu *ad* et *inter* censos: cui phrasis hic respondet עובר איש *transeuntis viri*, scilicet censeri soliti ab anno 20*mo*, vel *in virum*, censui obnoxium: LXX reddiderunt συντιμήσεως ἀνδρός; uti pro ἀνὴρ legi debet cum edit. Complut. *aestimationis viri*, scilicet in recensione. Chald. clarius, argentum *siclorum quod transit super computum virorum*. Praeter hoc occurrit argentum *aestimationis*, h. e. animarum ex Lev. XXVIII. LXX verterunt ψυχῶν συντιμήσεως, sic enim pro λαβὼν leg. cum Cod. Alex. Praeter haec dona, lege definita, vel tributa, mentio fit extraordinarii alicujus doni, liberaliter collati, pro cujusque lubitu, quod non solebat, sicut de prioribus dicitur, ad aedem Jehovae adduci, adeoque quisque sponte destinabat. Quod quid sit, in loco Chron. definitur, ubi ad extraordinarium munus omnino respicitur, olim in deserto ab Israele ad petitionem Mosis, in usum Tabernaculi, oblatum, Exod. XXXV. Provocatur enim 2 Chron. XXIV: 6. ad tributum a Mose *coetui Israelis impositum* (והקהל enim ibi legitur pro על הקהל, uti est v. 9.) *pro Tabernaculo*.

§. CXXXVIII. Cum Sacerdotes in pecunia hoc modo colligenda essent longo tempore negligentiores, incertum qua de causa, Rex, consensu Jojadae et Sacerdotum, aliam iniit rationem ad pecuniam consequendam, priore abrogata, his verbis 2 Reg. XII: 8 fin. *ne accipite argentum a notis vestris, sed pro ruinis aedis dabitis illud:* quorum sensus, minus recte perceptus,

perceptus, huc redit: nolo, ut *per populum eatis, pecuniae petendae causa*, ſed tantum, ut eam, a populo oblatam, conjiciatis mox in ſeparatum locum, ad aedem ab aliis reparandam. Quod mox clarius exponitur, ubi *arca* eum in finem poſita narratur, in quam ſacerdotes, inſpectantibus offerentibus, mox recondebant pecuniam: ut eſt v. 10. Quare Rex edicto mox juſſit, ut populus tributum Moſis liberaliter conferret, ſicut in deſerto factum erat. Quod populus lubens praeſtitit: uti in loco Chron. traditur. Arca autem repleta, ſcriba regis et praefectus Jojadae Pontificis arcam *aperuerunt* et *evacuarunt*, (in loco Chron. diſerte dicitur ויערו *et evacuarunt*, ſed 2 Reg. XII: 11. ויצרו; *et ligarunt*: quod ſenſum vix fert commodum; quare rectius leg. ויערו *et evacuarunt*.) Tradiderunt dein pecuniam artificibus, qui domum Jehovae fideliter et ſtrenue, optato ſucceſſu, reparарunt: uti utroque in loco traditur.

§. CXXXIX. *Poſterior* regni periodus, quae eſt regni corrupti, et miſere afflicti, conciſius, et inſigni cum defectu, in lib. Reg., ſed fuſius, ſuppleto defectu in lib. Chron., narratur, quare ex utriuſque collatione deſcribenda eſt. Jojada mortuo, principes regni, ad idololatriam proni, qui, vivo Jojada, gubernatione regni, et familiari cum rege commercio, excluſi erant, ſeſe in ejus amicitiam inſinuarunt, eumque a veri Dei cultu abſtraxerunt ad idololatriam. Quod 2 Chron. XXIV: 17. his verbis traditur: *poſt mortem Jojadae venerunt principes Judae, ſeſeque proſtraverunt ad regem, isque tunc audivit eos*, h. e. Rex ſeſe principibus praebuit obſequioſum, a quo tempore *intrarunt* ad regem, ſeu intimius ac familiarius cum eo converſati, eique adulati ſunt, ſeſe coram eo proſternentes. Emphaſin, minus obſervatam, habet verbum בוא *venire*, qua familiaritatem, et intimius continet commercium, quam et alibi praefert ex. gr. Prov. XVIII: 3. Addidit deinceps aliud crimen, in prophetis, ipſum admonentibus, repellendis, et Zacharia, filio Jojadae judicium Dei ipſi denunciante, occidendo in ipſo atrio

 Templi,

Templi, adeoque prope altare, ubi sanguis victimarum effunditur, et sacrificia fiunt. Quo, et quod filius Jojadae, qui tam praeclare de ipso ac regno fuerat meritus, fuerit Zacharias, crimen ejus factum est longe enormius et atrocissimum. Quod in oculis videtur habuisse Dominus, quum sanguinem dicit in terra fusum, ab Abele justo usque ad Zachariam, vindicandum esse a Judaeis sui temporis, Matt. XXIII: 25. Alium enim ac nostrum intelligi non posse, facile constat, et satis est demonstratum. Glossam vero redolere mihi videtur, quod *filius Barachiae* adpelletur; ex LXX Interpr. Jes. VII: 2. desumtam. Superfluum enim est, nec veritati consonum, cum filius *Jojadae* fuerit, in euangelio quoque Matth., quo Nazareni usi sunt, teste Hieronymo, non obvium: quales glossae non desunt aliae in N. T.

§. CXL. Inpletum mox fuit dictum Zachariae morientis, *videbit Jehova et requiret*; v. 22. uti vel ex duobus casibus, qui regno et regi deinceps contigerunt, elucescit. *Prior* est Hazaelis et Syrorum in regnum ejus hostilis invasio, 2 Reg. XII: 18, 19. memorata. Ubi Chazael simpliciter usque ad Gatum, urbem tractus quidem Philistaeorum, sed a Davide ditioni Israelitarum additam, penetrasse, eamque occupasse, narratur: muneribus dein delinitum a Joaso Hierosolymam reliquisse intactam, et domum rediisse. Ceterum cum rex Syrorum jam tunc occupatum tenuerit totum fere tractum Trans-jordanensem, ut ex cap. X: 32. liquet, per eum facile potuit, trajecto Jordane, tendere Gathum, nemine sese ei opponere auso: in quo nonnulli male haeserunt exponendo. Quare autem, relicta Hierosolyma, ad hanc urbem sese verterit, non constat. Successit deinceps nova Syrorum invasio, quae majorem regno Joasi intulit calamitatem; quae 2 Chron. XXIV: 23.— narratur. Quae a superiore omnino est distinguenda, et tempore fuit posterior. 1. Chazael antea cum toto exercitu, sed nunc, *turma* tantum Syrorum, sine Rege, nec magna, irruit. 2. Chazael

nihil

nihil mali inflixit Hierosolymitanis, sed turma omnes occidit principes, (scilicet regi familiares, et pravos illos consiliarios v. 17. Quod clarius foret, si pro מעם *e populo* legeretur עמו *cum ipso*, unde מ e praeced. addita, et ו ex seq. omissa, facile irrepsit מעם) multaque fecit spolia, quae ad regem Syrorum sunt missa. 3. Turma cum discessit; Joasum in miserabili reliquit statu, et mox caedes ejus secuta est. Qui alter, et posterior, est casus tristis, quo a duobus servis, sanguinem filiorum Jojadae vindicaturis, occisus est in lecto, in quo decumbebat: uti in utroque loco narratur; sed in Chron. plenius, ratione et occasione conspirationis addita.

§. CXLI. De Amazia, Joasi successore, antequam agat autor Libr. Reg., reges Israelis, Joaso aequales, pro more recenset, et describit, quem et nos sequimur. Jehu successit filius ejus, in regno Israelis, Joachas; cap. XIII: 1. Ubi cum successisse traditur anno Joasi 23*tio*, licet Jehu tantum dentur 28 anni, cum deberent 29 (nam 1*mus* Joasi et 7*mus* Jehu concurrunt; addantur 22, pervenietur ad 23*tium* Joasi, et 29*num* Jehu:) sciendum est, annos Jehu 28 esse completos intelligendos, ita ut 29*nus* Jehu fuerit primus Joachasi. Qua ratione omnis perit difficultas. Regnavit ann. 17, ut ibidem traditur, sed infelice et calamitoso in statu regni, per invasiones regum Syriae, Chazaelis et Benhadadi, quibus ad summam paucitatem redacti sunt viri ejus militares, et regnum misere adflictum; uti v. 7 habetur. Qui miserabilis regni status usque ad finem Joachasi duravit, donec per ejus filium Johasum res fuerint in melius mutatae. De quo clare constat ex eo 1. quod Israel in manus regum Syriae diserte dicatur datus *omnibus diebus* v. 3. scilicet Joachasi uti v. 22 traditur. 2. Johasus demum mox post mortem Chazaelis legatur liberasse Israelem, v. 23— Ex quo etiam recte colligitur, versus 5 et 6 vel esse parentheticos, vel potius loco motos, et vers. 7*mo* subjungendos.

§. CXLII. Excepit ipsum filius Johasus, qui 16 annos reg-

 navit,

navit, satis feliciter et prospere: c. XIII: 10— regnum enim a Syrorum oppressione vindicavit, Syris tribus vicibus percussis, et urbibus, quae ab iis occupatae erant, Israeli restitutis. Cum Amazia rege Judae prospere quoque pugnavit; uti mox videbimus. Notabile est commercium ejus cum Elisa, a morte proximo, v. 14—19. nec non miraculum post mortem Elisae patratum; v. 20, 21. intactum non praetereundum; maxime cum ad Elisae historiam pertexendam pertineat. Quod Johasus Elisam, lethaliter decumbentem, visitaverit, et apud eum de misero regni statu conquestus fuerit, haud obscure demonstrat eundem pium et poenitentem ejus animum, quem Pater sub finem vitae explicuerat, v. 4. Cui convenienter Elisa ipsi liberationem a Syrorum dominio promisit. Adhibuit autem Propheta duo ejusdem rei signa, quae quoque ad animum ejus, et fiduciam in Deo, probandum tendebant. *Prius* fuit arcus tensi, et emissae sagittae, in signum totalis excidii Syrorum; quod cum recte esset exsecutus Rex, Elisa ipsi totalem Syrorum oppressionem promisit dicens, v. 17. *percuties Syros in Aphek usque ad consummationem*, cum allusione ad eorum totalem caedem ab Achabo, eo in loco factam, 1 Reg. XX. unde proverbialis videtur nata locutio *percutere Syros in Aphek*, pro totaliter profligare. Quod itaque de Syria *sagittis* ferienda recte interpretari licet, maxime cum *sagitta salutis*, seu liberationis adpelletur. *Sumere* jubetur *arcum* et *sagittam*, h. e. se ad bellum, in Syriam transferendum, adcingere; quod per *equitare* facere manum super arcu (proprie *adpingere*: quae propria est verbi רכב potestas, unde est *equitare*, *currui* insidere, pro currui, equo, se adpingere) seu *tendere arcum* clarius mox exprimitur. Regis autem manibus suas imponit, ad confirmationem et benedictionem divinam significandam. Sed antequam plenariam Syrorum destructionem absolute praedicat, ac polliceatur, *alterum* fidei ejus et obsequii specimen exegit in *terra sagittis percutienda*, quod ad praelia spectat, quibus hostes terrae adfigerentur: ut videret,

pet, quot vicibus illud fecerat. Cum autem tribus tantum vicibus fecisset, plures vices sibi prae diffidentia adtribuere non ausus, a Propheta objurgatus est, et superius promissum est ad totidem tantum vices percussionis hostium restrictum; acsi dixisset propheta: totalem oppressionem Syrorum tibi modo promisi, quia, signo recte facto, spem firmae fiduciae et obsequii praebueras; sed cum nunc vacillaveris, et in dimidio facto substiteris, ecce! tribus vicibus eos fecisse contentus esse debebis. Respondit eventus, tribus vicibus eos deinceps debellavit; urbes ab iis occupatas, sub Joachazo patre, restituit Israeli: uti in seq. narratur. Confirmata mox est Elisae praedictio, una cum prophetici ejus muneris, quo praeclare functus erat, dignitate ac auctoritate, per mortuum aliquem virum in ejus sepulchrum casu conjectum, et resuscitatum: uti v. 20 et 21 mox subjungitur. Censeri enim potest haec resuscitatione, per contactum Elisae facta, ob oculos posita nova vita, per ejus praedictionem ac benedictionem, modo memoratam, in regno Israelis suscitanda. Ceterum conjectus fuit in sepulchrum Elisae, occasione invasionis Moabitarum in viros illos, qui sepelire volebant virum illum. Loco ergo בא שנה venit annus, quod nullum admittit sensum, legendum videtur, duabus literis transpositis, באנשים in viros; qui sepeliebant, ut mox sequitur.

§. CXLIII. Vertamus nos cum autore lib. Reg. ad Joasi Judae successorem et filium Amaziam, Johaso Israelis aliquamdiu aequalem, sed superstitem per 15 annos 2 Reg. XIV: 17. 2 Chron. XXV: 25. Praefuit autem ann. 29, ut utroque loco traditur in principio cap. Ex utriusque cap. collatione gesta et fata ejus quoque eruenda sunt: laborat enim lib. Reg. insigni defectu, ex Chron. supplendo. Fuit regni ejus duplex periodus, prior laudabilis et prospera, posterior vitiosa et calamitosa. Praestitit sese primum aliquandiu legis observantem, cujus specimen dedit praeter religionis exercitium, secundum praescriptum Mosis, cum in regicidis,

dis, qui Patrem occiderant, morte puniendis, salvis eorum liberis relictis, tum in Israelitis, quos in subsidium suum conduxerat, ad monitum prophetae, cui obsequiosum sese praebuit, dimittendis. Expertus quoque est auxilium Dei in bello cum Edomitis, insigni clade adfectis in valle salis, ac munimento eorum in petroso ac editiore loco, in limite australi Judaeae, ad linguam maris Sodomaei, vi occupato. Cujus nomen alias fuit *adscensus scorpionum*, ut ex Jud. I: 36, coll. Jos. XV: 3. jam observavit Vitringa ad Jes. XVI. nunc factum est יקתאל *Jokteel*, forte a rad. Arab. קתל, cui respondet Heb. קטל *occidere*. Praeter 10 millia in pugna caesa, totidem de hac petra fuerunt praecipitata, ac elisa, ut in lib. Chron. additur.

§. CXLIV. Posterior periodus, tristia et funesta continens fata, incepit, postquam bello cum Edomitis prospere finito, idola eorum adoptavit (quae qualia fuerint, et quando inter Edomitas in usu esse coeperint, nec hic docetur, nec aliunde constat, cum nusquam, quod sciam, iis idololatria inputetur. De loco 1 Reg. XI: 1. supra mentem suo loco explicui.) et prophetam, ipsum propterea reprehendentem, superbe repulit; quando propheta ipsi excidium denunciavit; uti narratur 2 Chron. XXV: 14. Expertus est dicti prophetae veritatem in bello, Israeli temere illato, nec ab eo prosequendo, per Joasi prudens monitum, absterritus. Quae historia in utroque libro Reg. et Chron. narratur, nostramque meretur adtentionem. Licet praetextu, quem Israelitarum, conductorum ab Amazia primum, dein minus honeste dimissorum, invasio in urbes Judae, ut in lib. Chron. traditur, praebuit, non careret Amazia in bello Israeli indicendo; temere tamen, et ex superbia, ac regni ampliandi ambitione, illud suscepit; forte, ut Israelitarum regnum subjugaret, et suo, tanquam originali, simul praestantiori, ac potentiori, adjungeret. Cujus aliquod sese mihi offerre videtur indicium in verbis Amaziae, et responso Joasi. Verba ejus ad Joasum, *videamus nos*, vel *conspiciamur faciebus!*

bus! idem dicunt ac hostiliter, cominus, et animose, concurramus, et virtutem nostram exploremus, ut praestantior praevaleat, et dominetur. Verbum תראה *videre* usum praefert bellicum, quo *videre* se invicem dicuntur jam conflicturi, sed animositatem simul comprehendit, et virtutem bellicam: uti Ps. CXII: 8. Responsum Joasi, partim figurato, partim simplici, stilo prolatum, eo manifestius adhuc tendit: involutum est apologo, ab arboribus Libani *carduo* et *cedro* petito, habetque, carduum postulasse filiam cedri pro filio suo in uxorem, sed mox a bestiis agri conculcatum esse. Qui apologus mihi tendere videtur, 1. ad vanam regis Judae jactantiam, qua sese regi Israelis aequabat, quin praeferebat, retundendam, et vilem, inbellemque, ejus conditionem, facile superandam, ac opprimendam, ipsi ob oculos ponendam, ut ab hoc temerario desistat bello, seseque intra limites suos contineat, gloria in bello cum Edomitis reportata contentus, nec propterea nimis elatus: uti mox nudo stilo subjunxit Joas 2. praeterea, ad superbum ac temerarium ejus postulatum, de regno Israelis sibi subjiciendo, traducendum, et noxia ejus effecta repraesentanda. *Carduus* itaque est rex Judae, qui modo laceraverat Idumaeos, et propterea insolescebat, sed vere vilis et infirmus erat, facile a quibusvis *feris* proterendus; sicut in *turmae* Israeliticae invasione modo quoque erat expertus. *Cedrus* est rex Israelis, longe illustrior et potentior, qui *Syros* jam domuerat, et in ipso Libano sedes quasi fixerat. *Filiae* autem cedri petitio, a carduo facta, in genere rem indignam et absurdam depingit, sed in specie regni Israelis subjectionem, quam rex Judae intendebat.

§. CXLV. Nihilo absterritus, forte magis irritatus, Amazia salutari Joasi monito, sed a Deo quoque, ob defectionem ad cultum idololatricum, desertus, ac in reprobam mentem traditus, ut puniretur, sicut 2 Chron. XXV: 20. expresse adnotatum est, (ubi phrasis notanda *tradere in manum* absolute posita, pro *in manum hostilem*, uti alibi absoluta לאביר pro

pro subitanea, nec per hostes facta, destructione. Job. XXXIV: 20. Thren. IV: 6.) infelix, et sibi ac urbi contumeliosum ac perniciosum, habuit cum Joaso praelium, juxta Bet-semesch in ipsa tribu Judae, quo cum clade inferior fuit, simul captus est, et Hierosolymam abductus tanquam captivus, ipsa urbs magna murorum parte nudata est, ac spoliata. Reliquo vitae tempore, quod, mortuo Joaso per 15 adhuc annos exegit, silentio involuto, miserabilis vitae ejus exitus ab utroque subjungitur Historico. Conspiratione contra ipsum inita, ipse Lachisam fugiens, ibi est occisus, et Hierosolymam transvectus, ac sepultus in urbe *Davidis;* ut habet lib. Reg., unde emendandus lib. Chron. ubi urbs *Judae* memoratur: quod ferri nequit, nisi עיר *urbs* hic eximie pro metropoli censeatur sumi; quod non est absonum.

§. CXLVI. Cum supervixerit Joaso quindecim annos Amazia, adeoque Jeroboamus II*dus*, filius Joasi, tot annos ipsi fuerit aequalis in regno Israelis, ejus regnum paucis describit autor lib. Reg. c. XIV: 23.— De quo itaque quaedam hic proferenda sunt: maxime cum regnum Israelis sub ipso fuerit illustre et fortunatum, sed et cum ipso conciderit. Restituit ipse antiquos regni limites a *Chamat* ad *mare planitiei* seu mortuum: adeo ut septentrionalis limes fuerit Chamat, sicut tempore Davidis et Salomonis, ipsa quoque Damascus aliquatenus ipsi obnoxia; uti refertur v. 25 et 28. quo *posteriore* versu qua ratione Damascus et Chamat dicantur restitutae ליהודה *Judae in Israele* difficulter panditur: mihi nihil rectius suppetit, quam ut לגבולה *in limitem* substituatur ex v. 25. sensu satis commodo; quo Chamat et Damascus, pro limite septentrionali regni Israelis habetur; uti v. 25. dictum erat. Joas pater ejus receperat quidem urbes, Joachaso, patri suo, ereptas, et Syros tribus praeliis devicerat, sed Jeroboam totum regnum Israelis recuperavit, quam late patuerat; tractu quoque Transjordanensi, a Syris occupato, Israeli restituto. Praefuit Jeroboam ann. 41. 2 Reg. XIV: 23.

§. CXLVII.

§. CXLVII. Regnum Jeroboami haud uno nomine celebre, et memorabile, fuit, 1. Adtigit summum felicitatis et prosperitatis gradum, et longe lateque fuit extensum; hostibus, vel subjugatis, vel ad silentium redactis: ut ex dictis patet. 2. Sed conjuncta fuit haec prosperitas cum summa quoque corruptione in religione et vita ac moribus: ut ex prophetarum, qui ab hoc tempore in Israele fuerunt, Hoseae, Joelis, et Amosi, de quibus mox, scriptis manifestum est. 3. Suscitati quoque sunt, et ad Israelem admonendum de instante ruina, nisi ad resipiscentiam se reciperet, et si pote emendandum, varii prophetae, quorum scripta supersunt, quorum modo memini. Jona jam ante floruit, sed ad Jeroboami tamen tempora pervenit, ut ex 2 Reg. XIV: 25. colligi potest. Praedictio enim ejus de ampliando, et prospero reddendo, regno, ibi citata, diu ante fuit facta, uti ex coll. XIII: 4. et additis verbis v. 26 elucescit. Verba enim ea, *quum vidit Jehova adflictionem Israelis* etc. non in regnum Jeroboami, aut Johasi, sed Joachasi unice quadrant, et tempus signant, quo prophetia publicata est. Adtigisse tamen eum tempus Jeroboami ex eo fit probabile, quod dictum Jonae, de regni pomoeriis extendendis per Jeroboamum, ibi citetur, simul innuatur, regem per illud fuisse animatum ac excitatum, ad terras Israelis hostibus eripiendas. Amos et Hosea fuerunt aequales, sed hic diutius concionatus est. Amos enim Jeroboami tempus non excessit, cum Uzziae et Jeroboami temporibus adsigetur muneris functio Am. I. et Jeroboam circa finem concionum ejus adhuc superfuerit, c. VII: 10. Hosea vero, teste inscriptione libri ejus, ad Hizkiae tempus usque prophetavit. Plura de his prophetis dicam mox. 4. Denique adverti velim, a Jeroboami obitu omnia in regno fuisse collapsa, et perturbata, illudque ad totale excidium coepisse vergere. Reges, qui, Zacharia filio ejus mox occiso, regnum tenuerunt, passim injusti fuerunt regni possessores, qui illud vi et scelere rapuerunt, omnemque dederunt operam,

ut regni vires frangerentur, et in Assyriorum, qui tunc primas in Oriente habere, et dominium longe lateque extendere coeperunt, potestatem venerint. Quare in Zacharia trucidato *arcus Israelis* dicitur fractus, Hos. I: 5.

§. CXLVIII. Antequam in historia Regum pergam, Prophetarum, quorum memini, quaedam danda est notitia, quantum pote brevibus, ex mea opinione, missa aliorum, in primis *Jonae*, cum ejus casus ad historiam pertineat, unde itaque ordiar. Adpellatur יונה *Jona*, ab eadem radice, unde columbae fluxit significatio; quam putaverim esse יאה *pulchrum esse*, unde ad formam יון primum est יאן, foemininum יאנה, et elisa littera א יונה *Jona*, *pulchra* est et *decora*; quae quam apte in columbas quadret significatio, sponte sua sese offert. Peperit vero ipsi hoc nomen pulchritudo, sed cui spes parentum de integritate et simplicitate morum, instar columbae, suo tempore adserenda, accedere potuit. Cui robur addit nomen Patris אמתי *veritas Domini*, si littera י sit vice nominis יהוה *Jehova*, quippe cui sinceritas recte convenit. Interea ipsum de *columbina fatuitate* Hos. VII: 11. aliquid quoque traxisse, historia ejus evincit, ita ut nomen habuerit et *omen*, ut dicitur. Locus nativitatis 2 Reg. XIV: 25. adpellatur גת החפר, et Jos. XIX: 13. גתה חפר *Gathacheper* in tribu Zabulon, secundum Hieronymum in prooemio comment. ad Jonam, *in secundo Sephorim milliario, quae hodie adpellatur Diocaesarea, euntibus Tiberiadem, haud grandis est viculus, ubi et sepulchrum ejus ostenditur.* Est itaque in via, quae a Sephori, seu Diocaesarea, ducit Tiberiadem; adeoque in Galilaea. Egit autem inter Israelitas prophetam, et ante Jeroboamum II. et sub ipso, ut modo observavi, adeoque quo tempore regnum Israelitarum primum adflictissimum, dein amplissimum et prosperrimum factum est sub Jeroboamo, sed simul summo gradu inprobum et corruptum, ut ex Hosea et Amoso, qui eo tempore vaticinati sunt, satis constat. Fuit igitur propheta, et suo tempore agnitus, teste 2 Reg. XIV. et postea

semper

ſemper inter Judaeos celebris, quare eximie dicitur *Propheta* Matt. XII: 39. Unde dictum Judaeorum de Propheta, nunquam ex Galilaea orto, cujus mentio eſt in Euangelio, falſi convincitur.

§. CXLIX. Exſtat hujus viri non tantum vaticinium, 2 Reg. XIV. memoratum, de quo modo expoſui, ſed et liber inter propheticos in canone Scripturae, quia, licet nulla prophetia, proprie dicta, in eo occurrat, aliquid ad partem muneris prophetici pertinens continet. Miſſus enim in hoc libro narratur a Deo, ut Ninivitis judicium, proxime exſequendum, adnunciaret, non niſi reſipiſcentia avertendum: munus autem propheticum duplex erat, alterum admonere populum, dehortari, reprehendere, et interminari, nomine et juſſu Dei, inmediate facto, et ſpiritus ejus inſtinctu, quod inter Prophetas et alios Doctores erat criterium diſtinguens, alterum, futura, ſeu laeta, ſeu triſtia, praedicere. Prius in Jonam directe quadrat, poſterius indirecte, quatenus futurum tacita ſub conditione praedixit, ſive ut futurum interminatus eſt. Caſus ſingularis, in hoc libro narratus, noſtra animadverſione digniſſimus, eſt mandatum Dei ad Jonam, de Ninivitis ſubitaneo excidio adnunciando, a Jona neglectum, ſed a Deo vindicatum, dein exſecutioni mandatum, ejuſque conſequens, cum Jonae, tum Ninivitarum reſpectu. Quae tres libri partes ſunt, paucis illuſtrandae.

§. CL. Mandatum Jonae factum c. I: 2. his verbis expreſſum, *ſurge, abi Niniven, urbem magnam, et clama in illam, quia adſcendit eorum malitia coram me*, habet, ipſum, praeconis inſtar, voce maxima vi prolata, Ninivitarum graſſantia vitia promulgaturum, in ea detonaturum, et judicium Dei, jam jam exſequendum, ipſis denunciaturum eſſe, non procul, aut ſcripto, ſed in ipſorum medio. Etſi enim praeconii argumentum ipſis verbis non traditur, notio *clamandi*, et ratio mandati addita, illud facile exhibet; et ejus repetitio, ac exſecutio c. III. diſerte repraeſentat;

 ubi

ubi Jona sistitur proclamans: *Ninive intra quadraginta dies peribit*, vers 4. Cum autem ratio mandati in Ninivitarum malitia, quae summum adtigerat gradum, et vindictam Dei, tanquam justi rectoris mundi, clamaret, quaque ratione *adscendisse* dicitur malitia eorum coram Deo, collocetur, significatur, judicium iis denunciandum esse, ipsis, propter summam malitiam, incumbens, et ideo esse promulgandum, quia ante fores erat, ne ipsis non opinantibus superveniat. Unde discere licet, 1. quae crimina ruinam civitatis certo certius secum trahant 2. quanta sit Dei benignitas et longanimitas, qua ante adhuc curat peccatores admoneri, quam judicium infligat, imo et tunc adhuc poenitentiae locum concedat, cum res ad summum venit. Denique 3. eandem hac parte esse Deo relationem ad totum genus humanum, cum sit totius mundi justus Iudex Gen. XVIII.

§. CLI. Sed cum Deus extraordinarios ejusmodi nuncios ad populos adeo corruptos mittere non soleat, in hac Jonae missione quid extraordinarii fuisse, cujus peculiares Deo fuerunt rationes, agnoscendum quidem est, sed quae sine errandi periculo vix erui possunt. Equidem, ut aliorum opiniones suo relinquam loco, probabile habeo. 1. Deum *exempli* gratia Jonam eo misisse, ut ex hoc specimine reliquae civitates omnes fructum caperent, ac de causis suae destructionis admonerentur, nec non, si saperent, sibi, rebusque suis, consulerent in tempore. Solet utique Supremum Numen nonnunquam, non semper, illustriore modo intervenire, ut reliqui homines inde exemplum sumerent. Cum autem Ninive eo tempore esset totius Orientis illustrissima civitas, regni fere monarchici metropolis, aptissimum in Ninivitis videtur ejusmodi exemplum statui: sicut postea in Babele, jussu Jeremiae, factum est. 2. Fieri praeterea potuit, ut Israelitarum hac in missione fuerit aliqua habita ratio, ut Ninivitarum conversio ipsis in specie in exemplum proponeretur, simul summa obstinatio, qua sese contra Prophetarum monita et minas obfirmabant, ipsis hoc exemplo

exemplo exprobaretur, et nisi resipiscerent, gentes illis esse meliores, imo suo tempore esse substituendas, injungeretur, in specie Assyrios jure Israelitis a Deo praeferri, adeo etiam ut hi illis sint subjiciendi, manifestum fieret. Cedere itaque haec legatio Israelitis in opprobrium, et pudorem, si pote, incutere debebat, saltem convincere, se jure meritissimo a Deo repudiari. Quale signum in Jona, ad Ninivitas misso, Christus utique detexit Matt. XII. ipse quoque Jonas vidisse videtur, ut ex fuga ejus colligi potest. Ex quibus haud inepte conjici posse videtur, missionem hanc Jonae ad Assyrios, post restitutum Regnum sub Jeroboamo II, versus finem ejus, contigisse, quum omnia coeperunt collabi, et ad totalem destructionem spectare per Assyrios, qui sese jam jam rebus Israelitarum inmiscerent. Qui, cum judicii Divini in Israelitas forent exsecutores, ante ad resipiscentiam, Israelitis in exemplum, invitantur, valde opportune, ut ab inminente destructione liberentur, quae praeveniri debebat, si divinae vindictae in Israelem forent instrumenta.

§. CLII. Jonas, ut sese ab hac legatione, quae ipsi displicebat, liberaret, propositum sumsit *aufugiendi a coram facie Dei*, c. I: 3. non a praesentia ejus, quippe quam probe noverat ubique esse locorum, sed ab officio seu munere prophetico, quod est *standi coram Jehova*, ut de Elia habetur 1 Reg. XVIII: 15. et Jeremia c. XV: 19. quare non dicitur מפני *a facie*, sed מלפני *a coram*, ut recte Mercerus notavit, quod Chaldaeus apte expressit, vertens, *ne in nomine Domini prophetaret*. Sed quare in peregrinas terras, ut ab eo munere se expediret, sese conferre voluit, cum ei in ipsa terra Israelitica potuisset renunciare? Ratio fugiendi videtur fuisse non tantum, quod, munere hoc deposito, sine ignominia inter Israelitas, inter quos tam diu prophetam egerat, versari amplius non posset, sed praecipue, quod eo modo munus sponte cessare videretur, *cum*, quod nulla aliis in locis foret prophetandi necessitas, quippe ubi Deus

sese non solebat manifestum facere, utique non in remotissimis locis, ad quae prophetae, si ad alios ablegarentur populos, nunquam fuerunt missi, ad vicinos, quibuscum Judaeis quid commercii erat tantum legari soliti, *tum*, quod, cum Deus sese inter Israelitas et Judaeos tantum singulari modo praesentem demonstraret, existimare potuerit, spiritum propheticum extra populi Dei regiones non communicari. Quae sane fuit veterum opinio.

§. CLIII. Sed singularis est ratio, quare legationem recusavit, quam ipse dedit, c. IV: 1—3. in eo sita, quod concionis suae irritum praeviderit effectum, adeoque Niniven non esse, tempore illo 40 dierum statuto, evertendam, sed resipiscentia judicium illud praeventuram esse: quod se ex naturali Dei bonitate, ac longanimitate collegisse, ibid., declarat. Sed quid aegre tulit Jonas? num, Niniven non deleri, an, post suam interminationem id non fieri? si *prius*, hanc urbem ipsum noluisse servatam, utique non suo ministerio, statuendum foret. Praevidisse itaque censendus est, urbem, si tam extraordinaria ad eam fieret legatio, ad se redituram, et poenitentia ductam, pro Dei benignitate, servandam esse. Conversionem urbis ex eo conjicere poterat, quod prophetae Israelitarum fuerint Gentibus in honore, ut ex Jeremia et Chaldaeis patet, praeterea summa esset urbis corruptio, quae, ipsa ratione, et conscientia teste, diu sine divini Numinis vindicta durare non poterat. Conscientia itaque per talem virum excitata, Ninivitas poenitentiam acturos esse, plusquam probabile videbatur: si vero *posterius* admittatur, alia fugae ratio ipsi nequit adtribui, quam muneris sui, et Jehovae, qui ipsum ad hoc legaverat, honor et pretium, cujus contemtum metuere poterat, si interminatio careret effectu. *Posterius* licet locum habere potuerit, cum absoluta videatur fuisse Jonae denunciatio, sine ulla addita conditione, ut ex ejus argumento, c. III: 4. nec non ex vers 9. ubi de poenitentiae suae fructu dubitanter loquuntur Ninivitae, colligi potest: qualem seriam

et

et abſolutam interminationem non inpleri, exiſtimare potuit, cum Jehovae, et prophetae ejus, honore conſiſtere vix poſſe, ſed *prius* illud Jonam inprimis moviſſe videtur, quod ad Niniven ſervandam legatus extraordinarius, ipſe in ſpecie, mitteretur, ut urbis conſervandae ſit inſtrumentum. Praeterquam enim, quod prophetici muneris dignitati, ac divinae veracitati, videri poſſit ſatis conſultum, ſi, poenitentia intercedente, ſalva maneret civitas, utique ſi aliquid detrimenti caperet, tanta inde vix potuerit in animo prophetae oriri aegritudo, ut primum detrectaverit obedire, dein adeo acerbe fuerit conqueſtus, et quaſi cum Deo expoſtulaverit: cap. IV. indignationem ejus inde fuiſſe ortam, quod Ninus non exſcindatur, 1. ipſe et verbis, et actione ſua, ſatis oſtendit: cum nihil de muneris ſui contemtu, aut honoris Dei inminutione proferat, ſed cuncta in urbis conſervationem exeant, 2. Deus quoque, Jonam ad ſaniorem mentem redacturus, nihil ad illum ſcrupulum ipſi eximendum, et metus vanitatem demonſtrandam, adferat, ſed Ninives conſervationem ſibi curae cordique eſſe debere tantum evincat.

§. CLIV. Sed quid Jonam ad urbis deſtructionem adeo deſiderandam movit, quare eam ſuo miniſterio conſervatam noluit? Etſi Jonas graviter peccavit, quod ſeſe divinae longanimitatis exercitio oppoſuerit, a Deo etiam propterea ſevere reprehenſus, rationes tamen non deſunt, quae ipſum, ſalva perſona quam gerebat, ſalva etiam reverentia ejus erga Deum, ad tale quid permovere potuerunt. Ipſe ſcilicet, nimio gentis ſuae honore et amore adfectus, Niniven conſervari ſuo miniſterio noluiſſe videtur. 1. Quia ad Iſraelis ruinam ſpectare Ninives, et regni Aſſyriaci, conſervationem, praevidit. Cum enim illud regnum jam eo tempore maxime floreret, et indies creſceret, vel prudentiores, magis Prophetae, illud Iſraeli, cujus ſtatus moralis jam erat, et magis fieret, corruptiſſimus, exitium adlaturum, non poterant non metuere. 2. Ninivitarum converſionem, et conſervationem Iſraeli, ad prophetarum conciones ſeſe obfirmanti, fore op-

probrio, praesagire potuit, quale quid genti suae conciliare detrectavit. 3. Indignum forte ei visum est, suo munere, et Dei ad Israelem relatione, urbem gentilem, eamque hostilem, Deo adeo cordi curaeque esse, ut, propheta ad eam solenniter misso, ejus salus procuraretur, imo Deum ejusmodi civitati adeo se facilem praebere, ut ei, ad subitaneam, eamque quasi tumultuariam, resipiscentiam mox parceret. Incessit etiam forte 4. ei metus, ne sua missio ad regnum Gentile eo spectaret, et id efficeret, ut, Israele repudiato, ex Gentibus sibi populum adsciscat Deus, et regnum suum inter eas fundet: quod ipsi potuit esse magno dolori. Addi quoque 5. potest nimia gentilium aversatio, ex inmoderato populi sui amore, et summis Dei erga ipsum beneficiis, orta; quae Israelitis adeo fuit insita, ut vel sanctissimi ab ea non fuerint inmunes plane. Ex quibus, si recte sese habeant, de natura et gravitate inobedientiae ejus, judicium facile poterit ferri. α. Ex principio irreverentiae Dei licet non peccaverit, quippe qui in toto hoc negotio se Deum colere, et revereri patefecit, attamen amori populi sui, et gentilium odio, nimis litavit, nimium quoque fidit perversis ratiociniis de eo, quod Deum decet, deque relationibus Dei ad Judaeos, et Israelitas, acsi per eas justi et clementis Rectoris mundi personam exuisset. Peccavit itaque β. graviter, quod se Deo praestiterit inobedientem, et perversis ratiociniis, ac carnalibus adfectibus delusus, sese claro Dei mandato opposuerit, acsi Deo esset sapientior, et populi Dei ipso amantior, quodque Israelis populi rebellis salutem, et gentilium poenitentium excidium, ardentius expetierit, denique Deum voluerit justitiae et benignitati erga homines, a Civitate et Ecclesia Israelitica alienos, penitus renunciare debere. Regeri itaque majore jure poterit Jonae, quod Christus discipulis, civitatum, quae ipsum recipere nolebant, excidium petentibus, regessit, *nescis cujus spiritus sis*, Deus mundum non gubernat, ut *perdat*, sed *servet* eum.

§. CLV.

§. CLV. Jonae inobedientia in lucem protracta, ad vindictam de ipſo ſumtam, indeque ejus poenitentiam et liberationem ortam, pergere licet, cum de locis Joppe, unde ſe mari commiſit, et Tarſiſo, quo tendebat, nihil hic monere neceſſe ſit. *Japho* enim urbem eſſe maritimam in tribu Dan, celeberrimum portum, quem adire ſolebant, qui mari mediterraneo ſe committere volebant, et *Tarſiſum* eſſe Tarteſſum in Hiſpania Baetica, inter oſtia fluvii Baetis, notum eſſe reor. Vindicandae negatae obedientiae inſerviit grandis tempeſtas, omni parte extraordinaria, in mari ſuſcitata, non ut navigantes punirentur, ſed ut Jonas, tanquam irae divinae objectum, innoteſceret, proſtitueretur, et ejus crimen publice vindicaretur. Quae vindicta ſita fuit in projectione ejus in mare, eo tendens, ut, inſtar publici piaculi, exemplari adficeretur morte. Patefactum eſt crimen per ſortem, quae ipſum notavit, eamque ſecutam propriam confeſſionem, punitum vero eſt projectione in mare; et utrumque eo ſpectavit, ut tanquam irae divinae objectum, et piaculum publicum, omnium exponeretur oculis, et digne tractaretur. Quod argumentum eſt pericopae cap. I: 4—16. nec aliquid habet, quod moras hic injiciat. De ſortitione enim, ſive *ludicra*, ſive *civili* vel Eccleſiaſtica, in muneribus diſpenſandis, aut bonis dividendis, ſive *religioſa*, in noxiis et reis detegendis, qualis haec fuit, et antea in Achane Joſ. VII. ac Saulo et Jonathane 1 Sam. X., quae ſine ſpeciali Dei directione uſum et effectum habere nequit, ſitne licita, et quibus in caſibus, hic non eſt diſputandi locus.

§. CLVI. Projectionis *effectus*, ne de mari ſedato dicam, Jonae ſalutaris per ejus poenitentiam, Deo ſingulari providentia interveniente, ut cap. II. narratur, omnem meretur adtentionem, et uno alterove illuſtrandus eſt obſervato, reſpectu modi liberationis ejus, et ſtatus poenitentis, ac precantis, in mediis anguſtiis, ac poſt liberationem gratias agentis. Ad *modum* pertinet, quod a grandi bellua marina fuerit deglutitus,

deglutitus; et poſt tridui in ejus ventre moram ejectus, eva-ſerit ſalvus. Cum LXX Interpretes hunc piſcem nomine κήτους inſignierint, eoſque ſecutus ſit Matth. c. XII. communis facta eſt opinio, *balaenam* fuiſſe. Sed cum vox Graeca quoque latioris ſit uſus, pro quibuſvis majoribus piſcibus, et nimiae ſint gulae anguſtiae in balaenis, quam ut hominem devorare queant, ut Bochartus Hieroz. p. I. l. I. c. 7. et p. II. l. V. c. 12. demonſtravit, ejus opinio, *canem* intelligi marinum, qui *carcharia*, ab aſperitate, et acumine dentium, et *lamia* a gulae vaſtitate adpellari ſolet, maxime invaluit, licet primus non fuerit ejus autor; fecit enim P. Baro Stempanus in *praelectionibus* ad Jonam, quae bonae frugis plenae ſunt, doctiſſimi Interpretis mentionem, qui poſt Rondelotium, medicum eruditum, de *lamia* jam cogitavit. Sed cum et *lamiae* multa obſtent, ut quod minoris ſit longitudinis ac molis, nec integrum hominem capere poſſit, multo minus emovere, alii ceto dentatum, *orta* dictum, intelligunt, vel Jonam tantum in faucibus balaenae fuiſſe ſtatuunt. Quod utrumque luculenter illuſtravit Cl. Haſaeus de *Leviathane* et *ceto Jonae*. Cum vero textus Hebraeus in genere *piſcem magnum* habeat, in eo acquieſcere licet, abſque ut piſcis definiatur.

§. CLVII. Quod ad *tempus* morae in ventre piſcis adtinet, ſimpliciter dicitur eum *tres dies* et *noctes* ibi haeſiſſe; abſque ut, num pleni, an incompleti, dies intelligendi ſint, addatur; adeo ut reprehendendi non ſint, qui ex mora Domini noſtri in mortis ſtatu colligunt, tempus illud incomplete eſſe capiendum, licet exacta inter Chriſtum et Jonam non neceſſe eſt ſtatuatur hac parte convenientia. Sufficit triduanum ſpatium Chriſto tribui poſſe. De quo hic non eſt diſputandi locus; mentem expoſui in *ſermon. belg.*, ad Matt. XII. De *loco*, ubi eum evomuit piſcis, textus nihil aliud habet, ac quod in *aridam* evomuerit: unde nihil definiti colligi poteſt. Traditio quidem, quae apud Joſ. Ant. IX: 10. reperitur, Pontum Euxinum memoravit; ſed inde

nata

nata forte, ut Nino sit propior. Cui varia obstant, a Bocharto l. cit. jam adlata, sed locus est incertus, nec multum interest illum scire.

§. CLVIII. Status Jonae precantis in mediis augustiis c. II: 2. et post liberationem gratias agentis, v. 3—10 exhibetur, ut opinor. Interpretes quidem preces, v. 3 et sequentibus, in medio piscis fuisse fusas existimant, quia, cum v. 2 dictum esset, *Jonam e visceribus piscis orasse*, mox subjungitur *et dixit*, sed, si v. 12mus, *et dixit Jehova pisci, ut evomat Jonam in aridam*, seu terram, non sit vitio descriptorum loco motus, ac vers. 2*do* subjungendus, cujus transpositionis non desunt exempla, inserendum est v. 3 per ellipsin historicam, *et*, postquam eum evomuisset piscis, *dixit* etc. ita ut liberatio ejus hic fuerit omissa, postea narrata, et inde huc transferenda; quam *hysterosin historicam* quis vocare possit, qua quid loco non suo narratur, unde ellipsis proprio loco est supplenda. Cujus simile exstat, ne alia proferam, exemplum cap. IV: 12—4. ubi vers. 4. loco motus est, et vers. 1. subjungendus est, quod interrogato Dei v. 4. *an recte es exacerbatus?* nullum subnectatur responsum, et vers. 2. illud requirat, nec non Jes. XXXVIII: 9. ubi ode eucharistica Hizkiae, post sanationem pronunciata, narrationi sanationis, quae v. 21 demum occurrit, praemittitur. Ex qua hypothesi preces memorantur in medio piscis v. 2, et ode eucharistica v. 3 et seq. verbum *et dixit* elliptice, capiendum, ex vers. 11 supplendum. Nititur vero nostra hypothesis haud spernendis rationibus. 1. Diserte v. 2 *orasse* dicitur, sed a v. 3 sola occurrit gratiarum actio, nulla precatio. 2. Precatio tanquam praeterita memoratur vers. 3 et 8, etiam tanquam exaudita vers. 10. 3. ex ipso pericopae vers. 3 etc. argumento clare elucescit, ipsum jam tunc in statu liberationis ac salutis fuisse versatum: vid. v. 7, 8, et 10 ubi, cum vota sua se soluturum promittit, se eorum compotem jam fuisse factum, indicat. Ceterum cum ipsa ode eucharistica, quo nomine recte in-

signitur, non sit intellectu difficilis, aut satis illustrata, eam hic praetermitto, licet hic illic nova posset adspergi luce; sed hujus non est loci.

§. CLIX. Jonas hac ratione castigatus, et ad saniorem redactus mentem, Deo sese obsequiosum praestitit, et Niniven petens, eam spatio unius diei, praeconis instar clamans, *Ninive post quadraginta dies funditus evertetur*, cum urbem peragrasset, mox praedicationis effectum est in Ninivitis expertus salutarem, cum solenni indicto jejunio, et serio sumto vitia et crimina vitandi proposito, Dei misericordiam inplorarint, cap. III. Quae pericopa cum nihil admodum habeat inpediti, de *qualitate* poenitentiae eorum, fueritne vera an ficta, externa tantum, an et interna, denique cum veri Dei agnitione conjuncta, nec ne? de qua non idem sentiunt Interpretes, mentem paucis explicuisse, non fuerit ab instituto nostro alienum. Dubium α. mihi non est, quin seria et non fucata, aut hypocritica, sed ex animo profecta fuerit poenitentia. Dicuntur enim sine ulla restrictione resipuisse, et se a criminibus convertisse, Deus quoque eam adprobavit, et judicium in eos pronunciatum avertit, ac civitatem a destructione inmunem fecit ac salvam: ne dicam, eam Judaeis fuisse in exemplum propositam Matth. XII. β. Nec tamen fuit cum vera ad Jehovam, Deum Israelis, conversione, ejusque agnitione conjuncta, 1. enim non ad *Jehovam*, sed in genere ad *Deum* clamasse dicuntur, nec etiam ad Deum Jonae, sicut Nebucadnezar Deum Danielis legitur honorasse. Nominum autem *Jehovae*, et *Dei*, discrimen hic omnino adtenditur, ut ex c. I. patet. Quamdiu nautae criminis confessionem, a Jona factam, non audiverant, usi sunt nomine אלהים *Dei*, et quisque Deum suum invocasse dicitur, sed cum Jonas sese Hebraeum declarasset, et Deum suum nomine suo proprio יהוה *Jehovae* expressisset, nautae, Deum ejus reveriti, eodem nomine eum insigniverunt, et Deo Hebraeorum vota nuncuparunt, ac honorem detulerunt, v. 14, 16. Ex quo manifestum

manifestum est, nomen אלהים *Dei* esse in genere notam divinitatis, et יהוה *Jehovae* nomen proprium, quo Deus Hebraeorum a reliquis, sic dictis, Diis, tanquam verus a falsis, distinguitur. 2. Jonas verum Deum ipsis non legitur adnunciasse, sed interitum tantum urbis denunciasse, ut ex argumento praedicationis, v. 4. et ex desiderio exitii urbis, quo ferebatur, manifestum est. 3. Nihil in textu sese offert, quod ejus opinionis ansam praebere potest. Dicuntur quidem v. 5. *credidisse Deo*, sed qua justo scelerum vindici, qui interminationem illam decreverat exsequi, nisi interveniat resipiscentia. Christus quidem Judaeis eam in exemplum ob oculos ponit, sed exigit tantum, ut sicut Ninivitae Jonae, ita ipsi sibi credant, nec eandem postulavit poenitentiam, sed salutarem, cum fide Messiae conjunctam, Jonas vero eam, quae civitatem liberaret ab interitu. Nec Deus eam adprobavit, nisi qua Judex orbis, qui peccata vindicat clamantia, adeoque tanquam judicio declinando sufficientem.

§. CLX. Fuit itaque, vera sua natura, talis resipiscentia, qualem requirit Deus, qua Gubernator et Judex terrae, quae justitiae rectoriae, et criminum clamantium vindictam postulanti, eo modo quasi satisfacit, ut ea salva Deus civitati parcere queat, adeoque per quam peccata sua agnoverunt, Deique justitiam, quae vindictam exigit, judicium quoque mox exsecutioni a Deo mandandum, metuerunt, seseque eo esse dignos confessi sunt, denique ob peccata doluerunt, et, ea aversati, nuncium iis mittere secum constituerunt, seriis quoque cum poenitentia junctis precibus. Qualem poenitentiam adpellamus *publicam* totius civitatis, quae ad peccata, in hac vita puniri a Deo solita, et ad justitiam Dei Gubernatricem respicit. Ceterum, num hinc nonnullorum ad verum Deum salutaris fuerit orta conversio, praeterea unde haec, quam descripsi, conversio repetierit originem, num a naturae et conscientiae tantum notionibus, an a Spiritu Dei illas excitante, et ad animos, adplicante, ut inquiram

et definiam non eſt hujus locis. Videri poterit ſermo meus ad Matt. XII: 41. Illud hinc colligere obiter liceat, homines, a foedere Dei cum Iſraelitis alienos, Deum agnoviſſe ſupremum, ejus metuiſſe juſtitiam, crimina clamantia a ſe removiſſe, et Dei clementiam, ſerio inploratam, inpetraſſe, qua a deſtructione, ſibi denunciata, liberati ſunt.

§. CLXI. Pravam Jonae adfectionem, ejuſque refutationem et caſtigationem divinitus factam, cap. IV. narratam, ſupereſt aliqua donemus luce. Indignatio eum corripuit ob urbem, quam deletam volebat, ſervatam; eaque in expoſtulationem cum Deo erupit, quod coactus fuerit clementiae Dei erga gentem hoſtilem, ſpreto Iſraele, populo Dei, inſervire, adeo ut ne fuga ſibi licuerit conſulere; denique mortem ipſam ſibi optavit, prae dolore, quem ex amore populi ſui conceperat, intolerabili. Quae cuncta erant animi nimis commoti, et exulcerati, indicia. Addatur, eum, cum ſe ne fuga quidem evadere poſſe, quo minus tam moleſtum munus obiret, expertus eſſet, ſe morte ab eo cupere liberari, ne aut ad ſimile quid adhiberetur, aut cum moleſto et intolerando dolore, ſe hujus urbis ſervatae fuiſſe inſtrumentum, diutius conflictari neceſſe haberet. Cum vero ad ſanam mentem non rediret, quin extra urbem verſatus, ſeſe adhuc aliqua ſpe lactaret fore, ut Deus, mutato conſilio longanimitatis, aliquam ſuae expoſtulationis ac precationis rationem haberet, urbemque deleret, verſ. 5. Deus ſingulari caſu ipſi inprudentiae, malive animi confeſſionem, extorquet, eumque indignitatis adfectionum et actionum reum agit, v. 6—12. Cum enim Jonas, urbis excidium exſpectaturus, *tugurium*, quo ſe a ſolis aeſtu defenderet, exſtruere in animo haberet, et adgrederetur (ita enim capiendum eſt, quod v. 5. dicitur *tugurium conſtruxiſſe* et *ſediſſe*, ut ſit, eum in eo fuiſſe, ut conſtruat eum in finem, ut ſedeat) ſubito ſe oſtentat *Kikaion*, cujus umbra, qua loco tentorii utebatur, cum valde delectaretur, aeque ſubito verme icta arbor exaruit, et Jonam vehementiori ſolis et venti

urentis

urentis aestui exposuit, adeo etiam ut in eandem excandescentiam et aegrimoniam eruperit, vitae mortem praeferens, ob arborem tam cito arefactam. Cujus arboris vel fruticis naturam non male descripsit Hieronymus, eam tradens *lata habere folia, in modum pampini*, et *umbram densissimam, suo trunco se sustinere*, et *citissime in arbusculam surgere, et Arabice adpellari Alkeroa.* Cum autem nomen Graecum aut Latinum non haberet ei congruum, addit, se reddidisse *hederam*, tanquam ei, licet non per omnia, similem. Sed cum LXX vertissent *cucurbitam*, controversia ipsi mota est haud levis, quod *hederam* adpellasset. Vid. Hieronym. ep. 88. Recentiores vero adstipulati non tantum sunt ipsi in arboris descriptione, sed nominis quoque dederunt rationem, uti Mercerus, Drusius quaest. Hebr. XII. quaest. 44. qui quaestionem *cucurbitariam* scite adpellavit, Bochartus Hieroz. p. II. l. II. c. 4. et IV. c. 27. ut et in epist. ad Morinum. Geogr. S. p. 919. AEgyptiis scilicet κῖκι, Graecis κρότων Lat. *Ricinus* vocatur, Talmudicis קיק Arab. *alkeroa*, vel potius *alchersa*, ut ex Herodoto, Strabone, Dioscoride, Plinio, et Talmudicis evictum est ab autoribus citatis. Ceterum cum ricinus moveat vomitum, teste Dioscoride, derivari posset ex קיי, cui respondet קיא קיה et קוה, unde oritur species litteras reduplicatas habens קיקי, ut a גלל est גלגל, unde recte קיקיון, sed forte est vox AEgyptiaca, ut Herodot. II: 94. habet.

§. CLXII. Scopus hujus casus est, sicut ex v. 8 et seq. patet, ut ex comparatione ricini cum Ninive, et Dei ac Jonae relatione, illius ad urbem, hujus ad arborem, convinceretur Jonas, quam perverso ducatur spiritu, cum ob ricinum arefactum tam graviter doleret, Ninives tamen destructionem expeteret, ejusque conservationem cum indignatione, nec sine expostulatione cum Deo, intueretur, ac si Deo non liceret servare Niniven, cum ipse arbusculam tantopere vellet salvam. Est itaque argumentum, ut dicitur, ad hominem, a minore ad majus, sed quo bonitas Dei erga

Ninivitas simul defenditur. Vis argumenti est in comparatione Ninives respectu Dei, et ricini respectu Jonae, sita; et hac ratione intelligenda est. 1. Jonae nulla erat ad ricinum, sed Deo ad Niniven satis arcta relatio: ricinus non erat opus manuum ejus, sed Ninive erat Dei opus. Quo tendit dictum Dei ad Jonam, *in quo non laborasti, nec fecisti, ut cresceret.* 2. Jonae nulla, praeter proprium commodum, ratio, quare arbusculam vellet servatam, sed Deo erat haud una urbis servandae ratio, eaque gravis. *a.* Ricinus erat arbor, Ninivitae autem creaturae ratione praeditae. *b.* Arbor nihil habebat, quod ejus arefactionem reddere posset injustam, sed habebat Ninive, in qua tanta erat *infantum* et innocentium, ac *bestiarum* copia; quorum in gratiam urbs servanda erat, si vindictam scelerum non necessario requireret justitia Dei rectoria; uti non postulabat, Ninivitis resipiscentibus. Quod hic quidem non expresse a Deo memoratur, sed praesupponitur, et ex praecedentibus notum erat, quod sufficiebat, cum Deus evincere nolit, se urbem propter resipiscentiam servare, sed se, posita et admissa ea, propter relationem urbis ad se, in primis ob tantam innocentium multitudinem, eam servare. Quae etiam in causa fuerat, quare Jonam miserit, ne, propter crimina clamantia, innocentes cum noxiis necesse habeat exstirpare, ut per justitiam Dei fieri debuisset, nisi resipuissent. Cui resipiscentiae itaque acceptum erat ferendum, quod Deus innocentes cum noxiis non necesse habuerit perdere; et immensa innocentium turba fecit, quod Deus tam solenni legatione urbem invitaverit ad resipiscentiam. Et hoc ipsum aegre erat Jonae, ad Ninivitas convertendos et servandos misso, non quod Deus clementia uteretur erga resipiscentes, sed quod Ninivitae resipuerint, et gentiles poenitentes sint erepti. Ratio itaque, ab innocentibus petita, secus ac passim videtur, nulla resipiscentiae facta ratione, huc unice quadrat.

§. CLXIII. 3. Praeterea, quae ratio erat Jonae, quare ricinum

ricinum volebat propter suum servari emolumentum, eadem erat subditis, vel civibus, hujus urbis, quare eam salvam optare, et deletam lugere debebant. Horum autem civium rationem a Deo haberi aegre non oportebat ferre Jonas, qui sui a Deo haberi rationem in ricini salute tam ardenter cupiebat: si enim proximus amandus sit instar sui, utique quod Jonas sibi fieri volebat, id aliis praestari non nisi absurde damnare poterat. Ex hoc principio, et eo tantum conspectu, *ricinus* mihi est emblema ipsius Ninives, et Jonas repraesentat subditos civitatis, seu regni cives, qui inter se eo conveniunt, quod Jonas in ricino, illi in hac metropoli, umbra gauderent et protectione, ille contra solem et ventum urentem, hi contra hostes, et alia mala, sed eo indignior erat Jonae adfectio, quod inter ricinum, ejusque ad ipsum relationem, et Niniven, ejusque respectum ad Ninivitici regni cives, ingens esset discrimen, quatenus civium illius desiderium, quo civitatem cupiebant salvam, longe rectius erat et melius, quam illud Jonae erat in ricinum.

§. CLXIV. Hisce paulo adcuratius explicitis, quia interpretes mihi visi sunt hic minus recte versati, etiam aliena sectati, de quo agere non licet, subjungam historiae hujus, tum Ninivitarum, tum singularis casus Jonae respectu, verum conspectum et scopum. Casus Jonae ad eos missi, eorumque conversionis et liberationis, eo 1. collineat, ut verus providentiae et gubernationis divinae, qua orbem regit, intellectus ex hoc casu elucescat, adeoque hinc discatur, quae quantaque sit Dei longanimitas in peccatoribus diu ferendis, qualisque Dei justitia in puniendis urbibus et societatibus, in quibus peccata clamantia grassantur, denique quanta Dei sit benignitas in iis admonendis, et resipiscentibus servandis. 2. ut, Deo hac parte eandem esse ad totum mundum nullo facto discrimine relationem, constet. 3. sed in primis Israelitae, populus Dei, in hoc casu, tanquam lucidissimo speculo, tum suam obstinationem et pervicaciam, tum judicii Dei in eos justitiam ac necessitatem conspicerent; nec eo tantum

 tempore,

tempore, quo Jonas vixit, sed et sequente, in primis eo, quo Propheta, Jona major, in eorum medio versaretur. Exemplum hoc per omnia duraret tempora, et eo fini historia haec scripto est consignata, praecipue eos feriret, cum summus Propheta inter eos degeret, sicut Jonas inter Ninivitas. Quod Dominus directe intendit Matt. XII. cum se signum Judaeorum adpellet, quale Jonas fuit Ninivitarum. Qua ratione recte dicitur, Ninivitas fuisse Judaeis exemplar datum, ad quod, sicut semper, ita eo praesertim tempore, oculos flectere debeant, quo Messias, summus Propheta, Jona longe excellentior, sese inter eos manifestaret; absque ut typus vocationis gentium, spretis Judaeis, hic admittatur. De quo in *Serm.* cit. ad Matt. plura protuli, hic non est agendi locus. Qua ratione vero Jonas Christi imaginem expresserit, quod tanquam publicum piaculum fuerit in mare conjectus, indeque post tridui moram ejectus, alibi etiam in Serm. ad Matt. exposui.

§. CLXV. AMOS, Hebr. עמוס quasi dicas *gravi onere* pressus, praegravatus, hoc nomen a parentibus accepisse videtur, quod in paupere et vili conditione fuerit natus et educatus, sed et in eo fuit muneris ac fatorum omen, cum gravi fuerit prophetia in Israelem oneratus, gravia etiam, ut videtur, ab eo passus, cap. VII: 10. Parentes ejus sunt silentio involuti, sive quod obscuriores fuerint, sive quod per parentis nomen non habuerit necesse ab aliis distingui, sed locus nativitatis memoratur *Tekoa*, una urbium Judae, quas Rehabeam aedificavit 2 Chron. XI: 6. cujus bis meminit Eusebius in Onom. in ἐκΘεκωε corrupte pro ἐκ Θεκωέ, et in Θεκώα, quo utroque in loco dicitur urbs Judae, in deserto Judae, quod inde adpellatur *desertum Tekoae* 2 Chron. XX: 20. Hierosolyma distabat, teste Eusebio, duodecim milliaribus ad plagam meridionalem, et sex a Bethlehem secundum Hieronymum in prooemio ad Amos., qui etiam refert, solum esse arenosum et sterile, ubi nihil omnino frugum gignitur, et propterea pastoribus cuncta esse plena.

Cyrillus

Cyrillus vero testatur, locum propter irrigationem et herbarum diversitatem, esse ad ovium greges alendos aptissimum. Ceterum videntur cives hujus loci celebres antiquitus fuisse sapientia, cum eo, ut mulierem sapientem arcesseret, miserit Joab 2 Sam. XIV. quod ex nostro propheta, inde oriundo, licet vilioris conditionis, confirmatur. De quo ejus statu pauperrimum ejus vitae genus satis testatur, cujus ipse meminit c. VII: 14. ubi, se fuisse *armentarium*, *qui Sycomoris se alere* debebat, fatetur. Vox Hebr. בולס vi originis denotat *ficos colentem*, vid. Bochart. Hieroz. l. II. c. 39. et Ludolf. in hist. AEthiop. p. 200. Cum vero adpellatur quoque opilio, seu pastor ovium, c. I: 1. et VII: 15. videtur modo ovibus, modo armentis pascendis adhibitus, prout domino gregis placebat; adeo ut non Dominus sed mercenarius fuerit, ut ex vili cibi genere colligi potest. Qua ejus conditione non obstante electus est Propheta, licet inter *prophetarum filios*, seu discipulos, nomen nunquam fuerit professus, nec munere prophetico, antequam ad *Israelem* mitteretur, functus, adeo ut eo nomine non innotuerit, nec ordinariis prophetis sit accensendus; argumento, Deum eligere quem velit, nec a vitae hujus externa conditione dona sua suspendere, praeterea eum extraordinarie fuisse a Deo missum ad Israelem, ut in ejus vitia detonaret, et judicia inminentia ei denunciaret.

§. CLXVI. *Objectum* enim concionum ejus propheticarum est Israel, seu populus decem tribuum, ut ex universo libri argumento dubio caret. Judae quidem ex obliquo meminit, sed non nisi ad Israelem erat ablegatus, et ejus quoque crimina ac judicia praecipue in lucem profert. Erat quidem ex Juda oriundus, ut modo ex loco nativitatis observavi, sed, sicut olim ad Jeroboamum I. 1 Reg. XIII: 1. ita et nunc ad ejus nominis II*dum*, missus est propheta ex Juda, ut Jehova Deus populi, Hierosolymae sedes habens, declararetur. Quo etiam facit, quod Deus *vocem* dicatur *edere Hierosolymis* cap. I: 2. et sacerdos Bethelis Amosum,

jubeat tendere Hierosolymam, ut ibi prophetam agat: cap. VII: 12.

§. CLXVII. *Tempus* vero, quo conciones habuit propheticas, cum Uzziae et Jeroboami temporibus adligetur, in libri inscriptione c. I: 1. plusquam probabile est, eum prophetasse, quo tempore duo illi reges, alter Judae, alter Israelis, aequales fuerunt, et simul regnarunt: quod non nisi post Jeroboami annum 15*mum* contigit, quo Uzzias factus est Rex Judae 2 Reg. XV: 1. uti ibi legi debet, de quo mox. Fuit itaque Hoseae aequalis, sed ex parte, cum Hosea diutius prophetaverit, usque ad initia Hizkiae, Amos non ultra Jeroboamum. Praeterquam enim quod Uzzias et Jeroboamus tantum nominentur in initio libri, Jeroboamus adhuc circa finem concionum ejus superfuit, c. VII: 10. Inter memorabilia temporis criteria et illud est, quod *biennio ante terrae motum* auspicatus dicatur munus c. I: 1. non qualemcunque, sed singularem et terribilem: cujus indicium et in eo est, quod in proverbium abierit, et tempore Zachariae prophetae ejus memoria adhuc duraverit, Zach. XIV: 5. Qualia phaenomena epocham annorum suppeditare, et notam temporis figere solent. Nec tamen praecise definiri potest, quo Uzziae anno contigerit. Antiqua traditio quidem habet apud Jos. Antiq. IV: 10. eo accidisse tempore, quo Uzzias Sanctum voluit ingredi, et lepra percussus est, sed rationibus Chronologicis repugnat, cum sub finem ejus regni id demum factum sit, teste historia, et filii Uzziae, qui tunc regnum administravit, aetate; Jeroboamus vero, quo regnante prophetavit Amosus, defunctus est a 15mo Uzziae, qui annos 51 regnavit: fuisset itaque annos 40 leprosus Uzzias, si ante mortem Jeroboami illud accidisset: quod ab omni probabili abhorret, descriptio quoque terrae motus apud Josephum hausta videtur ex Zacharia. Quamdiu in munere fuerit Amosus, determinari quoque nequit. Arias Montanus *biennium* ei tantum adsignat, ex voce שנתים c. I: 1. a sequente avulsa, acsi sensus esset, eum prophetasse

tasse *biennium*, idque ante *terrae motum*: sed *duo anni* omnino cum terrae motu connectendi sunt, et initium prophetandi designant, duratione cum fine muneris praetermissa. Mihi, ut aliorum conjecturas, plane incertas, omittam, nihil occurrit probabilius, ac Amosum ultra Jeroboami tempora non prophetasse, ut supra observavi. Ceterum notabile admodum fuit hoc tempus, tum ob prosperitatem et firmum statum regni sub Jeroboamo, quo nihil minus quam excidium regni Israelis exspectabatur, tum ob vitia et scelera grassantia, ex omnium rerum abundantia oriri solita.

§. CLXVIII. *Argumentum* libri prophetici Amosi est fere totum elencticum, quo crimina, *cum* vicinorum populorum *tum* Judaeorum, sed praecipue Ephraimitarum, in claram producuntur lucem, simul reprehenduntur, et gravissima Dei judicia, usque ad plenariam destructionem, propterea denunciantur. Praemissa vicinarum gentium, ipsius etiam Judaeae, reprehensione, ac judicii divini in eas praedictione, c. I. et II: 1—5. totus in Ephraimitis de atrocissimis criminibus convincendis versatur, inter quae praecipua notantur, praeter idololatriam, violatio Sabbati voluntaria, adulteria, rapinae, oppressiones viduarum et innocentium, injustitiae, luxus, securitas carnalis, et fiducia in propriis viribus, contemtus verbi Dei et Prophetarum. Convertit se dein totus ad calamitates, ipsis inminentes, depingendas. Licet enim judicia Dei per totum librum iis denuncientur, et reprehensioni ubique inmisceantur, agitur tamen illud ex professo a cap. VII., vividissimis adhibitis emblematibus. Denique, ne pii ex populo animis penitus despondeant, ultimam concionem luculenta claudit prophetia consolatoria, de rerum destructarum instauratione, suo tempore futura, quae post exilium Babylonicum, et eximie temporibus Maccabaicis facta est, sed sub Messia, modo spirituali, summa emphasi.

§. CLXIX. Potest vero libri divisio dupliciter institui, vel totius libri, vel concionum ejus respectu. Si liber comple-

plexe sumtus distribuatur, duae erunt partes generales, quarum una et prior ad populos vicinos, sive gentiles, sive Judaeos, pertinet c. I, II: 1—5. altera et posterior ad Israelitas, eaque rursus duplex, altera elenctica c. II: 6.—IX: 7. altera consolatoria, inde ad finem. Elenctica porro vel est simplex et nuda, usque ad cap. VII. vel emblematica, quae pulcherrima continet visa prophetica, cap. VII. et seq. Sed cum uno eodemque tempore hoc argumentum non fuerit enunciatum, ut probabile est, sed per varias conciones, has distinxisse, et in eas librum distribuisse, aptius est et utilius. Ex mea sententia, duo prima capita primam continent concionem, cum materia sit connexa. Reliqua tria III, IV et V. singula totidem absolvunt conciones, quippe quae his verbis, *audite verbum hoc*, incipiunt singula; sicut et *sextum* caput, eodem tenore decurrens, peculiarem requirit concionem, sed tria postrema VII, VIII et IX, quae visa prophetica comprehendunt, sintne uno eodemque tempore vulgata an diverso, vix definiri potest. Cum vero cap. VII. in singulari casu, qui prophetae cum Amatzia intercessit, terminetur, et a reliquis capitibus distinguatur, peculiarem videtur postulare concionem, nec inprobabile est, reliqua duo capita quoque distinctas habere conciones. Constat itaque liber ex octo concionibus. Ceterum *stilus* Amosi acer est et vehemens, multis interstinctus metaphoris, ut Prophetis in more est, attamen facilis, planus, parum abruptus, et ellipticus; adeoque personae censoris publici, quam gessit, et concionibus elencticis congruus, sed illud habet peculiare, quod metaphorae, et emblemata fere omnia sint a re pecuaria petita, convenienter etiam vitae rusticae seu pastoritiae, quam antea degit. Quo tamen nec puritati, nec elegantiae, aut emphasi dictionis aliquid decedit, cum rusticae illae figurae rem vivide et clare exprimant. Nollem itaque eum cum Hieronymo *inperitum sermone dicere*.

§. CLXX. *Usus* denique hujus libri sunt egregii, alii *historici*,

rici, alii *morales*: Quorum ad *illos* pertinet, 1. de ſtatu et fatis vicinarum gentium multa hinc peti poſſe ex. gr. c. I, II et IX: 7. 2. Corruptiſſimam Ephraimitarum conditionem, et crimina graſſantia, tempore Jeroboami II., quo regnum ſummopere floruit, vivis depingi coloribus. Ad *morales* vero uſus referri poterit, quod hinc diſcere liceat, 1. quae crimina judicium Dei provocare ſoleant in populum, et regnum. 2. Judicium Dei ſemper gravius incumbere populo, qui inſignibus beneficiis, in ſpecie verbo et revelatione Dei, eſt cumulatus et ornatus. 3. Mala, quibus populus, qua talis, adfligitur, a Deo, qua Rectore mundi, originem repetere, c. III: 6. et IV. ac eo tendere, ut reſipiſcant, et juſtitiam diſcant incolae terrae; ſimul, interveniente reſipiſcentia, cum bonis commutari, pro ſingulari Dei bonitate, ſolere: c. IX.

§. CLXXI. HOSEAS, Hebr. הושע Gr. ὡσηὲ Lat. *Oſee*, vel ut tempore Hieronymi, ipſo notante, in Codicibus Gr. et Lat. lectum fuit, αὐσῆ *auſe*, pro diverſa litterae ו *vau* pronunciatione, vel per ω vel per αυ, *ſervatorem*, aut, ſi pro inperat. habeatur, *ſerva*, ſignans, hoc nomen videtur a Parentibus accepiſſe ex voto, quo filio fuerunt omnigenam ſalutem Domini adprecati, uti in *Berechja* benedicat Dominus, qui fuit pater Zachariae; nec alia ſector myſteria. Cum vero filius *Beeri* expreſſe adpelletur, patrem fuiſſe in gente ſua honoratum, hinc quidem recte colligitur, quia moris erat in filii laudem patris nomen eo in caſu tantum addere, ſed minus ſolide, eum quoque fuiſſe prophetam; quod fallaci Judaeorum regulae, quum Prophetae additur nomen Patris, eum quoque prophetam fuiſſe, innixum eſt, ab ipſo Aben Ezra refutatum. De *patria* ejus nihil conſtat. Eum e tribu Iſſaſchar fuiſſe, et oppido Beth-ſemes (ſic enim legi debet, et non, ut codices vitioſi habent, Belemoth, quod Druſius jam notavit,) traditur quidem a Pſeudo-Epiphanio et Dorotheo de vitis Prophetarum, nec non, ſecundum Gloſſam ordinariam, ab Hieronymo, ſed ſine ullo fundamento,

damento, nisi quis huc referre velit, et ei quid tribuat, quod autor *itinerarii Hebraici*, apud Hottingerum de *Cippis* Hebr. p. 58. refert, *se invenisse sepulchrum Hoseae prophetae non procul Zephath, civitate Galilaeae superioris, in terra Naphtali, in valle quadam, e latere urbis occidentali, supra speluncam erectum fuisse monumentum praestantius, cum inscriptione.*

§. CLXXII. Quod ad prophetiae ejus *objectum* adtinet, licet Judam non neglexerit, ut ex inscriptione non tantum, quae regum Judae etiam meminit, patet, sed et ex ipso libri argumento, ut cap. V: 10. VI: 7, 11. Israelem tamen severius increpat, mitius Judam, cui etiam hic illic parcit, quemque, ubi fieri potuit, laudat, et extollit, ut c. IV: 15. XII: 1. fuit praeterea Ephraimitarum proprie Propheta, et ad eos missus, adeoque, quod ab interprete hujus libri recte semper advertendum est, objectum prophetiae ejus praecipuum est populus Israelis, et regnum Ephraimiticum. Vaticinatus vero est, ut de *tempore* ejus agam, teste inscriptione, sub Uzzia, Jothamo, Achazo, et Hizkia, regibus Judae, nec non Jeroboamo, rege Israelis. Terminus itaque *a quo*, ut dicitur, ponendus est in diebus Uzziae et Jeroboami, qui annos quindecim una regnarunt, cum Jeroboamus ante Uzziam regnaverit 15 annos, et fuerit anno Uzziae 15*to* mortuus, adeoque non ab initio Jeroboami, nimis longum enim tunc fieret illud tempus usque ad Hizkiam, ut facile adparet, sed ab initiis Uzziae, ex quo aequalis fuit Jeroboamo, unde usque ad Hizkiae initium sunt anni 84, quibus si 4 Hizkiae addantur erunt 88. Quod spatium, si adhuc longius videatur, statui poterit eum incepisse prophetare, postquam Uzzias et Jeroboam jam aliquo tempore fuissent contemporanei. Inscriptioni enim sufficit, si Hoseas auspicatus statuatur munus, quo tempore duo illi reges simul regnarunt: quod inscriptio omnino requirit, cum Jeroboamus expresse memoretur, et Uzziae adjungatur. Fuit quidem, ut de termino *ad quem*, verbo absolvam, Hizkia jam

regnante,

regnante, adhuc in munere, ut phrasis indicat, *in diebus*, vel tempore, Hizkiae, nec tamen diu, cum destructio regni *Israelis*, quae hic tanquam futura praedicitur, anno 6to Hizkiae contigerit. Ex quibus illud etiam patescit, eum admodum juvenem fuisse ad munus propheticum vocatum, cum saltem 80 annos in eo fuerit; de quo et illud testatur, quod nondum videatur matrimonio junctus; uti ex viso de uxore, quae foret adultera, ducenda, colligi potest, cap. I.

§. CLXXIII. Ceterum, ut supra in Amoso observavi, fuit hoc tempus duobus aut tribus characteribus valde notabile. 1. Regnum Ephraimiticum sub Jeroboamo summum conscenderat prosperitatis fastigium. 2. Simul erat corruptissimum, et, si ad meliorem frugem non rediret populus, brevi collapsurum, et destruendum; sicut etiam post Jeroboami obitum mox coepit collabi, donec brevi fuerit ab Assyriis destructum: quare in Jeroboami filio Zacharia occiso *arcus Israelis dicitur fractus* Hos. I: 5. Reges quoque, qui post fuerunt, illud vi et scelere passim rapuerunt, perturbarunt, et ruinae ejus ansam praebuerunt, quare illorum in titulo libri nulla quoque ratio habetur, sed solus Jeroboamus memoratur cum regibus Judae, sub quibus prophetavit Hoseas. Erat itaque opportunum valde tempus, quo Hoseas cum aliis prophetis fuit ad populum missus, ut populus ad resipiscentiam, si pote, permoveatur, et instanti excidio, quod ante fores erat, praeveniat.

§. CLXXIV. *Argumentum* libri Hoseae est maximam partem elencticum, seu convictorium et interminatorium, ita tamen, ut luculenta promissa, sive corporalia, sive spiritualia, inmisceantur, et elencticum genus in consolatorio terminetur subinde. Quod utrumque fuit muneris prophetici proprium, peccata nimirum perstringere, gravissima denunciare peccatoribus judicia, et ab altera parte pios, et adflictos, grassantia vitia et crimina deplorantes, spe magnorum bonorum erigere, et contra futura mala firmare. Quod

utrumque licet prophetae passim agant omnes, in eo tamen differunt, quod alii in hoc, alii in illo, praecipue versentur. Sic ex gr. in Jesaia et Zacharia consolatorium, in Hosea et aliis, elencticum passim dominatur argumentum, quippe Ephraimitarum regno, et temporum illorum statui, magis adcommodum. Partes libri generales facilius indagari potuissent, et certius, si conciones, diversis temporibus habitae, nonnullis fuissent notis distinctae. Totus liber uno tenore decurrit, ut videtur, a cap. IV*to*, cum tria prima capita visi ecstatici, in principio muneris ipsi facti, narrationem contineant et explicationem; acsi unam tantum concionem a cap. IV*to*, uno eodemque tempore pleno pectore effusam, absolvat, licet certum sit, varias conciones, diversis temporibus habitas, sive integras, sive in summam redactas, in eo reperiri, nec tamen tam facile est eas separare, difficilius adhuc, eas suis adligare temporibus. Tentavit quidem posterius Ligtfotus in Chron. tempor. et ord. text. V. T. qui prima quatuor capita in ipso concionandi principio fuisse prolata, non sine ratione, existimat, quintum et sextum connectit cum Achazi tempore, postquam ab Assyrio petierat auxilium, et reliqua ad Hizkiae tempora refert, non solido satis fundamento. Missa itaque temporum distinctione, quae accurate fieri nequit, conciones per argumenta earum, et, si qua occurrunt, alia criteria, divisisse suffecerit. Post priorem libri partem, cap. I—III, quae duo visa exhibet ecstatica, de quo mox, in principio muneris ipsi oblata, et cum publico communicata, sequentes sese offerunt conciones partis libri posterioris. *Prima* cap. IV. quia sequens caput cum solenni formula, *audite verbum Domini*, aeque incipit ac cap. IV. *Secunda* itaque concio c. V, usque ad c. VI: 3. sese porrigit, cum, quod promissa finire soleant conciones interminatorias, tum c. VI: 4. aliud, seu elencticum, argumentum resumat Propheta. *Tertia* a c. VI: 4. decurrit ad finem cap. VII. cum cap. VIII. nova formula incipiat. *Quartae* lubens darem cap. VIII. licet certum

certum deſit criterium. *Quintam* certius videtur capitibus tribus, IX, X, et XI, comprehenſam eſſe; quia cap. XI. luculentiſſimo promiſſo, in Nova oeconomia Meſſiae maxime inpleto, terminatur. *Sextam* cap. XII et XIII tribuo, cum capiti XIII. finem inponat diſertum promiſſum liberationis ab exilio Babylonico, et poteſtate mortis. *Septimam* denique ſibi vindicat cap. XIV.

§. CLXXV. Cum vero priorem libri partem c. I—III. viſum continere ecſtaticum dixi, de ea mentem paulo diſtinctius exponam, maxime quod ad vitam prophetae aliquid faciat. Enarrat propheta cap. I. uſque ad v. 3. cap. II. ſe juſſu Dei duxiſſe uxorem ſcortationum, ex ea tres procreatos eſſe liberos, nominibus ſymbolicis a Deo inſignitos, quae graviſſima Dei judicia, in Iſraelem inmittenda, per tres gradus portendebant, ita tamen, ut in eximia promiſſa exirent. Dein Deus ipſe c. II: 4—fin. in ſcenam introducitur tanquam orator, et cauſae ſuae patronus, qui judiciorum illorum juſtitiam ab omnibus criminationibus defendit, primum ex peccatis ac criminibus adulterii ſpiritualis, quibus mala illa erant meriti, dein ex eorum ſcopo, ac ſalutari conſequente, ſeu eventu. Quaeſtio, quae nos nunc tantum occupatos tenebit, ſatis difficilis definitu eſt, num ejuſmodi commercium vere et actu ipſo, an ecſtatice, et in viſo, fuerit prophetae? circa quam ſecum diſſentiunt interpretes. Audiendi enim non ſunt, qui pro pura puta parabola habent: cum ejus nullum exſtet indicium, haud unum contrarium. De quo hic uberius non agam. Poteſt in utramque partem diſputari, nec alterutrius ſententiae certum reperitur criterium in textu. Nuptiae enim cum *muliere ſcortationum*, quae Prophetae injunguntur, in quibus ſeſe patroni viſionis fundant, tanquam criterio ejus, ſi recte capiantur, neutram ſententiam premunt, ſi vero vulgata obtineat de muliere, ante nuptias cum propheta, ſcortatrice, utrique ſententiae aeque obſunt, quod enim re ipſa turpe eſt et illicitum, illud, in imaginatione peractum, nequit

fieri honestum et licitum, multo minus, si in publicum edatur, et turpis ejusmodi imaginatio populo proponatur. Vid. Ezech. IV: 14. et Act. X: 14. Sed si mulier intelligatur, ut hic omnino debet, non quae scortata fuit, aut scortetur, cum viro nubat, sed quae vel ex scortatione fuerit nata, vel quae libidinosa fidem sit post nuptias violatura; quod utrumque fert phrasis, et hic admitti potest, cum mulier scortationum dici queat, et quae matrem habuit scortatricem, sicut mox *filii scortationum* eo sensu adpellantur, et quae, nuptiis contractis, mox scortatura est, si, inquam, ejusmodi mulier indigitetur, prophetae aeque actu, ac in visione, offerri potest ducenda sine macula, aut vitio. Qua ratione utraque hypothesis a difficultate, quae nonnullos interpretes ad parabolam fingendam adegit, liberatur, et os verbi prophetici, ac revelationis omnis, adversariis occluditur.

§. CLXXVI. Licet itaque inter problemata haec quaestio referri queat, et utraque defendi, mihi tamen visio ecstatica videtur, ob has rationes, praeferenda. 1. Titulus, narrationi praefixus, *in principio locutus est Jehova* (vel, si pro דִּבֶּר aliis punctis legatur דְּבַר, *initium verbi*) בְּהוֹשֵׁעַ *in Hosea*, ad visionem omnino videtur ducere, *cum* quod mox sequatur, quid jusserit Deus, quid fecerit Hoseas, quid dixerit Deus; quae omnia ad *loqui in Hosea* pertinent, titulus utique non est, ut putatur, generalis totius libri, sed specialis, et prioris partis ejus, seu primae concionis, *tum* quod phrasis *dicere*, vel *loqui in propheta*, ut proprie sonat, de visione ecstatica passim adhibeatur, ut ex primis capitibus Zachariae et aliunde manifestum est: ubi loqui cum ב *in* distinguitur a loqui cum אל *ad;* sicut et hoc in loco, vers. 2. *initium verbi Jehovae in Hosea, et dixit Jehova ad Hoseam*, scilicet *in ipso* loquens, seu visione. 2. Rectius ex hac hypothesi capitur, quomodo concio uno eodemque tempore fuerit revelata, et pronunciata: si enim res vere fuisset

fuiſſet geſta, longum ſpatium inter initium et finem revelationis interceſſiſſet, cum tres genuerit liberos, et non niſi poſt ablactationem conceperit, v. 8. 3. Collatio cap. III. haud leve pondus addit, cum et alia ibi ſe viſionis offerant criteria, ut quod novam jubeatur ducere uxorem, eamque in ipſo adulterio amare, uxor quoque dicatur longo tempore ſeorſim actura, et dein readſumenda, quod latius non exſequor.

§. CLXXVII. Scena itaque in Prophetae imaginatione eſt acta, et hac ratione inſtructa. Viſus ſibi eſt juſſu Dei ducere uxorem Gomer, filiam Deblenem, mulierem, ex ſcortatione matris natam, et ipſam libidinoſam indole, quae, fide matrimonii violata, liberos ſcortationum, ſeu ſpurios, procreavit, quibus nomina ſymbolica ſunt inpoſita, graviſſima portendentia judicia. Viſus ſibi praeterea eſt Deum audire, his liberis in ſignum excidii populi Iſraelis genitis, tanquam oratorem, judicia illa juſtificantem. Quae ſcena nulla laborat difficultate, modo obſervetur, quod ſupra tetigi, *mulierem ſcortationum* non eſſe, quae ante nuptias, ſed poſt illas, ſcortata eſt, et liberos non ex propheta, legitimo marito, ſed ex alio, quocum concubuit, peperit. Praeterquam enim, quod factum ſine hac hypotheſi, ut modo notavi, defendi nequeat, a vero ſcenae conſpectu, niſi hoc admittatur, aberratur; liberi enim ſcortationum poſt nuptias ſunt geniti, et myſticus intellectus id requirit, ac res ipſa, cum Iſraelitae hic pacti matrimonialis violati accuſentur; vid. et c. II: 6. Praeterea mulier ſcortationum adpellatur reſpectu liberorum ſcortationum, ergo non niſi poſt nuptias contractas. Denique myſticus intellectus illud exigit, cum Iſraelitae hic repreſententur, tanquam foederis rupti rei, qui, a Deo ſibi adſociati, ab eo per idololatriam defecerant.

§. CLXXVIII. Lineas comparationis ducere, et viſi ſpecialem explicationem tradere, cum hujus non ſit loci, de altero viſo cap. III. pauca ſubjungam. Ad ſcenae conſtructionem

onem recte capiendam tria pertinent quaesita, quaenam scilicet sit mulier, et qualis, et qua ratione cum ea debuerit propheta agere? 1. Uxor, quae in scenam producitur, nec est alterius mariti, quae ab eo descivit, quod ab omni honestate abhorret, et apodosi adversatur, cum Deus populum suum adsumendo censeri nequeat alienam duxisse uxorem, nec etiam eadem est, quam propheta prima vice duxerat cap. I. cum nihil in textu sit, quod generalem mulieris notionem restringat ad Gomer c. I, imo non uxor, aut uxor tua, dicitur, sed mulier, denique jubetur propheta, eam sibi dote comparare, etiam *amare;* quod ad propriam uxorem commode referri nequit: sed, sicut novum prorsus visum est, ita novam et aliam jubetur ducere uxorem. Quod cum nostra hypothesi de viso ecstatico recte consistit, maxime cum diversa sint visa, quae diversis contigerunt temporibus, ipseque expresse jubeatur *altera* vice sumere uxorem. 2. Mulier vero, ut qualitatem ejus exponam, non fuit vitae, sed indolis libidinosae, quae nondum fuerat scortata, sed se in posterum commacularet adulterio, jam uxor facta. Quod, sicut ex supra dictis ad visum praecedens, ita ex ipso textu evidenter patet, cum mulier adpelletur *amata socio* et *adulterium* committens; post initum itaque matrimonium. *Socius* vero est ipse maritus, eo nomine et alibi, ut Jer. III: 20. et alibi, insignitus, nec alius ac ipse propheta, qui eam jubetur amare; cum ceteroquin alterius fuisset uxor ante conjugium cum propheta, etiam ante adultera, quod modo refutavi, nec propheta tunc cum Deo comparari posset in hoc emblemate, sed cum alio deberet marito, quod abhorret; mulier enim a socio desciscens expingit populum, a Deo deficientem v. 1. Sensus itaque est, prophetam esse mulierem amaturum, quae a *socio suo*, seu marito propheta, deficeret ad amasios, et adulterium committeret.

§. CLXXIX. 3. In scena adornanda, ut quid prophetae agendum praecipiatur in lucem prodeat, non est ad has illasve phrases, ut passim factum est, sed totum sermonis et

scenae

ſcenae complexum adtendendum, cum ex omnibus ſimul ſumtis ſcena ſit eruenda. Eſt enim oratio prophetae abrupta, et elliptica, uti per totum librum: et mandatum plura continet, quam v. 1. traditur, ut ex ſequent. elucet. Jubetur ſimpliciter diligere mulierem, cujus conditio et vita mox ſubjungitur, ſed in mandati exſecutione narrat, ſe ſibi eam certo pretio comparaſſe; argumento, eum non tantum debuiſſe amare mulierem, ſed primum ducere, et ductam amare. Dein mox ſeparatio uxoris a communione ſua ſubjungitur, abſque ut de cauſa repudii inperfecti, ſeu de vita mulieris nuptae, aliquid addatur; quod itaque ex anteced. et conſeq. colligendum eſt, et ſupplendum. Cum enim in initio tanquam adultera fuerit depicta, et mox in repudii deſcriptione dicatur, eam non eſſe ſcortaturam, adulterium inter ductam et repudiatam uxorem interceſſiſſe, manifeſtum eſt; quod itaque inter verſ. 2 et 3. eſt mente inſerendum. Denique cum eventus repudii ſilentio involvatur, v. 3. in apodoſi vero converſio et readſumtio populi a Deo praedicatur, inde utique ſupplendus eſt eventus repudii, a Propheta faciendi, nec non ejus conſpectus et natura. Scena itaque, his omnibus ſimul ſumtis, hac ratione eſt, ſecundum meam opinionem, inſtituenda.

§. CLXXX. Jubetur propheta *amare* mulierem, quae, a marito ex amore ducta, ſe adulterio contaminavit, h. e. mulierem, a ſe ductam, et, ſtante matrimonio, adulteram factam, *amare*, ſeu in amore illo, quo eam ſibi primum adſociavit, continuare, non obſtante adulterio. Quo juſſu tria ſunt comprehenſa, matrimonium ineundum, uxoris adulterium, et amoris perſeverantia, ſed quo amoris genere eam, adulteram factam, proſequeretur? an eam complecteretur, eique conjugale pergeret praeſtare officium? neutiquam. Sed repudiaret adulteram, attamen inperfecto repudio, quo illa puniretur, ejuſque illegitima exſtingueretur libido, ſimul ei ſpes fieret, ſi ſe convertat, readſumtionis, et receptionis in domum mariti. Interpretes

mihi in eo videntur errare, quod 1. mulierem, alii nuptam et adulteram, putant a propheta esse adlectam sub spe conjugii cum ipso, 2. illud tamen inire noluisse prophetam, nisi postquam longo tempore fuisset explorata; eoque fini curasse, ut vilissimo cibo et potu sustentaretur, et abjecto in statu viveret. Quae hypothesis ex supra observatis sponte sua corruit, *a.* enim mulier non fuit alteri nupta, aut adultera. *b.* Propheta dicitur eam sibi *comparasse*, non vero pretium ei sustentandae, in spem matrimonii, inpendisse. *c.* Abjecta mulieris conditio ex *adulterio* est orta, et poenae conspectum praefert; adeo ut ante jam fuerit ducta. *d.* Post longum tempus conjugium non inciperet demum, sed renovaretur, et ea in pristinum statum readsumeretur. Denique *e.* scenae, quemadmodum eam construxi, res spiritualis unice convenit. Quod facile foret demonstratu, si comparationem per partes instituere liceret. Sed illud non est hujus loci, et a perito Interprete facile fieri potest.

§. CLXXXI. Pauca supersunt de *stilo* libri memoranda. Inter Prophetas, qui obscuriore *stilo* usi sunt, principem tenere Hoseam locum, fatentur omnes. Verba et voces saepe sunt obscuri significatus, phrases difficiliores, sermo totus concisus, abruptus, ellipticus, minus, ut videtur, cohaerens, ut concionum fragmenta, et non totas conciones, ad nos pervenisse, subinde diceres, quae Lutheri fuit, notante Schmidio, opinio, sed Propheta ab uno ad aliud saepe abrupte transit: estque stilus, complexe sumtus, viri, qui spiritu, quasi vento, raptus, incitatissime currit, nec tempus sibi permittit, sensus et cogita plene exprimendi. Elucescit insuper in eo spiritus acer, vehemens, sublimis, et multa continens. De scopo et usu libri non necesse est aliquid moneam, cum supra de Amoso dicta huc facile adplicari queant.

§. CLXXXII. Historiam, ut ejus filum repetam, successorum Jeroboami antequam persequar, de Azaria, vel *Uzzia*,

zia,

zia, filio ac successore Amaziae, secundum seriem Libri Regum, erit agendum, quippe qui Jeroboamo per longum tempus fuit aequalis, simul aeque prosper. Fluxit enim utriusque regni fortunata periodus sub duobus hisce regibus. Sed laborat et hic liber Regum, 2 Reg. XV., insigni defectu, quem liber Chron. 2 Chron. XXVI. supplevit. Nihil enim in priore libro de praeclaris ejus facinoribus, in Philistaeis et Arabibus adfligendis, reperitur, nihil de regno, cum regia, eximie munito, nihil etiam de crimine ejus, et causa leprae. Nomen tulit duplex, sed vicini sensus et soni, una tantum littera varians: עזיה *Uzzia* dicit, *robur meum Deus*, vel Jehova, *est*, עזריה *Azaria* vero, *auxilio mihi* est, vel fuit, *Jehova*. Quae nominis mutatio inde videtur repetenda, quod Jehova ipsum *in omnibus adjuverit* 2 Chron. XXVI: 7, 15. Ex quo colligere quoque licet, ipsum in principio fuisse *Uzziam* adpellatum, voti et boni ominis ergo, dein, post tot divini auxilii signa, nomen *Azariae* accepisse. Sed haud exiguam parit difficultatem, quod 2 Reg. XV: 1. rex legatur factus anno Jeroboami 27*mo*; quippe quod cum c. XIV: 17 et 23. conciliari plane nequeat. Jeroboamus enim eo in loco patri dicitur successisse anno Amaziae 15*to*, hic autem annos 29 regnavit, ibid. v. 2. Sicut itaque 15*tus* Amaziae et Jeroboami 1*mus* sibi respondent, ita et 29*nus* Amaziae ac 15*tus* Jeroboami, et per consequens 1*mus* Uzziae. Debebat ergo legi, non עשרים ושבע 27, sed חמש עשרה 15. Quam veram esse lectionem, a Joseph. Ant. IX: 10. confirmatam, vix dubitaverim, cum nihil, quod satisfacit, hucusque fuerit prolatum, aut possit etiam, ad hunc nodum solvendum. Error quoque, ex litteris numeralibus יה 15, et כ 27, confusis, facile potuit oriri.

§. CLXXXIII. Fuit in re religionis Patri similis, ut expresse traditur, quatenus ejus longo tempore fuit studiosus, sed sub finem vitae, prae superbia, sacra temeravit, sacerdotis munus sibi rapiens: quam ob praevaricationem,

ut 2 Chron. XXVI: 19. dicitur, modo מעל ibi capiatur, pro מעמל, uti v. 16 et 18. habetur, *lepra* percussus est, et cum ignominia Templo ejectus, mansitque ad mortem usque *domo* seorsim inclusus, ac ab hominum commercio sejunctus: quare domus החפשית adpellata est 2 Reg. XV: 5. quasi dicas *effusionis*, seu expulsionis e medio, cum ignominia et maledictione, instar *aquae effusae*, quae propria est radicis potestas. Vid. comment. ad Ps. LXXXVIII: 5. Quamdiu vero Deo, ejusque cultui, adhaesit, prosperrime egit, Dei auxilium singulari modo expertus. *Elatam*, ad mare Rubrum, regno ereptam a Syris, vel Edomitis, ei restituit, Philistaeos, Arabes, et Ammonitas sibi subjectos habuit, ita ut *munus* ipsi detulerint, et urbes in tractu Philistaeorum aedificaverit: Hierosolymam egregie munivit, turribus aedificatis, et machinis artificiosis in iis et angulis factis, ad jaculandas sagittas et ingentes lapides: denique agriculturae, et rei pecuariae, egregie prospexit. Verbo, regnum reddidit firmissimum, et prosperum; adeo ut *nomen* et gloriam sibi apud vicinos populos, etiam AEgyptios, conciliaverit. Regnavit ann. 52: 2 Reg. XV: 2. 2 Chron. XXVI: 3.

§. CLXXXIV. Durante regno Uzziae, varii fuerunt in Israele reges, successione prorsus turbulenta facta, et regno ad ruinam spectante. Jeroboamo adhuc filius ejus *Zacharia* successit, licet forte non sine variis oppositionibus, et post aliquot annorum intervallum, si *interregnum* aliquod sit post Jeroboamum admittendum, uti videtur statuendum ex anno Uzziae, 2 Reg. XV: 8. memorato, quo Zacharia ad regnum pervenit. Dicitur enim ibi id factum anno Uzziae 38*vo*, cum debuisset anno 27*mo*, cui respondet annus Jeroboami 41*mus*, ut e superioribus constat. Dandi itaque sunt Jeroboamo anni 51, et ita pro 41 leg. cap. XIV: 23., vel interregnum statuendum 11 annorum. Quod posterius forte praeferendum, quippe a turbulento statu regni, post mortem Jeroboami, non alienum; licet ejus

nullum

nullum exstet in Historia indicium. Factiones tamen exstitisse eo tempore vel inde colligitur, quod Zacharia post *sex* menses regni fuerit e medio sublatus a Sallumo, inspectante et adplaudente populo; uti phrasis קבל-עם *coram populo*, 2 Reg. XV: 10. vera sua potestate, indicat; *Sallum* etiam, post mensem unum, a Menachemo Samariae obtruncatus sit ib. v. 14. Rapuit itaque *Menachem*, filius Gadi, regnum, tenuitque per 10 annos v. 17. postquam *annum* regno firmando contra factiosos insumsisset; hoc enim si admittatur, ratio reddi potest, quare filius ejus v. 23. legatur successisse anno Uzziae 50*mo*; cum tamen Menachem anno Uzziae 39*no* regnum capessiverit, v. 13. adeoque 11 anni fluxerint inter caedem Sallumi, et finem regni Menachemi. Quae facile conciliantur, si *unus* annus firmando regno detur, et ipsi ab eo tempore 10 tribuantur: cujus simile mox videbimus in Hosea, ultimo rege, locum habuisse. Robur addit huic opinioni, quod intestinum fuerit bellum, quo regnum sibi vindicavit, et dein firmavit, Menachem, cujus indicium in eo est, quod e Thirza, sede regni Israelitici in initio, cujus fuit civis, et ubi versatus fuit, et conspirare coepit, moverit hostiliter contra Sallumum Samariam, ibique occiderit eum; postquam ipsum *percusserat*, pugna itaque habita in ipsa urbe: praeterea, quod *Tipsachum*, urbem a Thirza haud longe remotam, quia portas ipsi aperire, et aditum concedere, recusaverat, violenter expugnaverit, ac destruxerit totam, cum territorio ejus, gravidis quoque mulieribus *effissis*, seu abortire factis. Hunc sensum existimaverim verba v. 16. fundere; *tunc* (capta scilicet Samaria, et Sallumo occiso: ut modo dictum erat) *percussit Menachem Tipsachum, et omnes in ea, et limites ejus* (tractum ejus limitaneum,) *a Thirza* (scilicet, si vox non sit loco mota, et *Menachemo* subnectenda, uti v. 14. quod non est inprobabile, inde *veniens* Menachem, aut a parte Thirzae ratione limitum Tipsachi, eo spectantium) *quia non aperuit portam* (Menachemo,

eum admittendo) *et percussit, omnes gravidas ejus effindendo* vel effindens eas (h. e. dirissimam instituendo stragem. *Effindi* usurpatur de foetu, qui excluditur) effindere itaque *gravidas*, est efficere ut abortiant. Phrasis vero est, et locutio proverbialis, Arabibus trita in dirissima strage pingenda. Schultens ad Prov. III: 20. Accedit denique, eum, ut se in regno tueretur, opus habuisse ope Phulis, regis Assyriorum, qui ejus tempore in terram Israelitarum irruit, quemque sibi munere devinxit, v. 19.

§. CLXXXV. Successit ipsi filius ejus *Pekachia*, sed anno 2*do* regni e vivis sublatus, per conjurationem in ipso palatio, satellitio cinctus, a Pekacho, tribuno ejus, v. 25. Hunc enim putaverim sensum esse v. 25. *et percussit ipsum Samariae in arce*, vel palatio, *domus regiae*, *speluncam* scilicet *leonis*, et *leonem ipsum*, et *cum ipso* 50 *viros e filiis Gileaditis*. Sensus est, regem, sicut leonem, in palatio, tanquam spelunca, cinctum 50 satellitibus, fuisse, una cum illis, occisum. *Speluncam* leonis et *leonem* percutere, videtur proverbialis fuisse locutio, quae regem in medio palatio, et satellitio cinctum, occidere, denotat. Vox vero ארגב *speluncam*, vel foveam leonis videtur significare, ex ארי *leo* et גוב *fovea*. Tantum dubium aliquatenus est, num 50 viri ad Pekachiam, an Pekachum pertineant.

§. CLXXXVI. *Pekachi*, Remaliae filii, regnum fuit diuturnius, quippe 20 annorum, simul duobus casibus famosum, *uno* invasionis Assyriorum in Septentrionales ac Transjordanenses regiones, quas plane occuparunt, et, incolis in exilium abductis, vacuas fecerunt: *altero* hostilis expeditionis, una cum Syro-Damascenis, in regnum Judae sub Achazo. De priore, in lib. Reg. tantum memorata, paucis exponam, de *posteriore* postea suo loco, ubi de Achazo, acturus. *Priorem* adtulisse graviorem adflictionem, quam vulgo putatur, ex Jes. XVII: 4—6. et VIII: 4. quae pericopae ad eam pertinent, ubi vid. Cl. Vitringa, nec non 2 Chron. XXX: 6. clare elucescit. Historicus 2 Reg. XV: 29. calamitatem

calamitatem illam narrans, ordine recenset primum *urbes*, dein *regiones*, a Tiglat-pulassare, rege Assyriorum occupatas, et vacuefactas; *regiones* vero, initio a Trans-jordanensi tractu facto; nam primum *Gilead* memoratur, dein *Galila*, seu tractus superior Naphtali: quo observato, narratio, respectu ordinis, nihil habet, quod offendit. Fuit itaque regnum Israelis jam graviter adflictum, magna parte ab ortu et septentrione truncatum, et ingente numero civium privatum. Primordia itaque exilii Assyriaci in hoc casu ponenda sunt.

§. CLXXXVII. Cum *Jotham*, Uzziae filius et successor, regnum tenuerit tempore Pekachi, regis Israelis, incepit enim anno ejus 2*do*, et praefuit 16 annos, 2 Reg. XV: 32. suo plane loco de ipso agit autor libri Reg. c. XV: 32—38. sed insignem reliquit lacunam, cum de praeclaris ejus facinoribus nihil fere referat, nisi quod portam Templi superiorem instauraverit. Quem defectum Lib. Chron. c. XXVII. rursus supplevit: ex quo phrasis, ipsum *rectum fecisse in oculis Jehovae*, *sicut Uzziam patrem ejus* 2 Reg. XV: 34. quoque commoda explicatione est juvanda, cum patrem non fuerit imitatus in Templo contaminando: sicut 2 Chron. XXVII: 2. diserte traditur: fecit rectum, *secundum omne quod Pater fecit*, רק *solummodo palatium Jehovae non intravit*, sicut pater temere fecerat: quo hic omnino respicitur: ne autem quis in particula exceptiva רק *tantum*, *excepto quod* etc. haereat, obiter notari velim, eam ad proxime praecedens, *sicut pater fecit*, et non ad remotius, seu *rectum* facere, esse referendam; hac ratione: *rectum fecit in oculis Jehovae*; fecit secundum omne quod Pater, excepto tantum, quod non, sicut Pater, intravit Templum, ad suffiendum scilicet. Inter praeclara ipsius facinora memoratur in lib. Chron., quod Hierosolymam ornaverit ac muniverit, montanum Judae instruxerit urbibus et arcibus, denique Ammonitas superaverit, et ad tributum pendendum coegerit, quod *triennium* duravit. Invasionem quoque

Israelitarum ac Syrorum in regnum Judae, quam jam videntur sub finem vitae ejus moliti, uti 2 Reg. XV: 37 indicari videtur, cum alias ratio horum verborum, ibi infertorum, dari nequit, sua cura, et facinorum celebritate inpedivit: erupit enim, ipso jam mortuo, sub Achazo.

§. CLXXXVIII. Successit Jothamo filius ejus *Achaz*, idololatria Baalitica introducta, ad exemplum Achabi Israelis, indeque orta summa regni calamitate per Syrorum, Israelitarum, Philistaeorum ac Edomitarum hostiles invasiones, quibus regnum ad incitas redactum est, et undequaque laceratum, accedente quoque infelici, ac perniciosa, cum rege Assyriae, auxilii ergo, societate inita, famosus per 16 annos, quibus praefuit. Quae historia, 2 Reg. XVI, et 2 Chron. XXVIII. narrata, nostram meretur adtentionem, et in nonnullis partibus aliqua luce donanda est, cum idololatriae, tum adflictionis, respectu. Horrendam illam Phoeniciam, vel Baaliticam, invexit, sicut Achab in Israele fecerat, filios *transire faciendo*, seu consecrando Baali, per ignem, qua phrasi utitur lib. Reg., vel *comburendo* igni, uti lib. Chron. habet, verbo בער adhibito, licet Vet. versiones et ibi עבר legerint; quae verba per duarum litterarum transpositionem permutari possunt; obstinatum praeterea in quavis idololatria sese adeo praestitit, tantoque in eam ruit furore, ut per judicia Dei, prophetarumque monita, sese non tantum abstrahi non siverit, sed eo magis in ea confirmatus sit, Chron. l. c. v. 22. adeo ut Syro-Damascenorum religionem adoptaverit, quia eorum idolis adscripsit calamitatem a Syris sibi illatam: 2 Chron. XXVIII: 23. Templum Jehovae instrumentis religionis orbavit, et altare, ad formam Damasceni, construi fecit per ipsum Pontificem Israelitarum, ipso non meliorem: sed hoc, regno Damasceno jam destructo, demum fecit, ut ex lib. Reg. patet; illud vero, seu prius, antea; cum a Damascenis esset adflictus, quo tempore ipsi fuit angustum, ut in lib. Chron. v. 22. diserte traditur.

§. CLXXXIX.

§. CLXXXIX. Adflictum vero fuit regnum 1. a Syris et Iſraelitis, unitis conſiliis, ſed variis vicibus, in illud irruentibus, primum ſingulis ſeorſim, dein unitis viribus, ut regnum Judae, occupata Hieroſolyma, delerent penitus. Duae enim fuerunt regum, Retzinis Syriae, et Pekachi Iſraelis, expeditiones, diverſo tempore factae, ut recte jam advertit Vitringa ad Jeſ. VII. ſed, quod obſervo, prior ſeparatim a ſingulis regibus. Priorem deſcripſit lib. Chron., poſteriorem lib. Reg. et Jeſ. VII. ſed verbo tantum. Eſſe autem eas diſtinguendas, et lib. Chron. priorem, vel illud demonſtrat, quod, niſi copiae Achazi antea fuiſſent profligatae, ut in lib. Chron. narratur, nec Achaz tanto correptus fuiſſet terrore, ut Jeſ. VII. habetur, nec reges de Hieroſolyma recta petenda, et facile occupanda, ut ib. et in lib. Reg. traditur, conſilia inire potuiſſent. Sed, ut dixi, priorem invaſionem ſeorſim fecerunt; ut ex Chron. l. c. v. 5 et 6. mihi manifeſtum videtur. Diſtincte enim refertur, Jehovam Judaeos in manum regis Syrorum tradidiſſe, a quo clade adfecti et Damaſcum abducti ſunt, dein etiam in manum regis Iſraelis, qui eos majore adhuc clade percuſſit, et ingentem numerum foeminarum, cum filiis et filiabus, Samariam tranſportavit: quibus tamen, ad monitum prophetae alicujus, per nonnullos Principes Iſraelis, mox licentia patriam repetendi data eſt. *Poſterior* expeditio, priorem mox ſecuta fuit, et unitis jam copiis inſtituta, eo ſcopo, ut Hieroſolymam in poteſtatem redigerent, regnum Judae exſtinguerent, et regem peregrinum, filium *Thabelis*, ibi conſtituerent: uti lib. Reg. et Jeſ. VII. docetur. Quae expeditio priorem brevi poſt excepit, cum utraque in principio regni Achazi, vel anno 2*do* ejus, contigerit; adligatur utique in lib. Reg. primordiis ejus, et Pekach mox poſt *tertium* Achazi deſiit regnare, ut mox ex *Hoſea*, ſucceſſore ejus, patebit.

§. CXC. Sed 2. acceſſerunt mox novi hoſtes, a regibus illis excitati, et in ſocietatem adſumti, ut probabile eſt,

[illegible] et Edomaeos. Eorum enim invasiones loco Chron. [illegible] memoratae, et adventui regis Assyriae [illegible] Achazi praemissae sunt, imo haud obscure in-[illegible] occurrunt, quae Achazum ad regem Assyriae [illegible] moverunt: cum ad incitas esset redactus, et [illegible] coarctaretur, sicut l. c. v. 30. diserte traditur; ubi habetur, regem Assyriae venisse ad eum, *cum arctum et angustum ei erat;* non utique per regem Assyriae, quod nec ei loco, nec lib. Reg. convenit, sed per Syros, Israelitas, Philistaeos et Idumaeos, modo memoratos. Robur opinioni, de Idumaeis in societatem adoptatis a rege Syriae, addit, quod is Elatam, ad mare Rubrum, Judaeis ereptam, reddiderit Idumaeis, hoc ipso tempore: uti traditur, 2 Reg. XVI: 6. *tempore isto restituit Retsen rex Aramaeorum Elatam Edomo, extraxitque Judaeos Elata, ac Idumaei venerunt Elatam, ibique ad hoc usque tempus habitarunt.* Cui concinit, quod 2 Chron. XXVIII: 17. habetur, *adhuc etiam Idumaei venerunt, et percusserunt Judaeos, et abduxerunt captivitatem:* non quod in ipsam Judaeam, sed possessiones ejus irruperint, easque, Judaeis ejectis, seu *extractis*, sibi vindicaverint. Legitur quidem in textu Masoreth. ארם, et ארמים *Aram* et *Aramaei;* sed dubium mihi non est, quin אדם et אדומים *Edom* et *Edomaei*, sit vera lectio, cum quod forma [illegible] אדומים eo ducat, Aramaei enim ארמים, et non ארומים *Aramaei* et *Aromaei* adpellantur, tum verbum *restituere* [illegible] postulet: Edomaei enim, et non Aramaei, eam [illegible] in sua ditione antea habuerant, quam a tempore [illegible] perdiderunt, sed deinceps recuperarunt, donec [illegible] eam rursus reddiderit Judaeis, 2 Reg. XIV: 22. [illegible] Aramaei ab historico dici nequeant, ibi *ad [illegible] tempus* habitasse; erat enim locus ab iis remotior, [illegible] mox, regno destructo, in alias regiones in ex-[illegible] sunt. Accedit, marginalem cod. Hebr. [illegible] habere *Edomaeos.* Sed quid tum fiet ini-[illegible] *Retsin Aramaeorum rex restituit Edomo* etc.? si

Retsin

Retsin ex praecedent. non irrepsit, aut ejus nominis non quoque fuerit rex Edomi, nihil mihi rectius suppetit, quam copiis Syrorum, quibuscum, ut dixi, societatem inierant, Idumaeos Elatam sibi vindicasse; vel Retzinem id suis copiis, vi pacti eo missis, fecisse.

§. CXCI. 3. Denique ipsi Assyrii; quos temere, et spreto Jehova, contra prophetae consilium et monitum, Jes. VII. in auxilium vocavit, licet ipsum ab hostibus illis liberarint, quo spectat, quod 2 Reg. XVI: 9. rex Assyriae Achazum *audivisse* dicatur, et *ad ipsum tempore angustiae venisse*, 2 Chron. XXVIII: 20. tantum abest, ut felicitatem et securitatem adtulerint, ut et spoliarint regnum, et occasionem repererint illud postea invadendi; sicut sub Senacheribo fecerunt, de quo suo loco. Utique Achaz thesauros Templi, regiae, et domuum Principum, pendere debuit regi Assyriae, et regnum quasi tributarium facere: Chron. l. c. v. 21. *quia derasit*, vel spoliavit, *Achaz domum Jehovae* etc. ubi, ut illud in transitu observem, verbum חלק vel primigeniam *radendi* potestatem exserit in malum, vel, cum id exemplo careat, non cum לקח *sumsit*, cum LXX et Piscatore, quod huc non quadrat, obstante constructione, et quia non additur *quid* abstulerit, ut in loco parallelo, sed cum חלץ, levissima mutatione, commutaverim. Usurpatur enim, ansa ab *extrahendo*, quae ejus est proprietas, arrepta, non tantum in bonum, pro *eruere* e periculo, sed et in malum, pro *exuere* nudum, omnique veste, ac ornamento, excutere. Ex quo lucem accipit, quod ad ipsum venisse legatur, dum ipsi angustum erat, sed non *firmasse*, ibid. v. 20. vel, ut v. 22. habetur, *non* לעזרה לו *in auxilium* ejus, vel status copiosam felicitatem, (radix enim proprie denotat, *copiose fluxit*, abundavit, inde *juvit*, et omni donavit copia) scilicet quoad eventum, Achazo ejusque regno non salutarem, potius exitiosum.

§. CXCII. Redit autor lib. Reg. ad regnum Israelis, et historiam Hoseae, ultimi regis, regnique destructionis per

subjecta. 2. *Cutha*, quae et Cuschaea ac Cussia censetur adpellata, sicut populi ejus Cussaei, ad ortum Tigridis in vicinia Susianae, Vid. Cellarius Geogr. Ant. et Collect. Samar. c. I. Qui postea omnibus Samaritanis, ut putatur, nomen dederunt, quia praecipui fuerunt, et Samariam incoluerunt. 3. Havva עוא, quae et עוה Hivva videtur dicta c. XIX: 13. sed incertum ubi sita. Forte, ne alias opiniones memorem, iidem qui חוי εὐαῖοι, Chivvaei, quo nomine etiam העוים Deut. II: 23. et Jos. XIII: 3. veniunt apud LXX. Chivvaei vero habitarunt prope Chermonem, ad partes Cananaeae borealis et Libanum. Litterae enim ח et ע sunt permutabiles, et situs recte convenit cum *Chamat*, cujus mox fit mentio. Quam sententiam nostram variis confirmavit rationibus C. Iken Diss. XI. 4. Chamat; quae celeberrima fuit urbs Syriae, ab Abulfeda memorata. De qua Vid. Gagnier ad eum in *vita* Muhamm. et Schultens Ind. Geogr. ad Saladin. Sed fueritne Antiochia, Epiphania, Emesa, Heliopolis, de quibus Docti cogitant, an alia quaedam in finibus Cananaeae borealibus, mihi non liquet. 5. Sequuntur Sepharvajim; quos passim in Mesopotamia collocant ad Euphratem, ubi scinditur, parte in austrum versus, parte in ortum, ubi Tigridi miscetur, et Ptolemaeus ac alii Sippharam ponunt, quod Cl. Vitringa ad Jes. XXXVI: 19 refutat, et urbem Phoeniciae intelligit.

§. CICV. Majore adhuc laborat difficultate recensio idolorum, quae novi coloni religiose coluerunt, v. 30, 31. quae obiter percurram. 1. סכות בנות *Succot benot* vix dubium videtur, quin *tuguriola*, vel tentoria *filiarum* fuerint, seu sacraria Veneris Milittae, in quibus filiae, vel puellae, Veneri sacrae, sese advenis prostituebant. Vid. praeter Selden. de Diis Syr. Rivinus de Majumis c. 7. in Diss. rarior. Graevii. Fuit utique Babyloniorum satis nota consuetudo idololatrica. 2. Deus Cuthaeorum נרגל *Nergal* videtur *sol*, vel *ignis*, esse. Denotat enim nomen, ut videtur ex נר et גל a גלל, *lucis scaturiginem*, aut lucis, ignisve *globum*.

3. Chama-

3. Chamatensium אשימא *Aschima* fueritne *leo*, quod Hillerus ex lingua Arab. observavit, solis symbolum apud Persas et orient. de quo vid. Simon in Onom.; an *Esmunium* AEgyptiorum, cum coloniis AEgypt. Chemmitidis illuc translatum, quod erudite disputat Cl. Barkei in nov. Bibl. Brem. cl. I. vel aliud, non definiverim. Posset forte, aliis substitutis punctis, sumi, pro *igne diei*, ex אש et יומא, seu *sole*. 4. Arvaeorum idola adpellantur נבחז Nibchaz, vel נבחן Nibchan et תרתק Tarchak. Prius *canem* fortiter *latrantem* significare; et hoc fuisse eorum Idolum, quae Judaeorum constans est traditio, probabile fecit C. Iken Diss. XI. voce derivata a נבח *latrare*. Posterius quid fuerit, incertius adhuc est. Solem indicari, a continuo *reditu*, seu ortu et occasu, sic dictum a rad. Chald. *circuire* conjicit Simon in Onom. 5. Denique Sepharvajimorum numina erant אדרמלך *rex magnificus*, et ענמלך Anamelech, rex opulentus, ac divite vena aliis succurrens, a עין proprie *fluxit*, *effluxit*: *solis* satis apta epitheta.

§. CICVI. Novos hosce colonos, cum ad regem Assyriae delatum et ipsi persuasum esset, a leonibus propterea infestari, quod jus, vel statuta, Deorum terrae Israeliticae ignorarent, vel negligerent, convenienter opinioni Veterum de regionibus, propriis Diis tutelaribus subjectis, regis jussu ad eos sacerdos Israeliticus, exulem agens inter abductos, missus est, qui eos notitia institutorum Jehovae imbuit, eo cum effectu, ut ea adoptaverint quidem, sed sua idololatrica simul retinuerint, et cum divinis Mosaicis conjunxerint; saltem ad tempus: postea enim, ut suo loco videbimus, idololatriae renunciarunt. Longe pejores sese hac parte praestiterunt Israelitae exules, qui in idololatrico suo cultu obstinate perseverarunt: uti traditur v. 34—41. Hanc enim pericopam non ad novos colonos illos, sed Israelitas deportatos, pertinere, quod nonnullis jam suboluit, sequentes extra dubium mihi collocare videntur rationes. 1. Eos e terris suis in exilium esse deportatos, diserte

diserte traditur, v. 33. fin. quod Israelitarum est epitheton, uti v. 6 et 23. non novorum colonorum, de quibus aliud adhibetur verbum, v. 24. nec ipsis illud convenit. 2. Clare ab illis gentibus distinguuntur, v. 41. 3. Coloni Jehovam quoque coluisse dicuntur, v. 33, 41. sed hi contra *non timuisse*, verum pristinae idololatriae adfixi mansisse. 4. Denique foedus Sinaiticum cum illis dicitur pactum, et illi ex AEgypto educti etc. v. 15. et seq. Quod vero ad cohaerentiam vers. 33 et 34. quae interpretes, qui sermonem de colonis censent continuari, in errorem abduxit, adtinet, notari velim, Historicum filum narrationis v. 23. per insertam pericopam de novis colonis, parentheseos instar, abruptum v. 34. repetere, et statum Israelitarum exulum ad suum usque tempus describere, ansa satis commoda ex ultimis verbis v. 33. adrepta, *quae gentes eos* (Israelitas) *exinde deportarunt in exilium;* uti v. 23 dixerat. Cum novos colonos Jehovam timuisse, simul mores Gentium, quae Israelem abduxerant, retinuisse, retulerat, apte utique iis opponit ipsos eos Israelitas deportatos, eo scopo, ut, eos nihil mutatos, colonis illis esse deteriores, evinceret. Quo etiam facit, quod antiquum foedus Sinaiticum nunc cum exulibus fuisse renovatum referat, quo non obstante, Israelitae in corrupto suo statu manserunt in exilio. Foedus enim, v. 35 et 38 memoratum, antiquum quidem est foedus, olim cum Israele ad montem Sinai pactum, sed nunc denuo, quod obiter observo, cum exulibus renovatum, una cum promisso liberationis a dominio Gentium et exilio. Deus enim expresse traditur cum iis, qui deportati erant, foedus fecisse, v. 35, 38. quae etiam ratio est, quare v. 35. Jehova ipse introducitur loqui, et v. 36, 37 de ipso in tertia persona sermo fit. Ex quo simul elucescit ratio, quare Israelitae in exilio manserint, quia pactum illud renovatum recusarunt observare, ut v. 50. diserte traditur. Produxerat ipsa illa foederis obstinata et totalis violatio per idololatriam, cum Jeroboamicam, tum Achabicam, nullis mediis,

aut

aut monitis prophetarum, aut judiciis divinis, ſiſtendam, et, cum ea connexam, morum horrendam depravationem, tandem totale regni excidium, et populi exilium, uti v. 7—23. prolixe refertur; et per ipſam illam violationem continuatam duravit;

§. CXCVII. Regnum Judae, cujus hiſtoria, miſſo et relicto Iſraele in exilio, pertexenda reſtat, licet valde quoque eadem ratione, et cultus idololatrici, et morum pravorum, reſpectu, corruptum, etiam minus excuſabile, quod meliores habuiſſet reges, Aſam, Joſaphatum, et Uzziam, regni reformandi ſtudioſos, majora etiam media per ſedem religionis in medio ſui, et continuam prophetarum ſeriem, Iſraelis denique excidio de inſtante ſua ruïna et nunc admonitum, nec melius factum; ſicut pericopa parenthetica 2 Reg. XVII: 19. (eum enim ibi praeſert conſpectum, cum verſ. 21*mus* cum 18*vo* cohaereat) eo ſcopo inſerta, docet, Jeſ. I. et Jer. III. quoque ſuſius deductum eſt, regnum, inquam, illud adhuc ad breve tempus toleratum eſt a Deo, ſimul illuſtribus favoris Dei indiciis honoratum ſub Hizkia, antequam decretoria in illud pronunciata fuit ſententia, quod ſub ejus ſucceſſore Manaſſe factum eſt, ut, num ad meliorem frugem ſe redigi pateretur, exploraretur. Floruit utique hoc ipſo tempore, et multiplice benedictione gaviſum eſt ſub Hizkia, pietate et ſtudio regnum reformandi illuſtri, qui illud quoque a dominio Aſſyriorum liberavit, ac contra vicinos populos tuitus eſt, ſimul ditavit, et glorioſum reddidit. Quae notabilis eſt hiſtoria, prolixe narrata 2 Reg. XVIII—XX. 2 Chron. XXIX—XXXII. et Jeſ. XXXVI—XXXIX. Achazo, inpio et infelici regi, ſucceſſit filius ejus *Hizkia*, anno 3*tio* Hoſeae Iſraelis, et 29 regnavit annos. Statim ac ad regnum pervenit, totus incubuit verae religioni inſtaurandae ac exercendae, eliminatis omnibus idolis, eorumque inſtrumentis, et Templo ab iis purgato. Inter quae noſtram in ſpecie meretur adtentionem, quod ſerpentem aeneum, a Moſe in deſerto

erectum, et nunc a populo honeſtiore nomine, inſtar *ſervatoris* populi, religioſe cultum, confregerit, tanquam ſimpliciter *ſerpentem aeneum*, cui nihil praeclari, aut divini ineſt, Reg. XVIII: 4. Huc enim tendit, quod Hizkia in fin. verſ. expreſſe legatur, eum *adpellaſſe* נחשתן *aeneum ſerpentem*, quippe quo ſignificatur, verum et proprium nomen ei fuiſſe ab Hizkia redditum, ut eo ipſo declararet, praeter *aes* et *figuram* ſerpentis, nihil in eo eſſe. Vox ipſa compoſita eſt ex נחשת *aes*, et תן *ſerpens*, תן enim ac תנין de ſerpente recte capitur. Radices נתן, תנן et תנה eandem habent originalem poteſtatem *tendendi*, unde ad magnitudinem et *extenſionem* qualemcunque tranſierunt, et hinc derivatae voces תן et תנין, pro *dracone*, *crocodilo*, et *ſerpente*, in uſu ſunt. Praeterea religionis exercitium, ſecundum legem Moſis, omni parte inſtauravit, et exercuit, in ſpecie memoratur ſolennis *paſchatis* celebratio, fuſe in lib. Chron. deſcripta, ad quam ipſi Iſraelitae per legatos et litteras ſunt invitati, ut paſcha ab univerſo populo Iſraelis et Judae celebraretur, convenienter legi Moſis, quod antea non ita factum erat; quo ultimae voces tendunt 2 Chron. XXX: 5. *quia non ad multitudinem fecerant ſecundum ſcriptum* in lege Moſaica. Vox enim לרוב *ad multitudinem* de univerſo populo capienda eſt: ut ex praeced. patet; quem *univerſitatis* uſum etiam habet v. 22. et alibi, ut Job. IV: 14. et XXXIII: 19. Nec fruſtra vocati ſunt Iſraelitae, cum, licet multi ludibrio exceperint invitationem, haud exiguo numero e tribubus Aſcheris, Menaſſis, et Zebulonis, ſe ei obſequioſos praeſtiterint, et Hieroſolymam ad paſcha celebrandum venerint. Sed praeſtitit ſe Hizkia et in eo celeberrimum, quod ſincere et toto animo coram Deo in omnibus ambulaverit, uti, in agone mortis verſatus, coram Deo confeſſus eſt, 2 Reg. XX: 3. praeterea in Deo ſingulari modo, et in deſperato regni, ut videbatur, ſtatu, *fiduciam* collocaverit. Cujus reſpectu ab Hiſtorico praefertur omnibus regibus Judae, ante et poſt

ipſum.

ipsum, c. XVIII: 5. Quod elogium ut recte capiatur, vel pro hyperbolica, aut proverbiali, locutione habendum est, qua regis laudatissima qualitas in genere exprimitur, et extollitur, vel restringendum est, 1. respectu *anteriorum* regum ad eos, qui Davidem et Salomonem secuti sunt; quo etiam titulus *regum Judae*, expresse additus, tendit, quippe cui locus tantum fuit post regnum scissum, mortuo Salomone: 2. respectu *posteriorum* vero, ne Josiae fiat injuria, ad characteristicas aliquas regis et regni qualitates, quibus Hizkia, et Josia, excelluerunt, ex. gr. *ille* respectu *fiduciae* in Jehova, cujus propterea expressa facta est mentio, et mirabilium favoris Dei signorum, tanquam fiduciae effectuum, in Hierosolyma liberata, ac Assyriis prostratis, *hic*, seu Josia, ardentis studii respectu in regno reformando, quo ipsum Hizkiam superavit.

§. CXCVIII. Qua ratione regnum a servitute Assyriaca vindicaverit, et contra vicinos populos fuerit tutus, simul fortunatum reddiderit ac gloriosum, per singularem Dei providentiam, nunc enarrandum est. Cum Achaz sua temeritate ac diffidentia sese in tutelam regis Assyriae dedisset, et vi quoque coactus regnum ipsi fecisset tributarium, Hizkia in principio, metu Salmanassaris, regnum Israelis destruentis, ac ubique triumphantis, sese quietum tenuit, et obsequiosum, a quo etiam nihil damni propterea, per singularem Dei directionem, passus est; sed, eo mortuo, et Senacheribo ei suffecto in regno Assyriae, Hizkia sese ejus dominio coepit subtrahere, tributum inhibendo, eo scopo, ut regnum plenissimae adsereret libertati: quod ipsi melius, quam Hoseae, successit. Quo verba historici 2 Reg. XVIII: 7. tendunt, in summaria felicis regni Hizkiae descriptione (eum enim omnino conspectum fert pericopa ejus cap. v. 1—8.) *et fuit Jehova cum ipso* — — — *et rebellavit in regem Assyriae, nec serviit ei*, h. e. rebellavit felici cum successu, ab omni servitute ejus, per singularem Dei curam, ut deinceps fusius narratur, liberatus, opposite

ad Hoseae rebellionem, quae ipsi pessime cessit. Quae defectio si in origine et initio minus sit laudanda, et propterea nomine *rebellionis* insignita, licet de eo dubitari possit, cum Achaz vi vel metu in obnoxium illum statum sese temere praecipitaverit, in progressu tamen nihil habuit vitii, quia Assyrius pactis non stetit, sed regni quoque Judae molitus est destructionem. Cujus clarum in eo est indicium, quod Hizkiam, *munera* et *tributa*, ad regem placandum, et, ut a regno suo invadendo desisteret, movendum, offerentem, et dantem, non audiverit, verum in urbibus capiendis perseveraverit, simul per Rabsaken, se regum ejus velle destructum, clare declaraverit: 2 Reg. XVIII: 14. Quae pars historiae desideratur, in lib. Chron. et Jes. XXXVI. sed est valde utilis ad injustitiam progressus belli Assyriaci intelligendam, cum hinc clare elucescat, rationem, quae Assyrium cum aliqua specie justitiae inpulerat, ex rebellione Hizkiae ortam, cessasse.

§. CXCIX. Expeditio Senacheribi, ut eam summarie enarrem, hoc ordine processit. Hizkiam, qui, mortuo Salmanassare, rebellare fuerat visus, puniturus, ejusque regnum, una cum AEgypto, cui, sicut antea Hosea, ita et nunc Hizkia, uti putabat, teste oratione Rabsaces ad Hierosolymitanos 2 Reg. XVIII: 21. innitebatur, subacturus, ingente cum exercitu et adparatu bellico, eum per regiones Trans-jordanenses duxit, et Jordanem, celebri illo trajectu, trajecit, in ditione Ephraim, mox varia loca in tribu Benjaminis et Judae occupavit, a septentrione pergens ad occasum et austrum: quae loca cito transiit. Haec, quae dixi, deducta sunt ex notabili pericopa Jes. X: 28—32. ubi illa loca recensentur. Dein, parte exercitus in praecipuis urbibus occupatis relicta, recta videtur AEgyptum petiisse, cui tunc praeerat Sethos; sed haerens ad Pelusium, et de motu Tirhakae Cuschaei audiens, de quo postea suo loco agam, pedem retulit in Judaeam, ne quid a tergo relinqueret, aut munitis locis destitueretur, adeoque ab austro

tunc

tunc movit, et Lasischam in austro Judae, et longius Hierosolyma distantem, obsedit. Quando prima vice Rabsacen, cum ingente comitatu, misit Hierosolymam, ejus deditionem postulaturum. Interea Hizkia ad strenuam urbis defensionem omnia paraverat, fontibus extra eam obstructis, ne aquas invenirent hostes, et per canales aquis in urbem deductis, muros et turres quoque construendo, vel muniendo, 2 Chron. XXXII. simul cives ad fiduciam in Jehova collocandam hortando, ac erigendo. Sermone vero, Jehovae et Hizkiae valde injurioso ac insultatorio, a Rabsace habito ad Hierosolymitanos, quo vanam fiduciam in Jehova, et AEgyptiis, positam, viresque eorum fractas exprobravit, regisque Assyriae potentiam, ne a Diis quidem superandam, extulit, nihil aliud effectum est, quam ut Hizkiam ad preces compulerit, et majorem inspiraverit animi firmitatem, maxime postquam promisso divino de urbe non capienda per Jesaiam, ab ipso consultum, esset mactatus.

§. CC. Ad Senacheribi per Rabsacen sermonem, a Cl. Vitringa ad Jes. recte explicitum, unum alterumve tantum proferam observatum 1. vers. 20. 2 Reg. XVIII. ita verterim et intellexerim, *dixisti* et jactasti (scilicet *fiduciam* tuam, quam v. 19. requisiverat Rabsace) *certe*, vel solummodo, *verbum labiorum* (id quod profers et jactas, te fiduciam habere, inane dictum est,) *consilium et virtus in bello* (unice valet) 2. vers. 22. ubi, Jehovam esse cujus *aras* etc. Hizkias *loco movit*, ipsi exprobrat, non vult, ut accipi solet, Jehovam ab ipso cum falso Deo commutatum, sed ejus cultum adulteratum, altaria Achazi removendo. Quo etiam v. 25. respicit, ubi dicit *Jehovam* jussisse, ut contra Hizkiam moveat, scilicet ad illud ejus commissum puniendum, 3. vers. 31. *facere geniculationem*, seu adorationem, non est *pacem*, sed subjectionem, mihi facere.

§. CCI. Interea Senacherib Libnam, Hierosolymae propiorem, movit cum exercitu, ubi legatos reversos excepit. Hic cum de motu Tirhakae Cuschaei contra se certior

tior esset factus, altera vice per legatos tentavit Hierosolymitanos; sed irrito quoque effectu; eo magis, quod nova revelatione, Jesaiae facta, de instante clade, Assyrio infligenda divinitus, promissum accepisset Hizkia. Cujus implementum etiam mox secutum est. Ea ipsa enim nocte exercitus per Angelum Jehovae divinitus est apud Libnam prostratus, 185000 deletis. Sed quo modo illud factum sit historia silet. Vulgata habet opinio, *peste* fuisse absumtum exercitum, unice in Josephi autoritate fundata, adeoque non solido nixa fundamento. Per *tonitrua*, *fulmina* et grandes *lapides* id fuisse factum statuit Cl. Vitringa, ad Jes. XXX et XXXVII., fundans sese in locis Jes. XXIX: 6. XXX: 30. et XXXVII: 36. non male, cum similia non desint exempla, a Ruperto ad Flor. I: 6. jam prolata. Sed tempestatem venti illius urentis, ac suffocantis homines, in oriente satis noti, omnino addendam esse existimaverim; quippe ejusmodi effectui citissimo adcommodam valde et sufficientem, simul vocibus סער et סופה, quibus utitur Jes., unice congruam: denotant enim ventum rapacem, et urente aestu praeditum, quocum pestilentissimo vento in concordiam redigi potest traditio apud Joseph. de *peste*.

§. CCII. Hac ratione summis hisce angustiis gloriose ereptus, ann. regni 14*to*, qui, quod obiter notandum, fuit *ante Sabbaticus*, quo sponte nata carperent; et ann. 15*to*, qui fuit Sabbaticus, quo sponte renata sumerent, secundum praedictionem Jes., 2 Reg. XIX: 29. incidit Hizkias in morbum lethalem, in *ulcere* aestu cruciante situm, ut ex voce שחין Jes. XXXVIII. liquet: radix enim *calefaciendi*, et urendi, praefert potestatem apud Arab., mortemque inde secuturam, nisi Deus miraculose intercedat, audivit a Jesaia: id enim, et nihil aliud, verba ejus ad Hizkiam, *morieris*, *et non vives*, significant. Convaluit tamen miraculose ad lamenta et preces, a Deo exauditas, secundum Jesaiae adnunciationem, et 15 annorum vitam insuper impetravit.

travit. Quem casum, non durante, sed finita expeditione Senacheribi, contigisse, etsi dissentiant interpretes, et de eo disputari possit, sequentes mihi persuadent rationes: 1. Series narrationis, in primis 2 Chron. id exigit. 2. Promissum de liberatione urbis ab Assyrio accepit demum a Jesaia, proxime ante cladem Senacheribi, ut ex praecedd. liquet: quod si casus Hizkiae ante accidisset, promissum illud diu quoque ante fuisset adeptus. Promissum autem illud jam ante factum hic confirmatur, et in futurum extenditur. Denique 3. Hizkia, durante expeditione, in historia occurrit sanus et vegetus, nec in morbo ullum solicitudinis de urbe, tantum de vita sua, dedit indicium. Quod vero ad ann. 15 post morbum adtinet, ne quis hic haereat, quia anno 14to contigit expeditio, et Hizkia 29 annos tantum regnavit, observari velim, eam anno 14to et incepisse, et finitam esse; morbum vero mox incepisse, et annos 29 completos esse capiendos. Signum miraculosum ipsi a Jesaia oblatum, satis ab aliis illustratum, verbo tantum observo, non in solis, sed *umbrae* ejus declinatione, aut retrocessione, per reflexionem radiorum solis, vel athmosphaerae condensationem in aula; de quo proxime praeclare exposuit Vir Rev., et amicissimus Charle Chais in commentar. ad Biblia tom. VI. erudita dissertatione praemissa, esse quaerendum, quod in declinatione cum facilius, in retrocessione non nisi manifesto miraculo fieri possit, eam praetulit Hizkia.

§. CCIII. Hisce malis superatis, Philistaeis quoque domitis, quippe quos percussisse traditur 2 Reg. XVIII: 8. usque ad Gazam, ejusque territorium, non ante, sed post bellum Assyriacum: uti ex 2 Chron. XXXII. et aliunde liquet, de quo vid. Vitringa ad Jes. XIV: 30. loco Reg. non tantum non repugnante, quia gesta et facta Hizkiae per omne regni tempus ibi summatim narrantur, sed et insinuante liberationem ab Assyrio jam ante factam v. 7. Hizkia summa gavisus est tranquillitate, simul a remotioribus quoque populis est honoratus. 2 Chron. XXXII: 23. traditur, Jo-

hovam ipſum et Hieroſolymitanos liberaſſe a Senacheribo, et ab *omnibus* aliis (ſcilicet Philiſtaeis et vicinis hoſtibus) וינהלם, addit, ſcilicet Jehova, *undiquaque.* Quod quid ſibi velit, non adeo liquidum eſt: ſi ſana ſit lectio, ſenſus erit, Deum populum ſuum tanquam gregem, inſtar paſtoris, duxiſſe ad aquas, ac refrigeraſſe; quae originaria eſt verbi נהל poteſtas. Vid. Schultens Orig. l. I. c. 7. Sed rectius forte legitur, quae Cl. Conradi, olim diſcipuli, nunc a longo collegae honoratiſſimi et amici, eſt conjectura, וינח להם *et quietam ac amoenam* illis dedit *recubationem:* cui plane concinit LXX verſio, κατέπαυσεν αὐτοὺς, nec multum differt Chald. Addit mox autor Chron., Hizkiam factum eſſe glorioſum in oculis omnium populorum, ac muneribus et donis fuiſſe ab iis honoratum. In ſpecie memoratur legatio Babyloniorum ad Hizkiam, ut ei ſuper valetudine recepta gratularentur, uti in lib. Reg. et apud Jeſ. traditur, nec non in miraculum umbrae retrocedentis, tunc factum, inquirerent, uti lib. Chron. habetur: ſed per conjecturam probabilem, ex circumſtantiis temporis eductam, addere liceat, ut foedus amicitiae cum Hizkia pangeretur, cum hoc ipſo tempore ab Aſſyriis defecerint Babylonii: de quo poſtea. Videtur quoque illud ipſum inſinuari, ubi additur, locis Jeſ. et Reg., Hizkiam ſummopere ſuper hac legatione *laetatum* eſſe (legitur quidem in lib. Reg. וישמע *audivit*, ſed vix dubium eſt, quin legi debeat וישמח *laetatus eſt*, uti apud Jeſ. quod LXX confirmant, et ſtructurae ſermonis congruentius eſt) ſuamque potentiam, ac opes, nimium jactaſſe. Qua occaſione Jeſaia ſuperbam hanc oſtentationem, Babyloniis factam, ſimul animum regis ingratum ac elatum, 2 Chron. XXXII: 25. reprehendens, ipſi praedixit, quid ab ipſis exſpectandum habeant Judaei, et poſteri Hizkiae; omnes quippe theſauros illos eſſe a Babyloniis diripiendos, et ex poſteris Regis nonnullos fore *eunuchos* in palatio regis Babelis: quod tempore Jojakimi, ut poſtea videbimus, inpleri coepit. Eunuchiſmi filiorum regis

exemplum-

exemplum quoque proſtat Dan I. Conſolatus autem ſe eſt Hizkia, in voluntate Dei acquieſcens, quod tremendum illud judicium ipſe non experiretur, ſed in pace ac proſperitate vitam finiret: ſicut etiam contigit. Quantis vero divitiis, ac opibus abundaverit ejus regnum, 2 Chron. XXXII: 27. exponitur.

§. CCIV. Ad ſucceſſorem ejus antequam pergam, notari meretur, illuſtres Prophetas, quorum ſcripta ſuperſunt, ejus adhuc tempore ſuperfuiſſe, et populum ad reſipiſcentiam, ac legis obſervationem excitaſſe; quales fuerunt Jeſaias, Micha, Nahum et Joel. De Jeſaia et Micha, qui fuerunt aequales, ex ipſa inſcriptione librorum, qui nomina eorum praeferunt, ſatis conſtat, et de Micha quoque ex Jer. XXVI. Joelem mox poſt Iſraelitarum deportationem, et non ante, tempore Amoſi, quod alii volunt, concionatum fuiſſe ſub Hizkia, paulo poſt expeditionem Senacheribi, vel potius ipſo eo tempore, colligi poſſe videtur ex argumento libri ejus, quippe quod, ex mea opinione, eſt *partim* commemoratio praeſentis diriſſimae calamitatis, ab Aſſyriis, et Senacheribo, inflictae regno Judae, ſub Hizkia, *partim* denunciatio prophetica adflictionis Babylonicae, proxime inſtantis. Circa idem fere tempus floruiſſe Nahumum exiſtimaverim, ſive paulo ante, ſive mox poſt cladem, exercitui Senacheribi inflictam, dubium enim quodammodo eſt, num c. I. de iſto excidio loquatur, modo facto, an mox futuro. Alterutrum ſtatuendum eſſe ex c. I. mihi videtur certum.

§. CCV. Sed operae pretium fuerit, paulo adcuratiorem horum Prophetarum dediſſe notitiam, in primis Michae, Nahumi, et Joelis, de Jeſaia enim conſuli debet Cl. Vitringa in Prolegom. ad Jeſ., MICHA Hebr. מיכה, et Jer. XXVI: 18. inſerta י מיכיה, ſignificat, ſecundum Hieronymum in prooem. ad Mich., *humilitatem*, cui concinit Heſych. qui vertit, ταπείνωσις, aut ταπεινούμενος, a rad. מוך. unde ad formam בינה, גילה., recte formatur מיכה *Micha*.

Erit itaque, hac admissa etymologia, *depressio Jehovae*, uti 1 Chron. IV: 36. ישוחיה ejusdem significatus a ישח, ישחיה. Quod nomen ipsi censeri potest inditum, sive in signum miserae et adflictae conditionis, vel familiae, vel populi, sive in spem submissae indolis et vitae, quam et ipse inculcavit c. VI: 8. sive etiam in fidei confessionem de miseria hominis, ut in nomine אנוש *Henoschi* Gen. IV. Quam derivationem praetulerim etymologiae recentiorum interpretum, qua כ habetur pro nota similitudinis, ut sit מי כיהוה *quis sicut Jehova*, et respondeat nomini מיכאל *Michaelis*: quia est paulo remotior, nostra propior et facilior, praeterea nomina מיכיה et מעכה permiscentur, uxor enim Jeroboami, 2 Chron. XIII. מיכיהו dicta, alio loco c. XI: 22. מעכה *depressio*. Patriae respectu המרשתי *Morastaeus* denominatur Mich. I: 1. a natali solo, ut העזתי *Gazaeus* Jos. XIII: 3. צורי *Tyrius* 1 Reg. VII: 14., cujus urbis mentio occurrit Mich. I: 14. Collocat vero urbem hanc Eusebius in Onom. prope Eleutheropolin, nec non Hieronymus l. cit., dicens, *usque hodie juxta Eleutheropolin, urbem Palaestinae, haud grandis est viculus*. Cum autem Mich. I: 14. vocatur *Moreschet Gat*, videtur urbi Gath fuisse vicina, et olim Philistaeorum possessio, quo epitheto a *Mareschа* ibid. v. 15. distinguitur. Errat itaque Pseudo-Epiphanius in *vitis Prophetarum*, cum tradit, Micham fuisse *Ephratitam*, et Morath in tribu Ephraim collocat; cujus erroris ansam praebuisse videtur confusio nostri cum *Micha* 1 Reg. XXII. qui sub Achabo fuit, et ab autore citato, ac ab aliis, cum nostro male permiscetur, cum plusquam seculo inter se distent: accedit, nostrum prophetam Judaeos, ab Israele distinctos, adpellare *populum suum* c. I: 9. et alibi. Quo ipso, se ex Juda esse oriundum, haud obscure indicat.

§. CCVI. De *tempore*, quo floruit, et conciones habuit, ex Jer. XXVI: 18. ubi sub Hizkia prophetasse dicitur, et ex titulo libri, qui eum adligat temporibus *Jothami*, *Achasi* et *Hizkiae*, satis constat. Fuit itaque Jesaiae aequalis in

regno

regno Judae, niſi quod forte Jeſaias citius inceperit, ſub Uzziae finem ſcilicet, et Micha diutius vixerit, illud pluſ quam probabile eſt, nonnullas Jeſaiae conciones innotuiſſe Michae, cum inter duos illos ſit notabilis convenientia, etiam uſque ad verba et phraſes. De quorum temporum qualitatibus, cum ſupra in Hoſea et Amoſo dixerim, et de Micha plura non conſtent, verbo addidiſſe ſuffecerit, ipſum et ſuo tempore pro propheta fuiſſe habitum, ut ex Jer. XXVI. patet, et poſtea ſemper inter Judaeos agnitum, etiam tempore Chriſti, Matt. II. et Joh. VII: 42. Tenuit etiam ſemper locum in canone Prophetarum, licet de ordine, quem in eo habet, inter Hebr. et Graecos non conveniat. Hieronymus in prooemio ad Mich. obſervat, eum ſecundum LXX Interpretes eſſe in ordine duodecim prophetarum *tertium*, et in cod. Alex. hoc occurrunt ordine, Hoſeas, Amos, Michas, qui chronologiae eorum rectius reſpondet, quam in codice Hebr. Maſoreth. Jonas enim illis eſt antiquior, ut ſupra habuimus, Joel autem et Obadias ſunt recentiores, de quibus mox; hi autem tres ſunt ejuſdem vel vicinae aetatis, et Micha reliquis duobus ſuperviXiſſe videtur.

§. CCVII. *Argumentum* concionum ejus eſt mixti generis, ſeu elenctico-paracleticum; modo enim vitia reprehenduntur graſſantia, et judicia Dei, uſque ad plenariam reip. deſtructionem, denunciantur, modo praeclara promittuntur, in populum reſipiſcentem conferenda, bona, qua terreſtria et corporalia, qua ſpiritualia; quorum priora Reip., per Aſſyrios et Babylonios deſtructae, inſtaurationem in terra Cananaea, et ſummam ſub Maccabaeis proſperitatem, complectuntur, ut cap. II. in fin., c. IV. a medio ad fin. cap. V. a verſ. 5.; poſteriora, Meſſiae ortum ex Bethlehem c. V. Eccleſiae Chriſtianae erectionem, et Gentium ad eam confluxum c. IV: 1—5. nec non bona ejus ſpiritualia, tanquam corporalium complementum cap. VII: 14. et ſeq. *Elenctica* vero parte crimina populi Dei, hujus et ſequen-

tis temporis, uti injustitiae, avaritiae, et oppressionum, cum securitate carnali, partim in pseudo-prophetarum promissis, partim in Dei inhabitatione in medio populi posita, conjuncta, omnium exponuntur oculis, et perstringuntur, nullo hominum ordine, Procerum, Sacerdotum, et Prophetarum, praetermisso, uti cap. II, III, VI, VII. simul gravissima quaevis Dei judicia, in totalem reip. destructionem exitura, ubique prophetice denunciantur. Hae autem duae partes, reprehensoria et consolatoria, passim sibi inmiscentur, ita ut posterior priori subjungatur, et concio elenctica in paracletica ut plurimum terminetur, ut cap. II, IV, V, VII. Quem ordinem prophetae passim tenuerunt, in primis Jesaias, quem Micha imitari solet.

§. CCVIII. Sunt vero, ex mea sententia, tres conciones, secundum quas libri analysis est instituenda. *Prima* cap. I et II. continetur, cum, quod duo illa capita, sine ullo novo concionis indicio, decurrant, caput vero III*tium* novae praeferat notam, ut mox patebit, tum, quod promissio, qua conciones elencticae solent finiri, in fin. cap. II. occurrat. *Secunda* concio inde usque ad capitis V. finem sese porrigit, cum uno filo, et uno quasi spiritu, omnia effundantur, sine interruptione, et novae concionis indicio, quod cap. VI: 1. in formula, *audite quaeso vos. illi, qui non audiverunt*, (hae enim voces, prava capitum divisione sejunctae, conjungendae sunt.) Ceterum in hac concione notandae sunt ἐπαναλήψεις *resumtiones*, vel ἀνακεφαλαιώσεις *recapitulationes*, quibus, saltu retrogado, filum resumitur, et nova fata, Messiam antecedentia, aut eadem novis phrasibus, ob oculos ponuntur, qualis prior resumtio est, a vers. 6. cap. IV. usque ad vers. 4*tum* cap. V., unde altera incipit, usque ad finem cap. V. *Tertia* habetur cap. VI et VII. ut eaedem notae, et hic observatae, indicant.

§. CCIX. *Stilus* est non vulgaris et humilis, sed viri *virtute et spiritu pleni*, ut de se tradit c. III: 8. qui quod, in ecstasin quasi raptus, a Deo acceperat, copiose, eleganter

et

gnifice exprimit, et quasi effundit. Verbum enim
ae ad ipsum factum legitur *vidisse* c. I: 1. absque ut
ipsi contigerit visio: adeo ut de *verbali*, ut adpella-
api debeat, qua facultas cum ipso communicata est,
ionem Dei fortissime, et rebus convenienter, expri-
.. Oratio ipsius est copiosa, verbis et sententiis va-
sed novas semper ideas suggerentibus, eandem rem
ribus, plena, quae passim crescit, et altius surgit.
aeterea, ut plurimum, figuratis, multis metaphoris,
ntibus et efficacibus, tanquam luminibus, interstinc-
.specie delectatur paronomasiis, quibus ad urbium,
que rerum nomina alluditur, ut c. I et II. Variae
e sese offerunt figurae, ut apostrophe, interrogatio,
atio, lamentatio, et quae aliae adfectus exprimunt,
itant. Dictione denique utitur emphatica, magni-
t sublimi, ita ut divine magis quam humane loqui
ur. Verbo, nullus est, qui ad Jesaianam grandilo-
am propius accedit. Exempla cuique, paulo periti-
ponte in lectione sub manus venient.

CX. JOEL יואל vel a duobus nominibus Dei, אל et
it in אליאל, אליהו et aliis; vel a tert. fut. Hiph.
יאל, quae actionem cum acquiescentia comprehen-
complacentia, sic adpellatus ex voto Parentum, fi-
ut Pethuelis, viri ignoti, sed hic memorati, ut ab
jusdem nominis, qualis fuit primogenitus Samuelis
VIII: 1., distingueretur noster Joel. Plura de ip-
constant. Fuisse autem pro vero habitum prophe-
testimonio Ecclesiae Judaicae non tantum, sed et
ianae, controversia caret. Vid. Act. II: 16.—Rom.
De *tempore*, quo concionatus est, non idem sen-
Interpretes, conjecturis, etiam a verisimili saepe alie-
assim ducti: quibus non licet inmorari. Ex mea opi-
quam Huetium demonstr. Euang. p. 485. etiam te-
vidi, licet non satis adstruxerit, edita est prophetia
sraelis destructionem et deportationem, et in specie

 paulo

expeditionem Senacheribi, vel eo tempore po-
li..., adeo ut Hoseae, Amoso, Michae et Je-
aequalis, nec tamen eorum primus, potius
Quod forte in oculis habuerunt LXX Inter-
Joelem post Hoseam, Amosum et Micham, col-
Argumenta, quibus haec hypothesis est super-
argumento libri educta, cum alia desint tempo-
sunt sequentia. Praeterquam quod Ephraimita-
iat in hoc libro mentio, nulla habeatur ratio,
ius quoque ursit, argumento, eos jam fuisse ex-
a. calamitas Assyriaca, quae illos destruxit, to-
vastavit, et Hierosolymam in extremas conjecit
anquam praesens, vivis depingitur coloribus cap.
i publica reprehenditur idololatria, quae sub
ffata est, per Hizkiam exstirpata, et sub Ma-
ata. y. Imo cultus ritualis, secundum legem,
florebat in regno Judae. Populus enim et Sa-
jejunia et luctum excitantur in Templo cap. I:
-. et praecipua luctus materia in penuria, et
ificiorum ac fertorum ponitur c. I: 9, 13, 16.
viguisse cultum religionis in Templo, sed de-
rtam oblationum.

Objectum concionum est sola tribus Juda, nulla
decem tribuum, facta mentione: ut ex ipso li-
cet. Frequens enim fit mentio Tsionis, Tem-
otum, et cultus ritualis in Templo exercendi.
est partim elencticum, partim consolatorium.
t Propheta *primo* socordiam, et obdurationem
iam acerbas calamitates, quibus ab aliquo tempo-
erat, et adhuc adfligebatur, nondum excitati,
..... et poenitentiam serio adhortatur, cum,
..., et adhuc durantia, mala, a Deo inflicta, tum,
... denunciationem, quae, nisi interveniat resi-
... certius experiretur per Babylonios. Dein
...entem consolatur contra Babylonios, et no-
vos

vos hostes Syro-Macedones, quos a Deo esse delendos promittit, simul summa bona, corporalia et spiritualia, in populum esse conferenda, usque ad finem Reip., per Romanos destruendae, praenunciat, cap. II: 15. et III. Quando tandem in specie omnium hostium excidium, indeque felicia tempora oritura, ex professo depingit cap. IV. Dividi vero recte potest liber in duas conciones. *Prior*, cap. I, II et III. praecipua reip. Judaicae fata, a suo tempore ad finem Oeconomiae Veteris usque, eleganter pertexit. *Posterior*, cap. IV. hostium destructionem speciali vaticinio ob oculos ponit. Tria prima capita manifeste cohaerent, et cap. II. metaphorica oratio locustarum continuatur, ac cap. III. per voces, *et erit post haec*, connectitur cum superioribus. *Quartum* caput videtur seorsim stare, et novum continet argumentum, incipit vero vel per voculam conjunctivam כי, quae, ut Gr. ὅτι, saepe orationem incipit, vel a vers. 5. cap. III.; quo admisso, vocula כי *quia* solitum significatum retinere potest. Quod denique ad *stilum* adtinet, habet quidem cum sublimioribus prophetis commune, quod grandisonus sit et vehemens, orationemque, perpetuis figuris, ut luminibus, interstinctam, fundat, sed, praeterquam quod emblemata sint aptissima, et intellectu facilia, sermo est passim facilior et plenior, quam Hoseae et aliorum, minus intercisus, abruptus et ellipticus.

§. CCXII. Dictis de Joele, ejusque libro, licet contentus esse possim, cum tamen quaestio, sintne locustae proprie an figurate intelligendae, et, si figurate, quinam hostes in censum veniant, primae concionis c. I—III. clavem non tantum praebeat, sed et ad fata regni Judaici multum faciat, ab instituto non videtur abhorrere, ejus breviter dedisse solutionem. Licet maxima Interpretum pars a litterali sensu stet, quem prae reliquis Bochartus Hieroz. p. II. l. IV. defendit, et illustravit, pauci c. I. tantum, et c. II. mysticum obtinere velint, cum his facio, qui utrobique per locustas intelligunt, sensu figurato, hostes, eorumque hosti-

 les

les incursiones, ita tamen, quod addo, ut aliae famis
sterilitatis causae non sint excludendae, sicut ex. gr. sic
tas, quae aquae penuriam etiam adfert, cap. I: 20. sol
enim judicia famis, pestis, et gladii saepe pari passu amb
re, teste verbo Prophetico et historia. Locustas autem e
hostes, et vastitatem terrae eorum adscribendam esse inc
sionibus, sequentes mihi probabile faciunt rationes. 1. Va
tas per locustas, proprie dictas, adlata, nimis foret singu
ris, insolita, plane stupenda, quam ut silentio potuis
involvi in libris Reg. et Chron., ubi non quaevis quid
adnotantur judicia, sed tam tremendum, et inauditum,
praetermitti poterat. Meminit quidem Amos cap. IV:
sterilitatis et *locustarum*, sed in genere, et sine ullo tan
vastitatis, qualis hic depingitur, indicio. 2. Nomina g
tis, *gentium*, in specie *Aquilonaris*, quae locustis dantur,
I: 6. II: 17, 20. ad figuratum nos manifeste ducunt int
lectum. Cum c. I: 4. dictum esset, *locustas absumsisse ag*
mox vers. 6. subjungitur *quia* גוי *gens adscendit* etc. h
utique scopo, ut hostium, per eas expictorum, injicere
cogitatio, et non proprie dictas locustas; sed hostes, int
ligi indicaretur, sic et c. II: 17. dominium locustarum a
pellatur dominium *gentium*, quod vix in locustas quadra
in primis, quia mox additur, *ne dicant inter populos*, i
est Deus ipsorum? Accedit, ibid. v. 20. *aquilonaris* titulu
ipsis dari, qui hostium Judae usitatus est titulus, nec co
venit locustis, quae non ex septentrione, sed austro ve
re solent. Vix videtur dubitandum, quin studio sit h
epitheton electum, ut de illo cogitaretur terribili host
qui ab *Aquilone ingrueret;* secundum Prophetarum stilum
ab aquilone enim *omne malum* etc. 3. Locustarum quoq
descriptio est prorsus figurata, et hieroglyphica, quae host
lium exercituum cogitationem sponte suscitat. Prophe
enim locustas eo depingit modo, ut, se non insecta anim
lia, sed exercitus bellicosos in oculis habere, patefaci
Est enim tota virorum et exercituum militarium, et qu

de

dem terribilium, deſcriptio. Nec locuſtae tam cum hominibus comparantur, acſi diverſae eſſent naturae, ſed ut exercitus hoſtiles depinguntur: nec ratio patet, quare locuſtis, equorum, equitum, curruum, virorum bellicoſorum, heroum etc. aptaverit imaginem, niſi ut, ſub ea pictura, exercitus hoſtiles repraeſentaret: ſicut et Apoc. IX. emblematica occurrit ſimilis deſcriptio, licet alio modo; ſed pro hoſtili invaſione numeroſiſſimorum exercituum uſitatum ſatis eſt emblema. Vid. Amos VII: 1. Denique 4. promiſſa, quae omnium rerum abundantiam et proſperitatem continent, poſt locuſtarum plagam, et ad illam vaſtitatem compenſandam, implenda, non niſi in tempora poſt exilium Babylonicum conveniunt, ut adtendenti facile patebit. Vaſtitas itaque, per locuſtas inducenda, alia eſſe nequit ac hoſtilis et Babylonica.

§. CCXIII. Admiſſa hac hypotheſi, quaeſtio ſupereſt, num iidem hoſtes utroque in cap. intelligantur, an diverſi, et quinam? Equidem, ut aliorum opiniones ſuo nunc relinquam loco, vix dubitaverim, quin diverſae, et diverſorum hoſtium, expeditiones in Judaeos, cap. I et II. depingantur. Vaſtatio enim 1. cap. I. tanquam praeſens deſcribitur, et *a die Domini inſtante*, qui univerſalem produceret vaſtitatem, diſerte diſtinguitur c. I: 15, 16. et II: 1. Calamitas quoque 2. tanquam terribilior cap. II. repraeſentatur, cujus praenuncia foret ea cap. I. Locuſtae c. I. terram tantum depopulatae ſunt, et agros ac arbores; ſed cap. II. urbem Hieroſolymam intrarent, omniaque diriperent, ac vaſtarent: c. II: 9. Nec difficile fuerit, diverſas illas expeditiones monſtraſſe. Aſſyriacam itaque intellexerim cap. I. Babylonicam c. II: 1—12. Syro-Macedonicam verſ. 16. et ſeq. Cum hoſtilis ſit expeditio cap. I. quae terribilem illam c. II. proxime praeceſſit, alia eſſe nequit ac Aſſyriaca: eſt enim, quae Judam quoque feriit in ſpecie, et totius terrae multiplicem adtulit calamitatem, ſalva Hieroſolyma etc, vid. v. 14. Quae hypotheſis egregie firmatur

ex concione Jes. I. ejusdem temporis et argumenti, inter quam et hanc Joel. II. satis exacta est convenientia. Sic et Jes. XXXII: 10. de eadem expeditione Assyriaca agitur, eique mox v. 11.— subjungitur Babylonica, ut hic apud Joel. cap. II. nec non Jes. VII: 17.— VIII: 7, 8: in primis cap. XXII: 6. quo cap. utraque clades, ut hic, conjungitur, sed inverso ordine: praemittitur enim Babylonica ad v. 5tum usque, et subjungitur Assyriaca, tanquam ejus praenuncia. Deinde calamitas Babylonica locum tenet, cap. II: 1—12. cujus haud obscurum sese in eo offert indicium, quod *summi judicii dies* eximie adpelletur v. 2, 11. totalis etiam vastatio significetur v. 3. nec non occupatio, ac vastatio Hierosolymae, v. 9. Quod denique novam, et quidem Syro-Macedonicam, calamitatem in scenam produci, c. II: 15.— existimem, his innitur rationibus. 1. Distinguitur haec pericopa a superioribus, per conversionem populi intermediam, qua superiora mala sunt aliquatenus emendata, v. 13, 14. 2. Populus non dicitur in potestatem gentium, quae dominari inceperunt, traditus, v. 17, 18. quod in Syro-Macedon. recte, sed non in Chaldaeos quadrat. 3. Liberatio Judaeorum ex potestate hostium ejusmodi phrasibus v. 20. depingitur, quae Antiocho Epiphani et Syro-Macedonibus rectius quam Chaldaeis respondent. Innuitur enim, populum non esse ex exilio reductum, sed hostem esse e terra ejectum. Denique 4. bona, post eam adflictionem concedenda, nos ad Maccabaica tempora omnino ducunt.

§. CCXIV. Secundum haec cogitata elegans sese hic offert, ut illud obiter observem, fatorum populi Judaei series, usque ad ultimum reip. Judaicae finem. 1. Judicium Dei per Assyrios, sed cui Judaei, sese coram Deo humiliantes, tempore Hizkiae erepti sunt cap. I. 2. Babylonicum excidium cap. II: 1—11. 3. conversio populi ad Deum et liberatio, v. 12—14. 4. Adflictio Epiphanica, v. 15—17. 5. liberatio per Maccabaeos v. 18—20. 6. felicitas, v. 21—27.

v. 21—27. 7. Novae Oeconomiae introductio cap. III: 1, 2. 8. Ultima ac finalis Oeconomiae Vet. destructio, vers. 3.

§. CCXV. NAHUM, נחום h. e. *consolatione praeditus*, hoc nomen accepisse videtur a parentibus, quod eorum esset consolatio, sicut liberi solent solatio esse parentibus: addere num liceat nescio, Parentes spem hoc nomine testificari voluisse, fore ut in adflictis temporibus solatium aliquod hic filius adferret populo; sicut, ad munus propheticum vocatus, vere praestitit. Adpellatur quidem a natali solo אלקשי *Elcesites*, sed, ubi iste locus fuerit, non constat: tantum testatur Hieronymus, ad hunc Prophet., *parvum Galilaeae viculum, et vix veterum aedificiorum ruderibus agnoscendum, sua aetate exstitisse, Judaeis notum, sibique ab itineris duce monstratum.* De *tempore* quo floruit, seu concionem, libro ejus comprehensam, habuit, nihil aliud constat, ac quod ex argumento ejus colligitur. Hebraei, ordinem librorum in canone Hebraeo secuti, eum ad Manassis tempora referunt, sed Christiani passim ad Hizkiae. Probabile mihi fit, cum Hieronymo, eum tempore intermedio, inter deportatas decem tribus per Salmanassarem, et expeditionem Senacheribi contra Judaeos, prophetam egisse, et hanc concionem promulgasse, sive paulo ante, sive mox post, exercitus Assyriaci destructionem, divinitus factam. Dubium enim aliquatenus est, num de illa clade jam modo facta, an mox futura, loquatur c. I: 8.— Alterutrum enim statuendum esse, ex illa pericopa manifestum est. Patet utique inde, terram decem tribuum jam fuisse desolatam, Judam superesse solum, simul in summis versari angustiis, interea brevi esse ab Assyrio liberandum, cujus certum foret signum in terribili clade, exercitui Assyrio mox infligenda, vel tantum quod inflicta.

§. CCXVI. *Argumentum* libri est prophetia de Ninive, tanquam metropoli regni Assyriaci, totali excidio, una cum ipsius populi deportatione, cujus signum praenuncium

 foret

foret miraculoſa exercitus Aſſyriaci deſtructio. Propheta, poſtquam de ira Dei in impios, et favore erga pios ejus cultores, in genere eſſet emphatice et magnifice locutus, de exercitus hoſtilis excidio, tanquam totius regni Aſſyriaci delendi praenuncio, egiſſet, ſeſe totus ad eam regni deſtructionem vivis coloribus depingendam vertit, cap. II. ejuſque neceſſitatem et facilitatem demonſtrat, cap. III. illam a criminibus Ninivitarum repetens, et hanc exemplo No-Ammon, aliiſque rationibus, ut civium trepidatione etc. illuſtrans. Sunt itaque tres libri partes generales. *Prima* generalem continet juſtitiae, potentiae, et bonitatis Jehovae deſcriptionem, per quas virtutes inpios vult delere, pios vero protegere, cap. I: 1—7. *Secunda* pars illarum illuſtre exhibet et ſtupendum ſpecimen in mirabili exercitus Aſſyriaci deſtructione, tanquam inſtantis regni Aſſyriaci excidii ſigno praenuncio, ib. 8—12. Quae ipſa deſtructio *tertia* parte vivis depingitur coloribus, inde ad fin. libri, et hoc ordine. Poſtquam illa in genere una cum Judaeae gentis liberatione a jugo, et infeſtatione, Aſſyriorum fuiſſet tradita, c. I: 13.—II: 1. Ninives expugnatio et excidium praedicitur cap. II: 2. ad fin., dein ejus neceſſitas et facilitas ob oculos ponitur cap. III. *Scopus* denique libri eſt, Judaeos ſuperſtites, decem tribubus deportatis, conſolari, et contra ingraveſcentem Aſſyriorum potentiam munire, ex eo, quod, ſicut exercitus Aſſyriacus, Hieroſolymae imminens, modo eſſet proſtratus, aut mox fieret, ita haud diu poſt totum illud regnum ſit ſingulari judicio, metropoli Ninive expugnata, penitus exſtirpandum, et reſp. Judaica ab ejus oppreſſione plane liberanda; de quo clare conſtat ex c. I: 7. et II: 1, 3. Alia et remotiora non ſector. Stilus, ut illud obiter obſervem, minime vulgaris, ſed totus fere eſt figuratus, et rhetoricus, metaphoris, aliiſque figuris refertus, ſtilus ſublimis, et emphaticus, qualis eſt excellentium prophetarum. Quod cuique legenti in oculos incurrit.

§. CCXVII.

§. CCXVII. JESAIA, de quo paucis abſolvam, cum ejus notitiam prolixius dederit Cl. Vitringa in Prolegomenis ad librum ejus, ישעיה, ſive ישעיהו, *ſalus Jehovae*, ſive ſalutem dat Jehova, a parentibus, ad fidem et ſpem ſuam teſtificandam ita, ut videtur, adpellatus, non ſine omine futurae ejus deſtinationis ad ſalutem Jehovae, ejuſque cauſam, promulgandam, uti, Propheta factus, eximie fecit, *filius Amotſi*, de quo nihil certi conſtat, niſi quod dignus fuerit habitus, cujus nomen fuerit memoriae mandatum, floruit, ſeu conciones habuit propheticas, ſub regibus Judae Uzzia, Jothamo, Achaſio et Hizkia: teſte inſcriptione libri; ita tamen, ut ſub finem Uzziae inceperit, et poſt 14*tum* Hizkiae haud diu vixerit: cum ceteroquin aetas ejus communem hominum ſortem nimis exceſſiſſet: ut ex annis illorum regum, ſuo loco memoratis, facile eluceſcit. Ceterum, ut id obiter obſervem, inſcriptio libri, cap. I: 1. cum et ſpecialem ejus concionis, cap. I. comprehenſae, et generalem totius libri titulum contineat, ut a Cl. Vitringa recte eſt demonſtratum, nimis conciſe expreſſa non tantum, ſed et partibus confuſis, ac loco motis, ita, ex mea opinione, digerenda et plenius legenda eſt. *Viſio Jeſaiae, filii Amotſi*, (h. e. liber viſionis, nomine *viſionis* etiam inſignitus 2 Chron. XXXII: 32.) *diebus Uzziae, Jothami, Achaſi, et Hizkiae.* Viſio, *quam vidit ſuper Juda et Hieroſolymis.* Duplex debet eſſe titulus, unus generalis, qui temporibus regum eſt adligatus, et priore loco memorandus, poſterior ſpecialis concionis, quae mox ſequitur; adeoque vox *viſio* repeti debet; ut in verſione expreſſi, ſine qua hypotheſi inſcriptio recte nequit expediri.

§. CCXVIII. Argumentum libri eſt quidem partim *elencticum*, convictorium, partim *paracleticum*, conſolatorium, ſed ita, ut poſterius in eo dominetur, et longe maximam libri partem conſtituat, ipſae quoque convictiones paſſim inmixtas, vel ſubjunctas, habeant conſolationes. Prima libri pars, cap. I—XII. eſt ejuſmodi generis *elenctici*, cum in-

termixtis consolationibus, sed et convictiones per totum librum sparsae sunt, uti cap. XXVIII—XXX. LVI—LIX. sive ad ejus aetatis homines spectent; sive ad sequentia tempora prophetice. Conciones vero *consolatoriae* vel judicia denunciant populis vicinis, ac hostibus Judaeorum, et populi Dei, uti cap. XIII—XXIII. vel beneficia in Ecclesiam conferenda adnunciant, uti instaurationis, amplificationis, et redemtionis spiritualis. Quae prophetiae duplicis sunt generis, aliae enim Messiae, summi prophetae, sacerdotis, et regis, seu redemtoris, et liberatoris, characteres, respectu statuum vitae et officiorum, quam clarissime et emphatice ducunt, fere ut prophetia videatur euangelium, quae per totum librum sparsae quidem sunt, uti cap. VII: 14. IX: 5. XI: 1.— sed praecipue postremas ejus partes absolvunt, a cap. XL. aliae vero, ad Ecclesiam spectantes, ejus liberationem, partim temporalem, uti ab Assyriis, cap. X: 25, 26. et Babyloniis c. XLVI. partim spiritualem per Messiam, vivis depingunt coloribus. Suntque per totum quidem librum disseminatae, sed postremas libri partes praecipue inplent.

§. CCXIX. Generali argumento contentus, a partibus ejus recensendis, et concionibus distinguendis, et explicandis, abstineo, cum parum habeam, quod clarissimo Commentatori Jesaiae, qui in omnium manibus versatur, addam, nec moras nectere ausim, quare de sublimi et majestuoso ejus stilo, scopo, et usu libri etiam sileo. Tantum illud obiter observo, visum illud illustre Jes. VI. mihi videri inauguralе fuisse, quo initiatus est muneri prophetico, quale quid Hoseae, Jeremiae et Ezechieli quoque contigit, cum inaugurationis prophetae haud unum sese in eo offerat indicium, legenti sponte in oculos occurrens. Ex quo simul patescit, Jesaiam munus propheticum auspicatum fuisse eodem anno, quo Uzzia defunctus est, absque ut definiatur, num ante ejus mortem, an post eam, id contigerit, licet prius sit probabilius, cum tempore Uzziae tradatur quo-

que

prophetasse c. 1: 1. Tempus vero illud addidit pro-
i, non quam hoc viso est honoratus, sed illud in Ju-
dedit, adeo ut ante ejus mortem illud censeri potue-
coepisse, et post obitum regis demum evulgasse. Plura
iso, ejusque sensu, et scopo, protulisse nihil adtinet;
in eo praeclare satis versatus sit Cl. Vitringa.

CCXX. Hizkiae successit ejus filius *Manasse*, Patri non
m dissimilis, sed inpietate sua supra decessores fere om-
tinosus, qui detestandam quamlibet idololatriam in ipso
introduxit Templum, ad exemplum Achabi inter Is-
m. Utique altaria, exercitui coelorum dicata, in duo-
posuit atriis, et Astartae in ipsa aede, 2 Reg. XXI:
et 2 Chron. XXXIII: 5, 7. ubi, quod notandum, de-
nomen idoli אשרה *Astartae*, per sequentem voculam
absorptum; ut ex loco parallelo patet. Requirit pro-
vox סמל *simulacrum* idolum, cujus fuit imago. Prae-
sanguine innocuo, ingente copia effuso, replevit
osolymam, nulla denique admonitione, divinitus facta,
ad meliorem redigi passus est frugem: adeo ut, men-
defectionis ac corruptionis populi jam plena facta, Deus
itivam de Judae quoque destructione, ac deportatione,
it sententiam, exsecutione tamen, per Josiae singularem
item intervenientem, postea dilata, ut mox videbimus,
ien exemplo jam in ipso Manasse statuto, quippe qui
ge Assyriae captus, Babelem abductus, ac in carcerem
ectus est; donec resipuerit, et in regnum sit restitutus;
eoque statu insigne emblema destructionis, deportatio-
ac restitutionis Judaeorum. Quae historia 2 Reg.
: 1—18. et 2 Chron. XXXIII. narratur, sed in priore
valde defectuose, cum nihil de ejus ad Deum con-
ione et instauratione tradatur. Quando vero hoc re-
ierum acciderit, non constat. Judaeorum traditio, quae
l praefert inprobabilis, epocham captivitatis in anno
i 22*do* figit, et restitutionis in sequente. Quis vero
rex Assyriae fuit, qui ipsum Babelem abduxit, postea;

ubi de regno Assyriae, definiam. Hic obiter tantum sententiae definitivae regni Judae aliquem dabo intellectum. Judicium in metropolin regni, Hierosolymam, idem pronunciatur ac in Samariam, et domum Achabi 2 Reg. XXI: 13. quia idololatria Achabi fuit per Manassen quoque introducta, uti v. 3. diserte traditur. Comparatio vero cum Samaria ad totalem Hierosolymae destructionem spectat, cum domo vero Achabi ad regiae domus Davidicae abolitionem, quatenus *partim* sit penitus delenda, uti in Zacharia, ultimo rege, factum est, et Jer. XXIV. ac alibi praedictum, *partim* regia Majestate privanda, ita ut nemo ea sit in posterum ornandus: sicut Jechoniae denunciatum est Jer. XXII: 30. et alibi. Denique locutio metaphorica, a *patina*, quae detergetur, et in partem anteriorem invertitur, his verbis expressa, et *tergebo Hierosolymam*, *sicut qui* (addi enim debet אשר *qui*, per praecedentem vocem כאשר *quemadmodum* absorpta) *patinam detersurus*, *eam deterget*, *et in faciem ejus* (anteriorem partem) *invertit*; haec, inquam, locutio *tria* ob oculos ponit fata, 1. incolarum et domuum desolationem, 2. omnium sordium expurgationem, respectu idololatriae et criminum, 3. purgatae ac nudatae derelictionem donec restauretur, et usui suo reddatur, opposite ad patinae totalem destructionem, et abjectionem. Radix vero מחה et מחא proprietatem habet in *tergendo*, detergendo, unde, a patina ducta metaphora, id, quod dixi, denotat.

§. CCXXI. Patri, qui annos 55, 2 Reg. XXI: 1. regnavit, successit filius *Amon*, ipsi in inprobitate, sed non conversione, similis, sed ad breve tempus, 2 tantum annorum; a populo terrae in ipsa aula necatus, ibid. v. 19.— Quem excepit filius *Josia*, patri longe dissimillimus, religionis instaurandae, prae omnibus decessoribus, studiosissimus, cui ab anno 12*mo* regni jam incubuit, posteaquam anno 8*vo* animum ad Jehovam colendum jam adplicuerat, 2 Chron. XXXIV: 3. Epocha autem reformationis ab anno regni

18*vo*

ravi, ubi de reformatione Joſiae per terras Iſraelis egi, eique occurrit in valle Megiddo, celebri illo campo in tribu Manaſſis, et variis praeliis in eo habitis famoſo, unde etiam nomen forte traxit, denotat enim vox מגדו *Megiddo*, ut Simon in Onom. jam notavit, locum *turmae* militaris, ad inpetum faciendum deſtinatae, vel locum caedis, ibi per continua praelia factae. Herodot. l. c. erronee *Magdolum* tradit locum praelii fuiſſe, eſt enim in AEgypto inferiore, quo Joſias utique non tetendiſſet, de Megiddo itaque, facili lapſu, Magdolum fecit. Hac admiſſa hypotheſi, facile intelligitur, quo ſenſu Joſia in lib. Reg. et Chron. dicatur *ei obviam iviſſe*, et quare in illa valle conflixerit cum Pharaone. Phraſis enim *obviam ire* non tantum hoſtilium exercituum concurſum hic denotat, ſed et exercitum in occurſum alicujus movere in locum remotiorem, uti hic traditur. Utique Pharaonem per terras ſuas non ſiviſſet ire Joſia, nec, ſi hoc permiſiſſet, eum poſtea in campo tam remoto invaſiſſet. Deterrere quidem Joſiam conatus eſt Pharao ab hoc praelio, declarando, ſe, non ipſum, aut regnum ejus, ſed hoſtem ſuum Babylonium petere, ipſique ob oculos ponendo, ſine conſilio Dei ſe hanc non ſuſcepiſſe expeditionem, cui itaque ſe opponere non deberet Joſia, nec niſi cum damno ſuo poſſet. Quod quo fundamento dixerit Pharao non conſtat; videtur tamen ex vero id protuliſſe, cum hiſtoricus 2 Chron. XXXV: 22. dicat, Joſiam *verba ejus ex ore Dei* non admiſiſſe; niſi quis velit mentem hiſtorici eſſe, Joſiam verba Pharaonis non habuiſſe pro verbis *ex ore Dei*, ſed a Pharaone, aut fictis, aut a Diis ejus ad eum factis. Quod ſi per prophetam aliquem tale quid ſit Pharaoni dictum, illud ulterius eſt trahendum, quam ad iter ejus proſperum; etiam ad expeditionis contra Babylonium felicem exitum, quem etiam habuit: uti ad Jer. XLVI. obſervavi. Quod ipſum hic quoque inſinuaretur, ſi 2 Chron. XXXV: 21. pro לבחלני legeretur לנחלני, ut ſit, *Deus dixit* ſe me tutum,

et salvum esse *ducturum*, instar pastoris ovem. De qua verbi potestate dixi ad 2 Chron. XXXII: 22. Verbum נהל huc minus quadrare videtur, quod non simplicem *festinationem*, sed nimis praecipitem, et cum mentis aliqua perturbatione conjunctam, vi originis, et usu suo, denotat. Sed nihil definio.

§. CCXXV. Josia itaque praelium incepit, sed *vestibus mutatis*, sicut Achab 1 Reg. XXII. olim fecerat, ne cognosceretur, et peteretur prae reliquis (quod verbo התחפש indicatur;) sed infelici eventu, et sibi, et regno. Ipse enim lethaliter vulneratus, in curru, cui inpositus, Hierosolymam abductus est, mortuus in via, et ita in urbem venit, ac sepultus est. Qua ratione loca Reg. et Chron., facile secum conciliantur. Funestus hic casus ingentem peperit universo populo luctum, et a Jeremia, aliisque cantoribus, viris et foeminis, solenni lessu celebratus est, cantilenis in *libro lessuum* conservatis, (id enim phrasis *scripta sunt cantica* על הקינות pro על ספר הקינות *in libro lessuum* denotat, uti plene occurrit Jos. X: 17. 2 Sam. II: 18.) et longo tempore continuo repetitis; uti 2 Chron. XXXV: 25. traditur. Regnavit ann. 31, 2 Reg. XXII: 1. et 2 Chron. XXXIV: 1. Turbata mox, ipso defuncto, fuit successio, cum non primogenitus, sed tertio loco natus, filius successerit, nec legitime, sed factione ac conspiratione plebis evectus, quare mox, *tertio* regni *mense*, a Pharaone, rebus Judaeorum sese post praelium cum autoritate jam inmiscente, depositus, et primo *Riblam*, dein in AEgyptum abductus, et ibi mortuus est. Adpellatur in libro Reg. *Joachaz*, 2 Reg. XXIII. et Chron. XXXVI., sed 1 Chron. III: 15. et Jer. XXII. *Sallum*, quem eundem esse ac Joachazum ex Jer. clare constat, de quo vid. Comment. noster ad Jer. l. c. ubi etiam rationem nominis *Sallum* dedi, sive a Pharaone, sive a Jeremia, fuerit ortum, in signum periodi *deditionis* regni et populi in servitutem, quippe quae eo tempore a Sallumo, habuit initium. Nomen vero

confecrati, et in ejus occurfum producti, situ Perfarum idololatrico. De quo vid. Bochart. H. p. I. l. II. 5. Altaria, a Salomone in gratiam uxorum alienigenarum idolis earum confecrata, juxta montem Oliveti, vel fuper eo, et ibi ad hoc usque tempus relicta; cujus idololatrici cultus refpectu mons ifte, alias המשחה ab *oleo* et *unctione* adpellatus, odiofum et infame nomen המשחית *deftructionis* accepit: v. 13. pro more Hebraeorum, nomina levi mutatione in malum flectentium, cujus varia proftant, uti notum, exempla. Ceterum, ut hoc unum obiter obfervem, cum Jofias altaria, aliaque inftrumenta idololatrica, una cum idolis, quoque aboleverit in terris Ifraelitarum, uti Bethele et in urbibus Samariae, 2 Reg. XXIII: 15.— Manaffis, Ephraimi, et Simeonis, usque ad Naphtali, 2 Chron. XXXIV: 6. ardens fuum ftudium, in vera religione inter Ifraelitas quoque inftauranda, fuit fecutus, fibique id licere putavit, tum quod regnum ibi jam fuerit deftructum, tum reliquiae inter eos fuerint eorum, qui tempore Hiskiae Hierofolymam ad pafcha celebrandum venerant, a quibus forte invitatus fuit ac adjutus, tum majore aliqua poteftate in fuperftites Ifraelitas, confentiente rege Affyriae vel Babyloniae, fuerit veftitus. Videtur utique arctiore vinculo, foederis ac amicitiae, fuiffe cum eo conjunctus, quia fefe expeditioni regis AEgypti, ad Euphratem contra eum regem tendentis, in ipfo territorio Ifraelitarum, ei regi fubjecto, tanto eum impetu oppofuit: cujus vix alia reddi poteft ratio. De quo mox.

§. CCXXIII. Quibus peractis, pafchatis feftum adeo folenniter, et Legi exactiffime congruum, celebrari fecit, ficut 2 Reg. verbo, fed Chron. fufius narratur, ut ejus celebratio hac parte fuerit omnium temporum praecedentium, Judicum et Regum, tefte hiftoria, celeberrimum, Reg. XXIII: 22. Chron. XXXV: 18. refpectu nimirum totius populi unanimis confluxus, et accuratae cum inftitutis Mofaicis convenientiae, libro legis invento et confulto. Nec

Ee 2 tamen

gato, anno *4to* Jojakimi, Jer. XLVI: 1. et ipse Nebucadnezari factus est tributarius, postquam eum adgressus esset rex Chaldaeorum, et multos Babelem abduxisset, Dan. I: 1. a quo tempore *tres* annos serviit Nebucadnezari. Fueritne et ipse Babelem abductus, dein restitutus, ut Manasse, non constat. *Vinctum* fuisse, ut deportaretur Babelem, quidem traditur 2 Chron. XXXVI, sed illud executioni fuisse datum, non additur. Deinceps post *triennium* rebellavit in regem, se ab eo *avertendo*. Hunc enim sensum habet verbum שׁוב 2 Reg. XXIV: 1. וישׁב *et rebellavit in eum* h. e. et avertit se, retrocessit, et rebellavit: verti enim nequit, ut alias sumitur, *et rediit et rebellavit*, cum iterata tum denotaretur rebellio, adeoque eum jam antea quoque rebellasse significaretur, cujus nullum occurrit indicium. Rectius ergo שׁוב sensu *avertendi* sumitur, quem et alibi habet. Quae rebellio ipsi pessime cessit. Exercitu enim, ex variis constante populis, in ipsum irruente, ab eo dicitur *perditus* 2 Reg. XXIV. mortis genere non addito. Sed occisum fuisse, et insepultum abjectum, aut turpiter et contumeliose humatum, ex Jer. XXII: 19. et XXXVI: 30. manifestum est, de quo ad ea loca exposui. Verbum אבד, quo Historicus utitur, violentam quoque mortem, et abjectam conditionem, comprehendit, cum proprie dicat *scindere*, *secare*, et secando corrumpere: uti Ez. VI: 3. Regnavit ann. 11, 2 Reg. XXIII: 36.

§. CCXXVII. Successit ipsi filius *Jehojachin*, vel, ut Ez. I: 2. Jojachin, alias etiam Jechonia, Jer. XXIV, XXVII. et alibi, denique *Chonia* Jer. XXII et XXXVII. abjecta una littera י *jod*, non sine mysterio: uti ad Jer. exposui. Annos natus 18 rex factus est, 2 Reg. XXIV: 8. unde omnino emendandus 2 Chron. XXXVI: 9. ubi 8 ann. legitur sed debet 18, habebat enim jam tunc uxores, et mala patraverat: qui error ex litteris numeralibus, י omissa, facile oriri potuit. Regnavit tantum *tres* menses, quando a Nebucadnezare obsessus, et postquam se sponte dedidisset, in

in Babyloniam cum theſauris ac vaſis Templi, cumque omnibus honoratis, et fortibus eſt abductus. Forte a populo quoque terrae, non conſulto Nebucadnezare, ſicut antea Joachaz ſine Pharaonis conſenſu, fuit evectus, et ideo, cum ſeſe regi Chaldaeorum opponeret, depoſitus. Ceterum ubi praeter fabros ferrarios et clauſtrarios mille, dicantur in exilium miſſi viri bellicoſi 10000, 2 Reg. XXIV: 14. ſed v. 16. 7000; propius mihi ad verum acceſſiſſe videntur, qui ex decem millibus cenſent 7 millia *Babelem* abducta, ut expreſſe additur, reliqua tria millia in alia loca, uti in Perſiam et Mediam, quae Cyaxari, Medorum regi, ſocio Nebucadnezaris in bello, ceſſerunt. Utique Suſas fuiſſe hoc tempore aliquos tranſlatos, ex Eſther II: 6. conſtat. Sed novum ſibi nectunt Interpretes nodum ex Jer. LII: 28. ubi anno *7mo* Nebucadn. abducti leguntur 3023. qui varie, nec feliciter, ſolvitur; ſed minus animadverſum eſt, non agi loco Jer. de exulibus ſub Jechonia, et cum eo; verum anno praecedente, ultimo Jojakimi, quod ex annis Nebucadn. eluceſcit: memoratur enim loco Jer. ann. *7mus*, ſed in lib. Reg. *8vus*. De quo in Comment. ad Jer. jam monui.

§. CCXXVIII. Sequitur tandem ultimus rex, patruus Jojachini, et filius Joſiae minimus, ut ex anno aetatis, quo rex factus eſt, facile colligitur, *Tſedekias*. Praemittitur quidem Sallumo, ſeu Joachazo, 1 Chron. III: 15. ſed, niſi ex errore librarii, neſcio quare. Cujus hiſtoria, cum excidio Hieroſolymae et regni conjuncta, traditur a v. 18. cap. XXIV. uſque ad v. 26. cap. XXV. lib. Reg. quare novum caput rectius incepiſſet. Cum *Summus* irae Dei gradus tandem incumberet Iſraeli, (phraſis enim על-אף denotat *ſummum irae;* ut alibi) adeoque judicium totalis deſtructionis jam eſſet exſecutioni mandandum, rex, rebellione ſua in regem Chaldaeorum, occaſionem praebuit invaſionis Nebucadnezaris, et mox ſecuta eſt obſidio Hieroſolymae: ſic enim verſ. 20*mus* capiendus eſt, nec כי *quia*

cum praeced. cohaeret, acsi rationem, quare rex *malum* fecit in oculis Jehovae, redderet, quod absonum est, sed cum seq., et vel novam incipit pericopam, idque cum emphasi, ut *sane*, profecto, quando concinit אך v. 3. vel caussalis est, et *quia* denotat, ac sequentium reddit rationem, uti narravi.

§. CCXXIX. Obsidio et expugnatio Hierosolymae, 2 Reg. XXV. collato Jer. XXXIX et LII., unde narratio 2 Reg. est supplenda, et illustranda, respectu durationis, et ordinis, quod paulo adcuratius et distinctius enarrasse juvat, et ad intellectum visi Ezech. c. IV. intelligendum facit, ita sese habuit, sicut recte, et in genere, secundum nostram mentem, exposuit Vignolius Chron. S. tom. I et II., qui consuli meretur. Obsidio, ut unum alterumve praemittam observatum, 18 menses duravit: nam ann. 9no Tsedekiae, mens. 10mo, die 10mo, incepit, et usque ad ann. 11mum, mens. 4tum, d. 9num, duravit 2 Reg. XXV. Jer. LII., cui consentit Jos. Ant. X: 10, 11. Quibus mensibus 18, quod alterum sit observatum, sive anno uno et dimidio, comprehensi sunt dies 390 et 40, h. e. 430, (sive annus unus, menses 2, et dies 6, qui faciunt dies 430, sunt enim anni lunares dierum 365,) obsidionis figuratae Ezechielis in viso ecstatico, cap. IV. Reliquis vero *tribus* mensibus occupati fuerunt Chaldaei debellandis AEgyptiis. Qui tres menses et dies 27, anno, et mensibus duobus ac diebus sex, additi, efficiunt tempus obsidionis modo memoratum. Historia vero ita est digerenda. 1. Prima vice urbs obsideri coepit a. 9no Tsedekiae m. 10mo, d. 10mo 2 Reg. XXV. Jer. XXXIX: 1, 2. LII: 4, 6. Quo ipso die illud fuit Ezechieli notum factum Ez. XXIV. Duravit illa annum *unum* et *unum* mensem: quo respiciunt dies 390 Ez. IV. qui faciunt 13 mens. et 6 dies. 2. Interrupta fuit obsidio per Pharaonem, sese cum copiis ad Judaeis succurrendum moventem. Incepit a. 10mo Tsedekiae, m. 10mo, d. 12mo Ez. XXIX: 1. adeoque unum annum integrum,

post

poſt coeptam obſidionem: quae tunc ſoluta eſt poſt *unum* menſem et 6 dies, adeoque anno 10*mo* Tſedekiae M. 11*mo* *D.* 16*to*. Jer. XXXVII: 5. Pharaonis exercitus jam erat proſtratus anno 11*mo* Tſedekiae M. 1*mo* D. 7*mo* Ez. XXX. Denique 3. reſumta eſt obſidio a. 11*mo* Tſedekiae M. 3*tio* *D.* 1*mo* Ez. XXXI: 1. Duravit dies 40, ſecundum alteram epocham cubationis Ezechielis in viſo ecſtatico, Ez. IV. Urbs vero expugnata eſt a. 11*mo* Tſedekiae, M. 4*to*, D. 9*no*, 2 Reg. XXV. Jer. XXXIX et LII. Tandem 4. inter captam et combuſtam urbem *annus* interceſſit. Contigit enim hoc a. 19*no* Nebucadnezaris, per Nebuzaradanem M. 5*to*, 2 Reg. XXV: 8. Jer. LII: 12.

§. CCXXX. Urbe capta, Rex, cum viris militaribus, elapſus *fuga* per viam deſerti, comprehenſus eſt, viris militaribus dilapſis et diſperſis, a Chaldaeis, et ad Nebucadnezarem, Riblae degentem, adductus, judicatus, excoecatus, et Babelem miſſus eſt in carcerem, ubi ad vitae finem manſit; filii vero ejus ſunt mactati omnes, 2 Reg. XXV. Jer. XXXIX. Dein urbe combuſta cum Templo, incolae ſunt in exilium deportati in tractum Babylonicum, relictis tantum vilibus et tenuibus terrae, ad eam excolendam; ut locis citatis traditur. Vaſa quoque aenea Templi Babelem tranſportata narrantur, in utroque loco, ſcilicet Reg. et Jer. LII. Tandem primarii et religionis, et regni, miniſtri, quoque juſſu Nebucadnezaris, ſunt morte puniti Riblae. Reliquiis Judaeorum in patria praefectus fuit a rege Gedalja; quorum fata enarrantur Jer. XL. et ſeq. Quae cum in Comm. ad Jerem. ſatis expoſuerim, hic tetigiſſe ſufficerit. Reliqua, ad exilium in Chaldaea, ejus durationem, et ſtatum Judaeorum in eo, ac Cananaea, et AEgypto, pertinentia, ſequente periodo enarrabo. Hic paucis tantum varias Judaeorum deportationes, ab initio exilii Babylonici, ſeu a. 4*to* Jojakimi uſque ad deſtructam Hieroſolymam, recenſebo, quia hujus ſunt periodi. Fuerunt in univerſum *ſex*, ſed tres majores, et totidem minores, quae poſteriores ex Jer. LII.

Ff 2 eruendae

eruendae sunt, quippe quae, ibi memoratae, diversae fuerunt ab illis, quarum alibi fit mentio, nec generales, sed particulares, alibi neglectae. De quo vid. Comment. noster ad Jer. Omnium *prima* deportatio contigit ann. 3*tio* Jojakimi, qua, praeter vasa quaedam sacra 2 Chron. XXXVI: 7. abductus est Daniel cum sociis, ac aliis Dan. I: 1. sed 7 ann. post, ann. 11*mo* Jojakimi, abducti sunt 3423, qui est annus Nebucadnezaris *septimus*, Jer. LII: 28. Quae ergo est *prima* particularis deportatio. *Secunda* generalior accidit sub Jechonia, anno 8*vo* Nebucadn. 2 Reg. XXIV: 12. Sed *secunda* particularis incidit in annum Nebucadnezaris 18*vum*, ipsissimum illum quo capta est Hierosolyma: ut alibi demonstratur; abducti tunc sunt 832 Jer. LII: 29. *Tertia* generalis est facta ann. Nebucadn. 19 Jer. LII: 12. combusta Hierosolyma a Nebuzaradano, sed specialis deinceps contigit *tertia* ann. Nebucadn. 23*tio* ibid. vers. 30., adeoque 8 annis post urbem combustam: quando deportati sunt, qui in Cananaea, post plurimorum discessum in AEgyptum, manserant, numero 748.

§. CCXXXI. Dictis subjungendum est, insignes per totam periodum, a Josia ad finem regni Judae, floruisse prophetas canonicos, quorum scripta in Canone Script. S. supersunt, Jeremiam, Tsephaniam et Obadjam, sed non, ut vulgo putatur, Habacucum, quippe qui, ex nostra opinione, tempore exilii Babylonici concionatus est, ut postea videbimus. Tempus *Jeremiae* ex libri ejus inscriptione satis certum est, ubi a 13*tio* Josiae, usque ad finem regni Judae, adeoque per 40 annos prophetam in medio populi in Cananaea egisse traditur: nec tamen tunc aut mortuus fuit, aut a munere cessavit. Versatus enim ipso illo in libro legitur, post excidium urbis primum in Cananaea, inter superstites ibi relictos, dein. in AEgypto, per vim eo a Judaeis secum abductus, ubi adhuc concionatus est, sed incertum quamdiu? Plura de ipso, ejusque fatis, cum in Comment. ad Jer. protuli, dicta sufficiant. *Tsephaniam* tempore

Josiae

Josiae viguisse in genere traditur in libri inscriptione, absque ut addatur, num in initio, an medio, aut fine ejus regni, conciones habuerit, quod adcuratius definivisse, multum ad intellectum libri ejus conducit. *Prior* concio cap. I. et II. habita est tempore intermedio, inter annum ejus 12*mum* et 18*vum*, adeoque cum inceperat jam idololatriam destruere, sed antequam ad uberiorem reformationem admoverit manum: *posterior* vero cap. III. sub finem Josiae, quando idololatria quidem publice non vigebat, attamen morum corruptio se rursus valde exserebat, et reformatio regis vim suam fere omnem perdiderat.

§. CCXXXII. Sed agamus paulo distinctius et fusius. TSEPHANIA צפניה h. e. *reconde Jehova*, ita dictus ex voto parentum de hoc filio, tanquam thesauro, occulendo, et tuto reddendo, ex illustriore videtur familia natus, quia majorum ejus nomina in libri inscriptione recensentur; quod alias fieri non solebat, nec ad prophetae personam distinguendam fuisset necessarium. *Tempus*, quo conciones habuit, in genere regno Josiae adligatur; sed, num ad initium, aut medium, aut finem ejus pertineat, non additur; quare illud ex ipso libro est eruendum. Quae disquisitio propterea est instituenda, quod notabilis mutatio per Josiam fuerit, in re religionis, introducta per gradus, et diverso tempore. Idololatriae exstirpandae incumbere coepit Rex anno regni *duodecimo*, dein anno *decimo-octavo* Templum instituit purgare, et, libro legis Mosis reperto, severius urgere reformationem populi, foedere quoque inter Deum et populum solenniter pacto, 2 Chron. XXXIV. Quaeritur nunc, quo praeciso tempore editae fuerint hae conciones? nec eodem modo definitur. Mihi probabile videtur, *priorem* concionem cap. I et II. tempori intermedio, inter annum regni 12*mum* et 18*vum*, esse adligandam, cum idololatriam quidem cum successu coeperat oppugnare, sed antequam ad uberiorem reformationem manus admoverit. Quae hypothesis in duas scinditur theses, unam, tempus

esse initio reformationis posterius, alteram ulteriore reformatione prius. Quae distincte sunt demonstrandae.

§. CCXXXIII. *Prioris* thesios haec sunt fundamenta. 1. Nulla fit idololatriae publicae, et in locis religiosis, mentio, nulla domus Dei pollutio, nulla memorantur excelsa. Attamen 2. *residuum* Baalis commemorat, et, populum Jehovae cultum cum domestico, vel occulto, idolorum adhuc conjunxisse, declarat et reprehendit, c. I: 17. et 5. his notabilibus verbis, *Exscindam ex hoc loco reliquias Baalis, nomen Chemarorum cum sacerdotibus* (quod ab anno demum 18 Josiae factum est; ut supra in Josia notavi, ubi Chemarorum etiam notitiam dedi) *et eos, qui super tectis adorant exercitum coelorum* (scilicet solem, lunam et stellas, coram quibus se incurvabant super *tectis domuum* suarum. Quem privatum cultum idololatricum cives itaque adhuc exercebant, absque ut Josias manus ingesserit, sive clam id fecerint, aut noctu, aut intra cancellos tectorum, sive ad notitiam Regis non venerit, sive etiam inpetum populi mox refraenare non potuerit,) *aeque eos adoratores, qui per Jehovam jurant, et per Malcom* (scilicet Jehovae aeque ac Malconis cultores; seu Milconis, Ammonitarum Dei 1 Reg. XI: 5. Vid. et Jer. XLIX: 1. de quo supra suo loco egi) *quam eos, qui recesserunt a Jehova* etc. (qui itaque soli idololatriae adhaerebant, Jehovam nec quaerentes, nec consulentes, aut ejus oracula curantes:) 3. Jeremias, qui anno 13tio Josiae incepit, diserte docet, populum *se non ex animo, sed mendaciter convertisse ad Jehovam*, c. III: 10. Non obstante itaque destructione idololatriae a pio rege, populus eam in domibus et in occulto perrexit exercere: nec plenaria fuit introducta reformatio. Ex quo *altera* thesis, concionem esse habitam ante annum Josiae 18vum, et ulteriorem reformationem institutam, sponte sua se commendat, cum populus hic tanquam idololatriae nimium addictus repraesentetur. Accedit, nullum hic occurrere indicium cultus Jehovae, consensu populi stabiliti, uti post pactum cum Je-

hova

hova initum factum fuit; imo redargui populum, quod vel idololatriam cum vera religione copulabat, vel Jehovam non quaerebat: ut modo vidimus.

§. CCXXXIV. *Posterior* concio cap. III. mihi videtur referenda ad finem Josiae regis, quando idololatria quidem non vigebat, sed morum corruptio se rursus exserebat, et reformatio, a rege instituta, omnem vim perdiderat. Pro hypothesi enim habet concio, morum emendationem fuisse factam, v. 2 et 7. sed eam in vanum cecidisse. Praeterea, quo tempore concio est publicata, regnum Assyriacum jam erat destructum vers. 6. quod cap. II: 13. tanquam delendum exhibetur. Ex quo simul elucescit, diversas esse has conciones, et diversi temporis. De quo et alia signa, hic obvia, testantur. Solent scilicet prophetae conciones elenchticas finire promisso. Sic cap. II. a versu 4to vaticinium de populorum hostilium excidio subjungitur, et promissum de populi Judaici reductione obiter adjungitur. Qua eadem ratione incipit cap. III. cum reprehensione corruptionis morum, et in promisso, sed uberius explicito, terminatur. Liber itaque Zephaniae in duas recte dividitur conciones, quae ejusdem sunt argumenti, et eodem tenore decurrunt, nisi quod reprehensio in priore praecipue in idololatriae studium cadat, et promissum, seu consolatio, non nisi indirecte et obiter fiat: cum posterior mores praecipue taxet pravos, et de populi instauratione luculentius agat. Consentit quoque utraque concio in plenariae reip. Judaicae destructionis denunciatione, sed prior eam fusius enarrat.

§. CCXXXV. De OBADIA vix aliud quid constat, ac quod nomen ejus exhibet. Nomine quippe עבדיה, quod cultorem vel *servum Dei* denotat, tanquam praeclarus Dei cultor ob oculos ponitur, sive boni ominis ergo illud a parentibus acceperit, sive ab insigni pietate, et familiari cum Deo commercio, hoc epitheto fuerit ornatus. Sed nomen non fuit inter Israelitas et Judaeos ignotum. Occurrit ubi-

que tempore Achabi aliquis *Hobadjahu* ab insigni piet
et veri Dei cultu, celebris 1 Reg. XVIII: 3. Sub]
alius 2 Chron. XXXIV: 12. etiam inter reduces ab e
Babylonico 1 Chron. XX: 16. et Neh. XI: 17. Sed n
illorum *propheta*, vel *videns*, adpellatur, nusquam aliquis
phetarum ejus nominis se offert. Quare inutilem nav
operam, qui nostrum cum aliquo eorum comparaverint,
daei etiam, et qui eos sequuntur, parachronismum com
tunt, qui eum cum Obadia Achabi confundunt, cum
dubio noster sit, ut mox patebit, recentioris aevi. Suffi
eum fuisse prophetam, teste hac ipsa concione, de c
veritate nulla est dubitandi ratio, cum in Canone prop
tarum locum teneat, eique cum Jer. XLIX: 7. ac Ez
XXXV. perfecte conveniat.

§. CCXXXVI. Cum de *tempore* concionis ex ipso
libro judicium sit ferendum, Interpretes in diversa al
mirum non est. Quorum opinionibus recensendis et e
minandis cum hic inmorari non liceat, meam proposuis
et adstruxisse, suffecerit. 1. Probabile mihi videtur, c
cionem hanc esse ea Jeremiae c. XLIX. de Edomo po
riorem, adeoque post *quartum* Jojakimi, quo Jer. edita
et exilii Babylonici periodo jam currente. Nimia uti
est inter duas hasce, Jeremiae et Obadjae, pericopas, c
venientia, quam ut, aliam ex alia fuisse desumtam, ne
queat, eam autem Jeremiae fuisse priorem, et Obad
inde petitam, vel ex eo patere videtur, quod prior
tantum partem concionis Obadiae faciat, cui mox alia
duntur, quae apud Jeremiam non reperiuntur: adeo
Obadia eam pericopam videatur, fundamenti loco substituta
praemisisse, eique adjunxisse, cum causas excidii Edom
tum ejus subjectionem Judaeis, suo tempore futuram. Q
etiam referri potest, quod, cum Jeremias dixisset, *au*
auditionem, Obadia dicat in plur. *audivimus*. 2. Nec tam
post destructam Hierosolymam a Chaldaeis collocaverim co
cionem, quia de ultimo illo judicio, tanquam futuro, a

tur v. 12—14. Qua in pericopa admonentur Idumaei, ne Judaeis, calamitoso illo tempore, insultent, eorumque augeant miserias. Phrases enim, *ne videas*, *ne venias*, *ne os aperias*, non nisi de futuro intelligi possunt. Accedit, v. 20. haud obscure innui, partem tantum populi, non totum, adhuc versari in exilio. 3. Tempore itaque intermedio, inter *quartum* Jojakimi, seu initium exilii Babylonici, et destructionem Hierosolymae, concionem fuisse editam censuerim, in specie post Jechoniam abductum, cum totale excidium reip. Judaicae ante fores esset. Quo tempore de *calice irae Domini* jam aliquid biberant Judaei, et mox ebiberent reliqua, ut v. 16. indicatur; eoque tempore Hierosolyma est ab extraneis capta et spoliata: quibus speciatim accensentur Moabitae, Ammonitae, et alii 2 Reg. XXIV: 2. Quo v. 11. respicitur, cum de illa spoliatione, tanquam praeterita, loquatur Propheta. 4. Denique, quod pro conjectura tantum haberi velim, cum legati Idumaeorum, Moabitarum et Ammonitarum, in principio regni Tsedeciae Hierosolymam venissent, ut, sub specie amicitiae, et simulatione opis ferendae, regem ad defectionem a Chaldaeis solicitarent, Jeremias vero, jussu Dei, vectes et vincula, in signum subjectionis brevi post futurae, secum ferenda, ipsis tradidisset, videntur simul legati ad illos populos nomine Dei missi, qui prophetias Jeremiae, de instante eorum populorum subjugatione, confirmarent, et inter eos vulgarent, ad emblematica illa vincula explicanda: quemadmodum ipse Jeremias Seraiae sua contra Babelem commisit vaticinia, eo deferenda Jer. LI: 59. et Jonas missus fuit Niniven. Quorum legatorum forte unus fuit Obadias, ad Idumaeos cum vaticinio Jeremiae contra ipsos ablegatus, eo etiam praeterea scopo, ut eos a violentia, Judaeis tempore calamitatis inferenda, absterreret, nisi obtemperarent, graviorem iis denunciaret destructionem, simul subjectionem Judaeis, suo tempore futuram, praenunciaret. Qua admissa hypothesi, quare, et quam apte,

[illegible] Edomum principium hujus c
[illegible] intelligitur, simul quis sit ejus finis
[illegible] dehortari ab insultandis Juda
[illegible] cum a simili judicio, quod Edomo
[illegible] Judaeorum liberatione, et ipso
[illegible] post exilium Babylonicum, eo et
[illegible] professi religionem, in unum cum
[illegible] corpus.

[illegible] Cum Obadia, ut libri *argumentum* si
[illegible] verbis Jeremiae inter Idumaeos evulgas
[illegible] esse deprimendam, eosque, non obsta
[illegible] securitate, in locis munitis, propriisque
[illegible] totaliter esse delendos, absque ut de repu
[illegible] superesset: ipse eam interminationem mox
[illegible] praeterea causam judicii ab odio
[illegible] et vexatione ipsis illata, repetenda
[illegible] facto, eos a similibus dehortatur facin
[illegible] a Judaeis contumeliose et hostiliter tractan
[illegible] eorum, quae ante fores erat, cavea
[illegible] cum, quod simile judicium ipsis cum reli
[illegible] tum, Judaei sint suo tempore liberan
[illegible] et ad summam evehendi prosperitatem,
[illegible] vicinarum gentium possessiones etiam
[illegible] in unam societatem sibi subjicere
[illegible] regnum in monte Tsionis manifestare:
[illegible] in transitu observem, ubi Theodoretus
[illegible] dicit, Obadiam mala tantum, quae
[illegible] praedicere, quod nimis est paradoxu
[illegible] omnino legendum est ἰδουμα
[illegible] fuisse animadversum.

[illegible] In duas vero generales partes con
[illegible] dividi patitur. Quarum prior est int
[illegible] dehortatoria, utraque rationibus n
[illegible] et exitialem complectitur calamitate
[illegible] superbiam, et infestationem Judaeoru

a D

a Deo destinandis v. 1—11. *Posteriore* parte eos deterret Propheta a Judaeis insultandis, quia gravius adhuc ipsi judicium sunt subituri, ipsis quoque Judaeis instaurandis subjiciendi, v. 12. ad fin. In *priori* parte 1. judicium destructionis verbis Jeremiae ipsis denunciat, v. 1—7. 2. illud ipse confirmat suis verbis, v. 8, 9. 3. justificat, ratione a criminibus eorum in Judaeos petita, v. 10, 11. *Posteriore* vero parte ipsos 1. a similibus facinoribus, tempore extremae Judaeorum calamitatis instantis, dehortatur v. 12—14. 2. rationes autem moventes desumit α) a simili, quia graviore judicio, ipsis cum aliis vicinis populis mox quoque infligendo, v. 15, 16. β) a Judaeorum instauratione, et dominii amplificatione, ita ut Idumaei quoque ipsis sint subjiciendi, et inferendi v. 17. ad fin.

§. CCXXXIX. De hypothesi hujus libri explicandi quamvis prolixa possit institui disputatio, cum Interpretes in partes scindantur, nonnulli etiam valde aliena sectentur, uti illi inter Christianos, qui per Edomum partim Judaeos intelligunt, partim Antichristianos, et judicium Dei in Judaeos ad eorum excidium per Romanos referunt, haereditates a Jacobo possidendas de Christiana Ecclesia, inter Gentes propaganda, interpretantur, et quae de exulibus v. 20. habentur, ad Judaeorum conversionem ultimam transferunt, nec non Judaeorum Interpretes, qui Romanos sub nomine Edomi latitare, et eorum destructionem, ac subjectionem Judaeis, tempore Messiae sui, hic praenunciari, contendunt, mentem paucis, hac occasione, exponam, absque ut in ejusmodi interpretationum refutationem, qua etiam vix dignae sunt, me inmittam. Mihi dubium non est, quin nomina Edomi et Jacobi proprie sint sumenda, illosque designent, qui apud homines illius temporis noti erant illis nominibus, adeoque Esavi et Jacobi posteros: cum quod a proprio nominum usu, sine urgente ratione, quae hic nulla est, discedere nefas sit, multa etiam obstent, quae de Judaeis aut Romanis cogitare vetant, quae brevitatis ergo

Gg 2 omitto,

omitto, tum quod de Idumaeis similes exstent prophetias apud Jeremiam, Ezechielem et Malachiam, quae litteraliter capi tantum possunt, tum denique omnia per Nebucadnezarem et Maccabaeos impleta sint in proprie dictis Idumaeis, ut ex historia constat. AEque mihi certum est, judicium Dei in Edomum depingi, quod partim per Nebucadnezarem, et Cyrum forte, partim per Maccabaeos inflictum est, et ita impletum. Refert quidem Ill. Grotius priorem libri partem usque ad v. 17. ad Senacheribi et Hizkiae tempora, adeo ut judicium in Edomum per Senacheribum fuerit exsecutioni mandatum, et Judaeorum instauratio tempore Hizkiae fuerit facta, sed 1. comparatio cum Jer. XLIX. ei directe adversatur 2. judicium in Edomum cum judicio in omnes gentes conjungitur v. 15., quod est temporis Nebucadnezaris certum criterium, Jer. XXV. Denique 3. de clade Edomitarum a Senacheribo nusquam aliquid tradit historia, minus de totali excidio, quod ipsis a solo Nebucadnezare inflictum est, secundum prophetias Jeremiae et Ezechielis.

§. CCXL. Versus vero 17*mus* tantum abest, ut in tempora Hizkiae quadret, ut temporum, quae exilium Babylonicum secuta sunt, ducat criteria. Verba haec sunt, quae proferam et illustrabo. *Sed in monte Tsione erit evasio* (erunt, qui evaserint; adeoque Hierosolyma reaedificabitur, et inhabitabitur ab exulibus, in eam reversis, tanquam metropolis regni) *et erit sanctus* (scilicet mons Tsion, cum quod, Templo reaedificato, cultus sacer sit renovandus, tum ab extraneis non violandus amplius sit, ut nunc contigit. Quod post adflictionem Epiphanicam praecipue impletum est, Joel. IV: 17.) *et possidebunt domus Jacobi*, seu posteri ejus, *possessores suos* (populos vicinos, in specie Idumaeos, qui etiam, antiquis suis sedibus expulsi, australem Judaeae partem insederunt, et ea ratione eximie adpellari possunt *possessores Judaeorum*.) Quae omnia ex sequente libri parte, cum praecedente omnino

connexa,

[illegible] Posteriore parte [illegible]
[illegible], quam quorum aliter ipse [illegible]
[illegible] Judaeos [illegible]
[illegible] parte [illegible]
[illegible] demonstrat, v. [illegible]
[illegible], v. 8, 9. [illegible]
[illegible] parte, v. 10. 11. Posteriore
[illegible] temporibus, tempore extre-
[illegible], describitur v. 12—14.
[illegible] a 2 initii, quin [illegible]
[illegible] verbis [illegible]
[illegible]
[illegible] quoque ipsis [illegible]
[illegible] v. 19. ad fin.

[illegible] hujus libri explicandi [illegible]
[illegible] dispositio, cum [illegible] in
[illegible] etiam valde aliena [illegible],
[illegible], qui per [illegible] Judaeos
[illegible], et [illegible]
[illegible] per Romanos [illegible], haereti-
[illegible] de Christiana Ecclesia, inter Gen-
[illegible], et quae de exilibus v. 10.
[illegible] conversionem ultimam [illegible],
[illegible], qui Romanos [illegible]
[illegible] destructionem, ac [illegible]
[illegible] sui, hic [illegible],
[illegible] hac occasione, exponunt, [illegible]
[illegible] resurrectionem, [illegible] vix
[illegible] Mihi [illegible], quin [illegible]
[illegible] proprie sint [illegible]
[illegible] illius temporis [illegible] illis
[illegible] et Jacobi [illegible] quod a
[illegible], sine urgente ratione, quae hic nulla
[illegible], multa etiam [illegible], quae de Ju-
[illegible] cogitare vetant, quae brevitatis ergo

quem. Eodem enim tempore auspicati sunt regnum Jeroboam et Rehabeam, nisi quis velit, Jeroboamum uno ante Rehabeamum incepisse anno, adeo ut anni ejus ab eo tempore numerentur, quo, a Propheta designatus, rebellionem meditatus, et a Salomone inpetitus, aufugit in AEgyptum 1 Reg. XI: 24. Quod non est inprobabile, quia Abiam Rehabeamo successisse dicitur anno 18*vo* Jeroboami, 1 Reg. XV: 1. cum debuisset anno 17*mo*, quippe qui *primus* est Abiae; ut mox liquebit. Praeterea eodem tempore occisi a Jehu sunt, Joram Israelis, et Achazia Judae, ac successerunt Jehu et Athalia. Reges autem hujus intervalli, una cum annis regni, ut ex superiore tractatione historica liquet, sunt.

Israelis	Ann.	Judae	Ann.
Jeroboam - - -	22	Rehabeam - - - - -	17
Nadab - - - -	2	Abiam - - - - - -	3
Baesa - - - -	24	Asa - - - - - - -	41
Ela - - - - -	2	Josaphat - - - - -	25
Zimri D. 7.		Jehoram - - - - -	8
Omri - - - -	12	Achazia - - - - -	1
Achab - - - -	22	S.	95
Achazia - - - -	2		
Joram - - - -	12		
S.	98 D. 7.		

§. CCXLIII. Summa annorum Israelis et Judae, ut sibi respondeat, uti debet, cum intervalli sint iidem termini a *quo* et ad *quem*, simul recte constituatur in utroque regno, nonnullis opus est observatis, in quibus me vel adjuvit, vel roboravit Vignolius in Chron. S. 1. *Primum* est, annos *ultimos* decessorum, et *primos* successorum, pro iisdem esse habendos in chronologia constituenda, adeo ut *ultimi* illi non sint numerandi, ex. gr. Rehabeam 17 annos regnasse dicitur, sed 17*mus* ejus fuit *primus* Abiae successoris, adeoque

que 16 anni pleni ipsi tantum dandi sunt, sic in reliquis. Comprobabo exemplis ex utroque regno depromtis. Nadab 1 Reg. XV: 25. regnare coepit ann. 2*do* Asae, et 2 annos regnavit, sed Baesa vers. 33. successit ipsi ann. 3*tio* Asae; regnavit itaque Nadab *unum* tantum annum completum. Baesa praefuit ann. 24, et a. 3*tio* Asae incepit, sed Ela an. 26*to* Asae c. XVI: 8. In regibus Judae idem obtinere duobus etiam exemplis probabo. Asa a. 20*mo* Jeroboami rex factus est, 1 Reg. XV: 8. Abiam vero, Pater ejus, ann. 18*vo* Jeroboami, et 3 annos praefuit; ergo *tertius* Abiae fuit *primus* Asae. Rursus, ann. 1*mus* Achabi, est 38*vus* Asae 1 Reg. XVI: 29. regnavit Asa ann. 41, qui annus respondet 4*to* Achabi: sed Josaphat ei successit eodem anno 4*to* 1 Reg. XXII: 41. Annus itaque 41*mus* Asae est *primus* Josaphati. 2. *Secundum* habet observatum, *duos* annos *Nadabi* in regno Israelis catalogo esse excludendos. Incepit ann. 2*do* Asae: qui est ann. 21*mus* Jeroboami; mortuus ann. 3*tio* Asae, quo eodem anno Baesa coepit 1 Reg. XV. Annus Asae 3*tius* respondet Jeroboami 22*do*, quot ipsi dantur. Unde colligendum est, Nadabum cum Patre regnasse, ita ut 21*mus* Jeroboami, sit 1*mus* Nadabi, et 22*dus* illius sit hujus 2*dus*, qui et est 1*mus* Baesae. Videtur itaque, Jeroboamo plaga mortali percusso, Nadab regnasse.

§. CCXLIV. 3. Tertium habet, Achabo non esse 22, uti vitiose legitur 1 Reg. XVI: 29., sed 20 tantum annos dandos; uti ex initio Achaziae, quod cum Josaphati 17*mo* connectitur, 1 Reg. XXII: 52. patet. Jam vero 1*mus* Josaphati est 4*tus* Achabi 1 Reg. XXII: 41. adeoque 17*mus* Josaph. est 20*mus* Achabi; Achazias vero incepit post mortem Achabi, 1 Reg. XXII: 53, 54. quod historia 2 Reg. I. etiam confirmat. Denique 4. *quartum* est, pro annis 8 dandos esse Joramo, filio Josaphati, tantum 4, quia 4 annos cum Patre regnavit, sicut etiam 2 Reg. VIII: 16. dicitur, eum, vivo adhuc patre, incepisse. Regnum

capessivit Joram anno *5to* Jorami, Achabi filii 2 Reg. VIII: 16. Joram vero hic Achabi incepit an. Josaphati 18vo 2 Reg. III: 1.; annus ergo ejus *15tus*, quo Joram Josaphati coepit, est Josaphati *22dus;* sed ei dantur anni 25. Dicitur quidem Joram Achabi rex factus ann. *2do* Jorami Josaphati 2 Reg. I: 17., unde sequeretur, eum Patri fuisse adsociatum an. ejus *17mo;* sed, si sana sit lectio, oportet ea societate exciderit; et postea restitutus sit: quare illud ad Chronologiam nihil facit.

§. CCXLV. Haec si admittantur observata, Chronologia intervalli hac ratione est ordinanda, respectu annorum regum utriusque regni.

Israelis	Ann.
Jeroboam. - - - -	21
Nadab - - - - - - -	0
Baesa - - - - - - -	23
Ela - - - - - - - -	1
Zimri - - - - - - -	0
Omri - - - - - - -	11
Achab - - - - - -	19
Achasia - - - - - -	1
Joram - - - - - - -	11
S.	87

Judae	Ann.
Rehab. - - - - - -	16
Abiam - - - - - -	2
Asa - - - - - - -	40
Josaph. - - - - - -	24
Joram - - - - - -	3
Achazia - - - - - -	1
S.	86

Catalogus vero regum Israelis major est *uno* anno, quia, ut supra dixi, Jeroboam, uno anno citius incepit. Sed retinemus nos annos Regum Judae, adeoque huic intervallo dandi sunt anni 86.

§. CCXLVI. Tertium intervallum, ab Athalia Judae et Jehu Israelis, qui eodem tempore inceperunt, sese extendens ad finem regni Israelis, seu annum Hoseae *9num*, et Hizkiae *6tum*, sequentes continet reges utriusque regni cum annis, prout in historia exstant.

Israelis

Israelis	Ann.	Judae	Ann.
Jehu - - - - - - -	28	Athalia - - - - -	6
Joachaz - - - - - -	17	Joas - - - - -	40
Joas - - - - - - -	16	Amazia - - - -	29
Jeroboam II. - - -	41	Uzzia - - - - -	52
Zacharias M. 6.		Jotam - - - - -	16
Sallum M. 1.		Achaz - - - - -	16
Menachem - - - - -	10	Hizkia - - - - -	6
Pecachja - - - - - -	2	S. —	143 M. 7.
Pekah Remaliae F. - -	20		
Hosea - - - - - - -	9		
S. —	165		

Ad chronologiam hujus intervalli constituendam, et differentiam summae annorum utriusque regni, satis notabilem, tollendam, praemittendum est, et repetendum, generale observatum, supra demonstratum, annos decessorum ultimos, et successorum primos, pro iisdem esse habendos, exceptis regibus primis, Athalia et Jehu: Athaliae annos 6 completos esse dandos, facile ex eo constat, quod Joas ei successerit anno Jehu *7mo*, 2 Reg. XII: 1. Jehu quoque annos 28 esse relinquendos, ex eo colligi potest, quod anno ejus *7mo*, ut dixi, inceperit Joas Judae, et Joachas, successor Jehu, an. Joasi Judae *23tio:* regnavit ergo Jehu an. 28 plenos, ita ut Joachas successerit anno sequente, seu *29mo* Jehu. Si enim anni Jehu 7 et Joasi *1mus* concurrant, debent etiam 23 Joasi et 29 Jehu.

§. CCXLVII. Praeter hoc generale observatum, chronologiam utriusque regni relinquimus integram usque ad Achasum Judae, et Zachariam Israelis, nulla admissa adsociatione filii cum patre; sicut alii faciunt: cujus rei adcuratior danda est notitia. 1. Annis Joachasi Israelis demi solent 2 vel 3, quia Joas cum Patre tot annos regnasse putatur, hanc ob rationem, quia Joas incepisse legitur ann. *37mo* Joasi Judae 2 Reg. XIII: 10., cum debuisset ann.

39*no* Joasi Judae, si post mortem Patris incepisset, nam Joachas incepit ann. 23*tio* Joasi Judae, et praefuit ann. 17. Verum cum 2 Reg. XIII: 9. Joas diserte post mortem Patris Joachasi demum incepisse legatur, pro 37*mo* Joasi Judae, legere malim an. 39*no*, sicut editio LXX Interp. Aldina habet, adeoque annos Joachasi retinere integros. 2. Quae ipsa observatio etiam adsociationem Amaziae cum Joaso patre in regno Judae tollit, quam passim factam volunt ann. Joasi 37*mo*, vel 38*vo*, quia Amazia rex factus est ann. Joasi Israelis 2*do*. Si jam Joas Israelis incepisset ann. Joasi Judae 37*mo*, annus 2*dus* Joasi Israelis, foret ann. 38*vus* Joasi Judae, qui tamen 40 ann. regnavit. Sed cum Joas Israelis auspicatus est regnum ann. 39 Joasi Judae, ut superius habet observatum, ann. 2*dus* Joasi Israelis respondet ann. 20*mo* Joasi Judae, qui primus est Amaziae, filii ejus: quod Script. S. magis convenit, quippe quae tradit, Amaziam successisse Patri mortuo, 2 Reg. XII: 21. Manent itaque anni Joasi, ut in textu jacent. 3. Inter Amaziam et Uzziam statui solet interregnum 12 annorum, quia Amazia mortuus est Jeroboami 15*to*. Factus enim est rex Jeroboam, ann. 15*to* Amaziae 2 Reg. XIV: 23. regnavit autem hic ann. 29: porro Amazia post mortem Joasi Israelis, adeoque post initium Jeroboami, regnavit ann. 15, 2 Reg. XIV: 1., Uzzias itaque succedere debuisset ann. 15*to* Jeroboami. Sed 2 Reg. XV: 1. illud factum traditur ann. 27*mo* Jeroboami. Verum, cum nullum vel minimum interregni vestigium in Historia occurrat, nec probabile sit in regno Judae, ubi successio dubia non erat, contigisse, minus tot annorum, praeterea, Amazia occiso, populus mox Uzziam legatur fecisse regem 2 Reg. XIV: 21. 2 Chron. XXV. fin. et XXVI: 1. lectionem a. 27 Jeroboami esse adfectam, et ann. 15 substituendam esse malim; quam etiam Jos. confirmat, cum in numeros facile irrepat error.

§. CCXLVIII. Veniamus nunc ad chronologiam regum Israelis,

Israelis, post Jeroboamum, in ordinem redigendam, per sequentia observata. 1. *Primum* est, interregnum post Jeroboamum videri admittendum, non 22 ann., quod nimium est, ut illi faciunt, qui interregnum 12 ann. in regno Judae post Amaziam statuunt, sed 11 tantum. Jeroboam successit ann. 15*to* Amaziae, et regnavit ann. 41; qui ann. 41*mus* respondet Uzziae ann. 27*mo*, si nullum fuerit in regno Judae interregnum; Zacharias vero Jeroboamo demum successit ann. Uzziae 38*vo*, 2 Reg. XV: 8. Dandi itaque sunt Jeroboamo anni 52, vel interregnum est admittendum; quod videtur, ut lectio sine necessitate non mutetur, probabilius, maxime, cum a turbulenta successione in regno Israelis post Jeroboamum non abhorreat. 2. *Secundum* habet, Menachemo non 10, ut textus fert, sed 12 annos esse dandos, ita ut 12*mus* sit 1*mus* successoris, adeoque 11 anni in censum veniant: incepit enim ann. 39*no* Uzziae, sed successor ejus Pekaja, ann. 50*mo* Uzziae 2 Reg. XV. adeoque 11 anni interjacent. 3. Denique inter initium conspirationis Hoseae, ultimi regis, et regnum ejus, intersunt 8 anni, ut supra in historia jam notavi, adeoque regnavit 9 annos, postquam solus incepit. 4. Hisce unum addatur, ad regnum Judae spectans, Achazo non 16, sed 14 tantum, competere annos: Hosea enim incepit ann. 12*mo* Achazi, annus itaque ejus 16*tus* est 5*tus* Hoseae, sed Hizkia successit ann. 3*tio* Hoseae, qui est 14*tus* Achazi. Oportet itaque vel Hizkia cum Patre regnaverit, vel Achaz 15 tantum, ita ut 15*tus*, sit 1*mus* Hizkiae, et Achazo relinquantur 14: quod forte verius, quia primo anno regni Hizkiae mortuus jam erat Achaz, 2 Chron. XXIX.

§. CCXLIX. Concinnemus nunc secundum haec observata chronologiam utriusque regni, hunc in modum.

Iſrael.	ann.
Jehu - - - - - - -	28
Joachas - - - - - -	16
Joas - - - - - - - - -	15
Jeroboam II - - - -	41
Interregn. - - - - - -	11
Zachar. Sallum - - -	0
Menachem - - - -	12
Pekaja - - - - - - -	1
Pekach - - - - - -	20
Conſpirat. Hoſeae - -	7
Hoſea - - - - - - -	9
S. —	159

Judae	Ann.
Athalia - - - - - -	6
Joas - - - - - -	39
Amazia - - - - - -	28
Uzzia - - - - - -	51
Jotam - - - - - -	15
Achas - - - - - -	14
Hizkia - - - - - -	6
S. —	159

§. CCL. *Quartum* intervallum, quod eſt regum Judae ſolorum, facilius ordinatur, cum nullas injiciat difficultates, ex comparatione cum regibus Iſraelis oriundas. Fuerunt autem hujus intervalli reges cum annis eorum.

	ann.
Hizkia - - - - - - - - - - -	23
Manaſſes - - - - - - - - - -	55
Amon - - - - - - - - - - - -	2
Joſia - - - - - - - - - - - -	31
Joachaz M. 3.	
Jojakim. - - - - - - - - - - -	11
Jechonia M. 3. D. 10.	
Tſedekias - - - - - - - - - -	11
S.	133

Nihil hic notandum occurrit, quam annos ultimos deceſſorum et primos ſucceſſorum, uti antea, eſſe eoſdem, excepto Hizkia, cujus anni intelligendi ſunt completi, cum ann. 14*to* regni fere finito inciderit in morbum, et Deus addiderit 15 annos, utique plenos quoque, adeoque dandi ipſi

ipsi 29 anni completi, quorum 23 ad hoc pertinent intervallum, anno enim ejus *6to* destructum est regnum Israelis. Praeterea Josiae competunt, una cum filio Joachaso, anni 31, sicut Jojakimo cum Jehojachino anni 11. Qua ratione intervallum hoc continebit annos 130. Quibus si addantur *tertii* intervalli anni 159, *secundi* 86, *primi* 36, anni totius periodi usque ad captam Hierosolymam erunt 411, et uno addito, ad Templum combustum, 412. Quot itaque periodo dandi sunt.

§. CCLI. Sed huic chronologiae nostrae cum obstare videatur visum Ezech. IV., in quo fundari solet periodi duratio, de eo mentem exponere necesse est, ne quis hic obhaerescat. Jubetur propheta lateri sinistro incumbere dies 390, *ut portet iniquitatem domus Israelis*, dein 40 dies alios pro *iniquitate domus Judae*, addito, *dies* ipsi loco *annorum* esse datos. Hinc colligi solet, iniquitatem utriusque regni, epocha defectionis a *tertio* Rehabeami ducta, ex 2 Chron. XI: 17. et XII: 1. durasse ann. 390: cum secundum nostrum computum inde, usque ad destructionem Hierosolymae, tantum 373 anni fluxerint. Nititur haec opinio de fundo chronologiae in hoc viso constituendo *tribus* hypothesibus, 1. annos 390 tantum in censum venire, 2. eos ad tempus defectionis praeteritae, et quidem utriusque regni, pertinere 3. ejus denique epocham esse ann. 4*tum* Rehabeami. Quae hypotheses precariae sunt et falsae, ab intellectu emblematico visi, ejusque scopo, alienae, et ei contrariae; quod jam vidit et demonstravit Vignolius in Chron. S. tom. I. nos fusius et distinctius in comment. MSS. ad Ezech., quare nunc, ne moras traham nimias, *theses* posuisse, ad intellectum et scopum visi in lucem proferendum, et verbo adstruxisse, suffecerit. *Prima* est, Prophetam hic non, ut modo antea, hostium obsidentium, sed obsessorum, et in exilium abductorum, gerere personam. Dicitur utique *iniquitatem* utriusque domus *portare;* sicut mox v. 13. emblemate penuriae et sordidi victus ac potus subjungitur, *sic*

comedent filii Israelis inter gentes etc.: Refertur quoque positura ejus ad *obsidionem* ejus v. 8. argumento, ipsum nunc obsessorum gerere personam. *Secunda* thesis habet, posituram prophetae conspectum praeferre, non *peccati*, sed *poenae*, adeoque phrasin *ferre iniquitatem*, significare *poenam* ejus ferre: quae usitata est ejus significatio, Jes. LIII. Ez. XVIII: 20. et alibi. Ipsa quoque positura, quae et *ligationem*, et *cubationem* super *lateribus*, comprehendit, non nisi ad malum triste, ex peccato ortum, referri potest. *Tertia* fert, *durationem* positurae ejus *duplicem* habere respectum, *alterum* ad tempus obsidionis Hierosolymae, tanquam totius regni, Israelis et Judae, verae metropolis, ab Israele repudiatae, et Juda contaminatae, *alterum* ad tempus status urbis vilis, servilis, et adflicti, post Hierosolymam nunc destructam. *Prior* relatio, directe intenta, ad obsidionis durationem, inde clare elucescit, quod *dies obsidionis* adpellentur, et prophetare jubeatur contra Hierosolymam obsessam, denique numerus dierum 390 et 40 exacte conveniat durationi obsidionis Hierosolymae: ut supra suo loco demonstravi. *Posterior* duobus innixa est fundamentis, *uno*, quod *dies* prophetae dicantur pro *annis* dati, *altero*, quod sequens emblema, idem temporis spatium continens, diserte ad statum in exilio, seu *inter gentes*, adplicetur vers. 13. Quod ad *prius* adtinet, (de *posteriore* enim per se claro non necesse est agere,) cum *dies* ipsi pro *annis*, quibus ferret *iniquitatem* populi, sint dati, alterutrum est statuendum, vel totidem annos durasse *iniquitatem* populi, vel duraturam *poenam* ejus, adeoque hanc ulterius quam ad obsidionem extendi, ejusque tempus. Sed prius, quod communiter statuitur, admitti nequit. Praeterquam enim quod nulla queat dari ratio, quare prophetae imponeretur repraesentatio *temporis* durationis defectionis, multo minus per *cubationem* super lateribus, 1. visa et somnia prophetica non ad praeteritum, sed futurum tempus respicere soleant, sicut et hic fit v. 13. 2. phrasis *ferre iniquitatem*,

iniquitatem, et emblema ligationis ac cubationis ſuper lateribus, nos manifeſte ad *poenam* iniquitatis, tam diu duraturam, ducit: uti ſupra jam obſervavi. 3. Chronologiae neutiquam conſenit. Praeterquam enim, quod terminus *a quo* definiri nequeat, ſolet quidem in *tertio* Rehabeami figi, ſed ſine ſolido fundamento, nec ab eo tempore dici poteſt ſemper duraſſe iniquitas, utique non ſub piis regibus Judae, ne quidem Iſraelis, tot annos 390 ſuperfuit: anni 430, quot efficiunt 390 et 40, in tempus a 3*tio* Rehabeami non quadrant: ut e ſuperioribus manifeſtum eſt.

§. CCLII. Referamus itaque ad ſtatum futurum, et ſtatuamus, Deum ideo dixiſſe, *dies* pro *annis* ipſi datos eſſe, ut, viſum non eſſe ad tempus obſidionis reſtringendum, licet eo proprie et directe ſpectet, ſed ulterius, et ſenſu ſecundario, ad futurum extendendum, ſignificaretur, ut ſimul ſtatus populi, *cubationi* ac *ligationi* prophetae reſpondens, abjectus ſcilicet, infirmus, et ſervilis, tot annos, ſeu 430, duraturus expingeretur. Cum enim diviſio dierum in 390 et 40, ad tempus duplicis obſidionis reſpiciat, de utriſque autem dicatur, eos loco tot annorum eſſe, eos ſimul ſumendos eſſe reſpectu ſtatus futuri, adeoque eum 430 annos duraturum eſſe, manifeſtum eſt. Eorum autem terminus *a quo* cum ſit Hieroſolymae deſtructio, per dies cubationis, proprie ſumtas, expicta, *terminus* ad quem, ſi hiſtoriam conſulamus, incidit in tempus Jonathanis Maccabaei. De quo vid. comm. noſter ad Dan. XI et XII. §. 239. quare plura non addo.

TERTIA PARS.

DE

POPULIS VICINIS, ET AERIS CELEBRIORIBUS.

§. CCLIII. DE populis, quibuscum Israeli et Judae res fuerunt, acturus, a vicinioribus incipiam, et inter eos a *Tyriis*, populo Dei, a tempore Da-

Tyrii vidis, amicioribus, et sub Salomone maxime jam florentibus, ac pomoeria sua dilatantibus. Regum Tyriorum duplicem ex Menandro Ephesio, qui eorum annales Graece vertit, Catalogum recenset Jos. contra Ap. l. I. §. 18: unum a tempore Davidis, alterum a Nebucadnezaris. Quocum conferendus Theophilus ad Autol. l. III. et Georg. Syncellus. *Prior*, qui ad hanc nostram pertinet periodum, adeoque hic tantum tractandus, catalogus incipit ab Abibalo, cujus anni non adduntur, et ejus filius v. 34. ac successor memoratur *Hiram*, qui ann. 34 regnavit, cujus ann. 12mo Templum dicitur a Salomone fundatum: unde liquet, eum ann. 32*do* Davidis incepisse, adeoque ab ejusdem nominis Hiramo, in historia Davidis celebrato, distinctum, et eo recentiorem fuisse, cum vixerit in principio regni Davidis, 2 Sam. V. 1 Chron. XIV: 1. Cum vero pater Hirami nostri in fragmento Menandri adpelletur *Abibalus*, videtur antiquior Hiram ejus fuisse avus. Fuit autem arcta conjunctio et societas inter Tyriorum et Israelis Regis; ut ex historia Davidis ac Salomonis patet. Ceterum Hiram, de

quo

quo nunc agimus, Salomonis exemplum secutus, pomoeria Tyri dilatavit, et, aggere facto, insulam adnexuit continenti, urbemque in continente condidit, et aulam in eam transtulit, quae nova tunc urbs postea fuit *Palaetyrus*, antiqua Tyrus, adpellata; praeterea splendidum in ea construxit Templum, Herculi et Astartae sacrum. Vid. Jos. contra App. l. cit. et Ant. l. VIII. c. 5.

§. CCLIV. Quae ut rectius intelligantur, notari velim; Tyrum *insularem* fuisse ea in *continenti* longe antiquiorem, posteriorem demum tempore Salomonis ab Hiramo conditam, dein a Nebucadnezare, ut postea videbimus, destructam, quando refloruit *insularis*, et altera illa nomen accepit *Palaetyri*, respectu scilicet *insularis* resurgentis. Communis quidem fert opinio, vetustiorem fuisse in continente; imo Marshamus contendit, insularem non nisi post eam destructam a Chaldaeis ortam fuisse: quod refutavit jam C. Vitringa ad Jes. XXIII. qui censet, insularem fuisse navale continentis, sed verior mihi videtur sententia, quam Vignolius adstruxit, *insularem* esse antiquissimam, a Sidoniis conditam, quare *filia Sidonis* adpellatur Jes. XXXIII; quod etiam a Justino l. 18 traditur. Sidonii autem originem suam debent *Sidoni*, primogenito Canaanis Gen. X. Primum fuit castellum in insula Jos. XIX: 24. מבצר *munimentum* dictum. Vox צר *rupem* denotat, et eo nomine primum tota insula, rupibus cincta, fuit insignita, dein *urbs* in ea. Mansit haec insularis in vigore, donec, civium copia incitati, Tyrii *novam* condiderunt in continente, 100 annis post insularem, tempore servitutis Ammoniticae: Vid. Jos. l. c. Quam sub Salomone exornavit Hiram, et aggere facto junxit insulari, et palatium ibi condidit, Templum magnificum exstruxit, ac splendidissime vixit instar Salomonis, quem fuit imitatus. Quo omnino referenda, et ex quo explicanda, est illustris pericopa de Tyro Ezech. XXVIII: 13—16. ut in comm. Mss. ad Ez. exposui: cujus summam tradam.

§. CCLV. Tyri *insularis*, ex mea opinione, statu glorio-

so, et ignominioso ac miserabili, eum secuto, prophetico descripto, v. 1—11. Propheta, per modum lessus, Tyri *continentis* eundem utrumque statum eodem modo depingit, ne illa Tyrus, in praesente florens, meliorem se habituram esse sortem, opinaretur; adeoque utriusque Tyri statum triste, ut c. XXVII. factum erat, repraesentaretur. Tyri enim continentis haud obscura sese hic offerunt indicia, praecipue in comparatione sedis ejus cum paradiso, et projectione regis in terram. Sunt autem pericopae, aeque ac superioris, duae partes, quarum *prior* picturam continet splendidae, felicis, et tutae conditionis, *posterior* judicii Dei in Tyri Principes. In *priore*, v. 12—16. quae nos nunc tenebit occupatos, et autoritas, sapientia et splendor regis Tyri depingitur, v. 12. his verbis: *tu obsignator et exactae dimensionis, refertus sapientia, et consummatus pulchritudine.* Quae proxime conveniunt vers. 3. nec multum habent difficilis, nisi in primo membro חותם תכנית *obsignans exactam dimensionem:* ut voces sunt vertendae. Est enim תכנית perfectus, et ad libellam exactus rei modus, secundum tres dimensiones, longi, lati, et profundi, a rad. תכן *libravit*, ad *libellam exegit*, mensuravit, ponderavit. Quem modum *obsignare*, est, eum suprema cum autoritate, quae nullam relinquit contestationem, definire, et determinare, sigillo quasi inpresso. Admittit phrasis duplicem sensum, magis minusve proprium: priore dicit, regem Tyri sua sapientia et autoritate *modum* ponere omni structurae et commercio, ita ut res tanti sint, et valeant, quanti definiverit Tyrius. Posteriore vero, per modum proverbii, significabit, Tyrium sua sapientia omnia exacte demetiri, et definire, adeo ut nihil ei sit abstrusum, ut v. 3. dictum erat, nihil ipso superius, ipseque modum et mensuram omnis scientiae et artis ponat, et, autoritatis quasi sigillo inpresso, definiat. Pertinet ergo phrasis ad sapientiam, et autoritatem regis Tyrii exaggerandam.

§. CCLVI. B. Fastus, opulentia, et luxus describitur v. 13.

In

In Edene, horto Dei, fuisti omni lapide pretioso tectus — — — — et auro. Quorum sensus est, Tyrium fuisse totum cinctum, ornatum, et obtectum *gemmis* pretiosissimis, quae quidem exprimuntur, sed hic explicandae non sunt, et *auro:* additur, *opus* (artificiosissime *concinnatum*, quod proprie est מלאכת) *tympanorum tuorum, et tibiarum tuarum in te*, vel *apud te*, ut c. XXVII: 9. (omne genus instrumenti musica tibi praesto sunt, quorum duae tantum memorantur species, sed quibus omnia alia comprehenduntur [illegible]) *die, quo creatus es, parata sunt* (scilicet, omnia modo memorata, et *locus* habitationis, et *tegumenta* pretiosa, gemmis et auro radiantia, et instrumenta *musica.*) Quae omnia dicuntur *parata* fuisse, et Principibus Tyri adplicita, quo tempore *creatus* est, non primum natus, ut accipi solet, sed rex Tyri *continentis* factus splendidus. Quo ad Hiramum ducimur, progenitorem Regum Tyri *continentis:* quippe qui primus regum istam urbem splendidissime ornavit, et sedem regni fecit, loco Tyri *insularis*, minus illustris. Verbum ברא veram et originarium suam potestatem exserit, qua denotat quid *exasciatum*, et politius dedolatum, perficere ac consummare. Quod hic tetigisse suffecerit. Rex itaque *creatus* dicitur, quatenus est politior, nitidior, et perfectior factus; quo ipso tempore omnia illa, modo recensita, sunt confecta et parata. Ad illud igitur respicitur tempus, quo Rex Tyri novam ac politiorem accepit sedem, et ipse in summo est constitutus splendore. Quod tempore Salomonis contigit, quo Hiramus Tyrum *continentis* concinnavit, exornavit, ad exemplum Salomonis et sedem regni fecit, ipseque summo splendore collustratus, et omnium bonorum ac deliciarum adfluentia gavisus, adeo ut in aliquo *paradiso* censeri potuerit versatus, et gemmis ac auro undiquaque adfulserit, quibusvis voluptatibus, ac instrumentis musicis delectatus. Huc enim omnia tendunt, nec eo conspectu considerata aliquid habent difficultatis. Addatur, Tyrum *continentis*

fuisse in fertilissimo et amoenissimo, testibus Historicis et Itineratoribus, tractu, ita ut cum *Edene* et *horto Dei* potuerit comparari. Nec inprobabile est, digitum ad Salomonem et Hierosolymam intendi, cujus magnificentiam imitatus est Hiram, ita ut tanquam alter Salomo, respectu sapientiae, splendoris, pompae, deliciarum et opum, depingatur.

§. CCLVII. γ. Securus et invincibilis status regis graphice describitur, uti supra v. 2. fuerat praemissus, *his verbis* v. 14. *Tu, Cherub unctionis obsepivit te, et vidi te, in monte sanctitatis Dei fuisti, in medio lapidum ignis ambulasti,* h. e. benigna mea providentia factum est, ut in loco tuto degeris ac securo, acsi Angelus, custos regiae majestatis, te, ut olim paradisum, sepimento protexisset, et in monte sancto ac inviolabili versatus esses, in medio fulminum, aditum ad te reddentium inaccessum, ambulasses. Est, ut opinor, emblematica delineatio status et loci securi, et undiquaque tuti ac muniti: quod hic unice quadrat, et ex collatione v. 2 ac 17 et 18., confirmatur. Primum emblema desumtum est ab Angelo, regiae Majestatis terribili ac potente custode, (quare *Cherub unctionis*, seu angelus majestatis videtur adpellatus,) cum adlusione ad paradisum a Cherubo, flammante gladio praedito, custoditum, ne invaderetur Gen. III. quo in tertio emblemate *lapidum ignis*, de quo mox, etiam forte respicitur. Sunt autem verba reddenda, *tu, cherub unctionis obsepivit te*, vel *sepimentum tuum fuit*, ita ut את *tu*, et הסוכך *protegere* vel *sepimentum tuum*, idem sit, ac Cherub fuit protegens te, vel sepimentum tuum: voce את *tu* cum emphasi redundante, vel pro, *quod ad te adtinet.* Vocabulum vero הסוכך non est verbum סכך, sed ex pronomine adfixo ךְ *te* foemin., ut אתְּ quoque, quia rex hic occurrit ut protegendus, et non protector, et rad. סוך vel שׂוך proprie *spinis obsepsit*, vel texuit, inplicuit: unde סכסך non *miscere*, sed spinosum

esse,

esse, horrere aculeis: quare in eo frequentatur, qui armis et telis undique horret, et ממשח potentiam denotat terribilem, et inaccessam. Construi vero debet cum כרוב *Cherub*, sive sit infinit. in Kal *obsepire te* pro obsepivit te, sive nomen סך *sepimentum tuum*, terribile et inaccessum. Non ergo est ipse rex *Cherub*, sed hic ejus protector, cui non repugnat vers. 16., verti enim debet, *perdidi* vel *disjeci te de Cherubo obsepiente te*, ut per ellipsin praef. מ *de* ex praeced. et sequenti.

§. CCLVIII. *Secundum* est a *monte sanctitatis Dei* petitum, in quo rex fingitur a Deo positus versari, his verbis: *et dedi te, in monte sanctitatis Dei fuisti*, h. e. concessi tibi habitationem quasi in monte sanctitatis Dei, seu loco sacro, inviolabili, et tuto: uti v. 2. *sedem Dei insideo, in media maris*. Voces, *in monte sanctitatis Dei* cohaerent cum *dari* et *esse*, et, quem dedi, fundunt sensum, regem scilicet, per Dei *concessionem*, quam verbum *dare* hic designat, fuisse in eo loco versatum. *Tertium* emblema, *in medio lapidum ignis ambulasti*, vel ad *murum igneum* Zach. II. 9. respicit, vel ad fulmina et tonitrua, quibus locus fit terribilis et inaccessus, forte cum adlusione quoque ad Cherubos, paradisum tutantes per gladium flammantem, et continuo vibratum, seu fulmina et tonitrua. Quod tetigisse sufficerit. Longiores enim moras non licet trahere. Subjungitur denique superioris status felicis et tuti *ratio* et *terminus*, dum rex ab integritate morum laudatur, et terminus figitur in ejus corruptione vers. 15. *Integer tu in viis tuis a tempore quo creatus es, donec inventa fuit in te iniquitas tua.* Quae nihil habent obscuri.

§. CCLIX. Succedat, ut et situs et originis habeatur ratio, regnum *Syro-Damascenum*, quo infestiorem non habuit Israel hostem, jam a tempore Salomonis, per totam fere periodum. De ortu regni Damasceni supra, in historia Salomonis, dicta ne repetam, de Damasco, et primi regis successoribus, eorumque gestis ac fatis, disseram, Damascenum Regnum

quantum scopus exigit. Vid. Muller in Thesauro novo Ikenii etc. tom. I., et Vitringa ad Jes. XVII. ne alios memorem. Nomen דרמשק, proprie דר-משק *Darmesek* 2 Chron. XVI: 2. XXIV: 23. denotat habitaculum, (דור enim est *habitare*) vel *irriguum* (a rad. שקה, unde משקה *locus* irriguus) qui agri, vel convallis ejus, est proprius character, vel *discursationes*, (a rad. שוק, שקק *discursitare*; procurare) ut sit planities, in qua commercii causa discurritur, *forum* quasi *gentium*, quale vere fuit. Sita est urbs in ampla planitie, non inter Libanum ac Anti-libanum, ut vulgo putatur, sed Anti-libanum et Hermonem montes; ad ortum Sidonis, supra Cananaeae plagam borealem. De quo ex Maundrello, Cotovico, Petro Vallensi, aliisque itineratoribus nunc satis constat. Tradit ex. gr. Maundrel, trajecto Libano, eique subjecta valle, hoc tempore *Bocat* dicta (quae est ipsissima בקעת און Am. I: 5. *vallis* vel *vanitatis*, vel potius, si און *On* punctetur, *solis* in lingua AEgyptiaca,) nec non Anti-libano, venisse demum in vallem Damascenam. Ceterum ab hac urbe nomen *Syriae Damascenae* tractum est, ut ab aliis regionibus, *Syriae* seu ארם *Aram*, nomen gerentibus in Script. S., distinguatur; uti sunt Syria Palmyrena, (Aram-Tsoba) Trans-euphratensis, inter Euphratem et Chaboram fluvios (Aram Naharaim) campestris ibid. (Paddan Aram) Syria Cananaea (Aram Rehob, et aram Maacha.) Tractus autem Damascenus est amoenissimus fertilissimusque, irrigatus maxime a fluvio Chrysorrhoa, in multos rivulos sese effundente, et recta in urbem ferente, eamque secante mediam, ut *gemina* videatur urbs, inde, ut putatur, עירר Jes. XVII: 2. dicta. Celebrantur etiam fluvii ejus Abana et Pharphar, prae reliquis 2 Reg. V: 12. sed פרפר forte idem est ac *Chrysorrhoa*, ab auro sponte emicante, vel exsiliente, unde regio *aurifera* nomen אופיר *Ophir* traxit. Radices enim vicinae אפר, פרר et פר proprie denotant; *micuit* cum *fervore*; agitatione fervida, unde אז *aurum* purissimum, ultro e terra exsiliens,

exsiliens, et subsultim, seu vibrantibus radiis, exsplendescens, transfertur. De conditore urbis nihil constat, nisi quod Jos. Ant. I. eum, ex traditione forte vel antiquis monumentis, fuisse tradat, unum filiorum Arami, *Usum* dictum; cui robur aliquod addere posset, quod tractus Damascenus Arabibus adpelletur *Gauta*, vel cum articulo praemisso *Algauta*, quod nomen ex עוט vel עוץ *Uta* censeri posset formatum. Antiquissimam fuisse urbem, facile praesumitur, nec tamen ex Gen. XIV: 5., ubi memoratur, pro certo id colligi potest, cum per anticipationem id fieri potuerit, uti in aliis Gen. locis fit, maxime cum a tempore Abrahami, usque ad Davidem, ejus nusquam fiat in Historia mentio.

§. CCLX. Recenseamus nunc Eljudae, qui tempore Davidis ibi regnavit, sed ei obnoxius, ac *Rezonis*, filii ejus, qui tempore Salomonis factus est sui juris, adeoque liberi regni conditor haberi potest, de quibus supra exposui, successores, eorumque gesta et fata enarremus. Ex Nicolai Damasceni traditione apud Jos. Ant. VIII. 5. reges omnes epitheton *Hadadi* habuerunt, et per continuam successionem, usque ad *decimam* generationem, ex una eademque stirpe orti, ibi regnarunt. Quod respectu nominis, tanquam epitheti, verum esse potest, uti nomen *Benhadad* docet, et a more Veterum non est alienum; petitum enim illud est a Baale, vel *sole*, dicto הדד seu אדד, in illo tractu coli solito. Sed successionem fuisse per Hazaelem interruptam, historia sacra docet, licet fieri potuerit, ut ad Hadadi familiam redierit, quod etiam statuit C. Abel in Histor. Monarch. l. I. ubi de hoc regno plura habet. Filius Rezonis memoratur 1 Reg. XV: 18. Tabrimmon, sed de quo nihil aliud narratur. Filius, et successor ejus Benhadad, tempore Asae Judae, et Baesae Israelis, sese celebriorem praestitit, ac rebus Israelis sese inmiscuit, ab Asa contra Baesam in auxilium evocatus, et Israelem varie adflixit 1 Reg. XV.: ut suo loco narravi. A quo tempore conti-

 nuum

nuum ferc bellum inter eos fuit, ſive ex aemulatione, ſive aliunde, forte ex hoc ipſo caſu, natum, adeo ut longum fuerit tempus, ſi per *triennium* non exarſerit 1 Reg. XXII: 1. Excepit ipſum, non, ut putatur, Hazael, ſed Benhadad ejus filius, adeoque IIdus ejus nominis, quocum bellum fuit Achabo 1 Reg. XX. et ſeq. uti recte notavit Vignolius, Pater enim ejus fuit, qui Achabo eripuerat urbes 1 Reg. XX: 34. Is eſt, cujus mortem adceleravit Hazael, et cui regnum eripuit, ſecundum praedictionem Eliſae 2 Reg. VIII. adeoque ad aliam tranſtulit domum. Hazael vero, ejus ſucceſſor, vehementer adflixit Iſraelem et adtrivit, eodem praedicente l. c., omnibus diebus Joachaſi, 2 Reg. XIII. ut ſupra vidimus. Ipſe quoque Juda multum ab eo eſt paſſus 2 Reg. XII. et Chron. XXIV. ſub Joaſo, filio Achaziae. Succeſſit ipſi Benhadad filius ejus 2 Reg. XIII: 24. quem ſuppreſſit Joas, filius Joachaſi: tribus enim vicibus ipſum profligavit, ſecundum praedictionem Eliſae, et urbes, Iſraeli ereptas, recuperavit, 2 Reg. XIII. Imo Jeroboam II. *Damaſcum* et *Chamat* reduxit ad regnum Iſraelis, ib. XIV: 25. quatenus tributarium fecit regnum Damaſcenum; quod eo tempore valde fuit humiliatum et adtritum. Sed, Jeroboamo mortuo, et rebus regni Iſraelis valde turbatis, emerſit Damaſcenum, ſimul Iſraeli foedere deinceps junctum, uti ſub ultimo rege *Retſin*, cum Pekach Remaliae, rege Iſraelis, qui unitis conſiliis et viribus regnum Judae invaſerunt ſub Achaſo Judae, ſed in propriam perniciem, regni quoque Damaſceni interitum per Tiglatpulaſſarem, regem Aſſyriae, ab Achazo in auxilium vocatum: ut ſupra habuimus.

§. CCLXI. Contigit fatalis ille caſus regno Damaſceno ann. Achaſi 4*to* vel 5*to*, quippe biennio vel triennio poſt eorum regum invaſionem in regnum Judae, et prophetiam Jeſ. tunc publicatam, uti ex Jeſ. VII: 15, 16. coll. VIII: 4. elucefcit, edita enim eſt prophetia ann. 2*do* vel 3*tio* Achazi. Una cum regno ipſa Damaſcus fuit deſtructa, et

incolae

incolae in *Kiram*, Mediae regionem, transportati sunt in exilium. De urbis eversione, licet sint qui illam adtritam tantum velint, nos dubitare non sinit prophetia Amos. I: 4. et comparatio cum Samaria Jes. X: 9., ne memorem incolarum deportationem, signum destructae urbis. Postea tamen reaedificata est, et refloruit, ut ex Jer. XLIX: 23. colligi potest. Regionem vero קיר *Kiram* in Media quaerendam esse, Elymaidi vicinam, a Boch. Geogr. S. p. I. IV. et Vitringa ad Jes. XXII. et aliis, satis comprobatum est, et ex Jes. l. c. constat, circa Elymaeos fuisse, ubi v. 6. dicitur, *Elam gestavit pharetram* etc. *Kir nudavit clypeum.* Nomen videtur *urbem*, eximie sic dictam, significare, voces enim קירה, קרוה, קרתא lingua orient. urbem designant, et ab urbibus adpellandis non abhorrent. Ceterum inter causas hujus judicii, praeter luxum, superstitionem, in primis nefandam idololatriam, in filiis Molecho per ignem offerendis, locum praecipue tenet continua non tantum populi Dei infestatio, sed maxime hostilis invasio in regnum Judae, proxime facta sub Achaso, quo dictum Jes. XVII: 4. facit, *haec sors est populantium*, *haec pars vastantium nos*, denique summa illa crudelitas in Gileaditas, quos *tribulis ferreis trituraverant*, Am. I. sive illud proprie sit intelligendum, sive quascunque crudelitates, phrasi proverbiali, denotet, sive potius utrumque sit conjungendum. Respicitur autem ad facta Hazaelis et Benhadadi, 2 Reg. VIII: 13. et XIII: 3, 4, 7.

§. CCLXII. Transeamus, praeteritis Ammonitis, Moabitis, Idumaeis, et Philistaeis, in circuitu populis vicinis, quorum historiam periodo praecedente dedi, et gesta ac fata hujus periodi in historia Israelis et Judae enarravi, ad paulo remotiores, Arabes Cuschaeos, ac AEgyptios, dein magis remotos Assyrios et Chaldaeos, quibuscum Israeli et Judae multum intercessit negotii. Incipiamus ab *Arabibus*, in primis Cuschaeis, de quibus Vid. praeter Beroaldum in Chron., Bochart. Geogr. S. Relandus in Palaest. et Vi-

tringa ad Jes., etiam Asseman. Bibl. Orient. tom. IV. Nos paucis eorum situm, statum politicum, ac gesta, ad scopum pertinentia, describemus. Vastus iste tractus ab Euphrate ad sinum Arabicum a Scenitis et Nomadibus, sedes saepe mutantibus, (ex qua permista colluvie nomen ערב *Arabs*, latae significationis, originem repetit Jer. XXV: 24.) occupatus fuit, in primis Ismaelitis, Midianitis et Cuschaeis; quorum sedes verbo monstrandae sunt. *Nabataei*, seu Ismaelitae, ex Nebajot, filio primogenito Ismaelis, oriundi Gen. XXV., tractum Arabiae Petraeae in principio insederunt ab Havila, proxima Cananaeae, usque ad confinia AEgypti, Gen. XXV: 18. Postea latius excurrerunt versus ortum, ac partem Arabiae desertae tenuerunt, partes quoque Cananaeae septentrionalis ab oriente, imo totam regionem ab Euphrate ad mare Rubrum, ut Jos. Ant. l. I. tradit. Quos sub nomine Nabataeorum descripserunt Diod. Sic., Strabo et Plinius: postquam Syro-Macedonibus et Romanis, post Alex. M. tempora, magis fuerint noti facti, et celebres.

Nabataei

§. CCLXIII. Ceterum, ut illud hac occasione observem, Ismaelis posteri, in duodecim quasi tribus, seu familias, divisi, progenitoris secuti exemplum, vitam degerunt scenıticam et latrocinalem, cum aliis populis sese non commiscentes, potius hostiliter agentes, ita ut in quosvis irruerint, et eos spoliarint, et inpetum quoque ab iis passi sint, statum suum liberum per omnia secula hucusque strenue tuiti, absque ut domari potuerint, sicut ex historicis antiquis, modo memoratis, et recentioribus, satis constat: adeo ut vaticinium Hagari factum Gen. XVI: 10, 12. de Ismaele exactum habuerit inplementum, quo ipsi dictum est, posteritatem ejus in inmensum esse multiplicandam, et ipsum fore *onagrum* inter *homines*, solitarium, indomitum, et agrestem, simul latrocinalem degentem vitam, ita ut ejus manus sit contra omnes, et omnium contra ipsum. Recensentur vero ejus filii duodecim, totidem tribuum progenitores, et una

cum

cum locis habitationis, vel peregrinationis eorum, ex peculiari fchedula, Gen. XXV: 12—18. Memorantur ibi duodecim filii ejus, et *principes populorum fuorum* adpellantur, qui Graecis poftea dicti funt φυλαρχαι *Phylarchae*, principes tribuum, in quas divifi fuerunt: adtribuuntur quoque illis *villae* et *caftella*, feu congregationes tentoriorum ad modum villae circa *caftellum*, vel tentorium Magnatis. Vox חצר, cujus radix in origine denotat *ftipare*, ftipando claudere, arctare, circumdare, et fecludere, inter alia tranfiit ad fepimentum, et caulam fepto inclufam, et inde ad atria, tanquam facra fepta, et *villas*, etiam urbes, inde ortas. Hoc loco funt, ut dixi, tentoriorum congregationes, et *caftella* palatia principum, fuerunt enim Ifmaelitae *fcenitae* Arabes, in tentoriis habitantes, Jer. XLIX: 13.

§. CCLXIV. Habitaffe dicuntur Gen. XXV: 18. *a Chavila ad Sur, qui eft e regione AEgypti, et qua itur in Affyriam;* additur, *coram omnibus fratribus cecidit*, fcilicet, Ifmaelem, fcenitarum agentem vitam, in confpectu fratrum, ex Sara et Ketura natorum, per totum tractum Arabiae Petraeae, et defertae, vagatum fuiffe, caftra, feu tentoria, nunc hic nunc illic jaciendo. Definitur ille tractus 1. per terminos a feptentrione et meridie, quorum *ille* eft Chavila ad auftrum Cananaeae, *hic* vero Sur verfus AEgyptum, 2. per orientalem terminum, ubi additur, *verfus Affyriam.* Significatur itaque, totum illum tractum Arabiae inter Euphratem et finum Arabicum, fuiffe ab Ifmaele infeffum, quatenus ubique per eum fixerit tentoria, et caftra jecerit, tanquam fcenita, qui latrocinalem degit vitam: quod ibi denotat נפל *cecidit*, h. e. caftra et tentoria pofuit; uti Jud. VIII: 12. Adhibetur verbum שכן Gen. XVI: 12., fed c. XXV. additur נפל *cadere*, ut de temporaria ac tumultuaria cogitaretur habitatione; qualis fcenitarum eft, qui hic illic pro brevi tempore figunt tentoria: quod a verbo שכן non abhorret, quippe abfolute aliquando pro *tentorium figere* fumitur, Ex. XL: 35. Pf. LXXVIII: 60. Zach. II: 14, 15.

et alibi. Ismaelem in eo vitae instituto, eodem etiam tractu terrae, secuti sunt ejus posteri; quare historicus, licet Ismaelem directe intendat, num. sing. utens in נפל *cecidit*, ibid in plur. dicit *habitarunt*, ad posteros ejus digitum intendens. Nabataeis autem veteres sedes relinquentibus, eas occuparunt *Amalekitae*, ab Amaleko, Esavi nepote, oriundi Gen. XXXVI. Sic Num. XIII: 29. *Amalek habitat in terra Austri*, seu parte australi Cananaeae, imo *a Chavila ad Sur versus AEgyptum* 1 Sam. XV: 7. nec non XXVII: 8. ubi, ex priore loco, pro מעולם, quae vox nihili est, leg. מחוילה *a Chavila* etc. *Midianitae* Abrahamo ex Ketura oriundi Gen. XXV: 2. ad ortum Moabitarum, et maris Sodomaei, in parte Arabiae desertae aquilonari, versus Euphratem, versati fuerunt: uti patet ex historia Midianitarum ac Moabitarum, in Israelis perniciem conspirantium, Num. XXXI. coll. c. XXV: 17, 18. nec non ex Jud. VI: 1.—VII: 5. ubi Jordanem transgressi mediam fere Cananaeae partem occupasse traduntur. Interea pars eorum videtur resedisse versus austrum deserti Arabiae, post sinum Elaniticum maris Rubri: utique Moses dicitur aufugisse in terram Midian Ex. II: 15.

Amalekitae

Midianitae

Cuschaei

§. CCLXV. *Cuschaeorum* nomine licet, latius sumto, Arabes in genere nonnunquam veniant, uti ex. gr. Mosis uxor Midianitis Exod. II. adpellatur Cuschaea, Num. XII: 1. vere tamen et proprie eo adpellantur, qui e Cuscho, Chami filio, Gen. X. ortum traxerunt, et a Nabataeis ac aliis distinguuntur: uti 2 Chron. XXI: 16. Excitavit Deus adversus Joramum, regem Judae, Philistaeos ac *Arabes, qui sunt ad latus Cuschaeorum*. Tenuerunt antiquitus non AEthiopiam, quae veterum fuit opinio, sed oram sinus Arabici orientalem; quam postea insederunt Saraceni: uti post Beroaldum in genere recte evicit Bochart. Junguntur enim Arabibus illis deserticolis, et cum iis subinde confunduntur. Sic Mosis uxor Midianitis vocatur Cuschaea, et *tentoria Cuschan ac aulaea terrae Midian* permiscentur Hab III: 7.

et

et Gihon, fluvius Paradisi, circuisse legitur terram Cusch, Gen. III. quod ex filiis ac nepotibus Cuschi Gen. X. etiam confirmari posset. Postea tamen videntur sinum Arabicum nonnulli eorum transgressi, oram occidentalem ejus occupasse; unde orti sunt Troglodytae. Veteres quoque regionem valde sterilem, inter latus Nili orientale, et mare rubrum, a Memphi Syenem usque, adpellarunt *Arabiam AEgypticam.* Vid. Jablonski in Pantheo AEgypt. l. V. c. 3. Sed de eo hic plura protulisse nihil adtinet, cum Cuschaei, qui ad hanc pertinent periodum, sint Arabiae incolae, nec putem, vocem illam, in Script. S. latius sese extendere ad Cuschaeos occidentales, seu Troglodytas. Utique Jes. XVIII: 1. *fluenta Cuschaeae*, cis quae dicitur AEgyptus fuisse, mihi in genere aquarum copiam, seu *sinus* maris Arabici, ad cujus oram orientalem desederunt Cuschaei, designare videntur. Vox in genere et proprie significat omne liquidum, latius fusum. Vicinitas et conjunctio cum AEgyptiis, variis locis indicata, Jer. XLVI: 9. Nah. III: 9. 2 Chron. XII: 3. in Cuschaeos Arabiae etiam recte quadrat, aeque ac in Sabaeos, qui Jes. XLV: 14. junguntur. *Topazius* Cuschaeorum Job. XXXVIII: 19., licet censeatur Troglodytis proprius, inter commercia Arabum fuit.

§. CCLXVI. Quod ad statum eorum politicum adtinet, sicut Arabiae incolae in φυλας *tribus* distincti, suos habuerunt φυλαρχας *praefectos* tribuum, etiam *duces* ac *reges* adpellatos, uti 2 Chron. IX: 14. Jer. XXV: 24. et alibi; ita quoque Cuschaei; Utique *Zerhae* Cuschaei, qui adversus Asam duxit exercitum, mentio fit, 2 Chron. XIV: 18. et Tirhakae, tempore Hizkiae, regis Cuschaeae 2 Reg. XIX: 9. Cuschaei quoque fuerunt Sabacon, Sevechus et Tarakus, qui partem AEgypti, secundum Manethonem, habuerunt subjectam, de quo mox in historia AEgyptiorum agam. In scenam hi populi maxime venerunt tempore Asae regis Judae, et deinceps tempore Hizkiae, seseque

 metuendos

metuendos praestiterunt, adeo ut Senacheribus, de Tirhakae Cuschaei motu contra se certior factus, eum exspectare non fuerit ausus. Tempore Asae regis Judae ingente clade sunt adfecti, cum in regnum ejus irrumperent, ut supra narravi: a Salmanassare etiam una cum AEgyptiis multa passi sunt, si ille sit Sargon Jes. XX. quod probabile est. Vid. Vitringa ad Jes. Cum vero Salmanassar regnum Israelis destruxerat, et sese moturus videretur versus Hierosolymam, Deus intercessit, eique AEgyptum et Cusch in *lytrum*, quasi redemtionis pretium, dedit pro iis, uti Jes. XLIII: 2. traditur. Mortuo Salmanassare, cum AEgyptum quoque intrare vellet Senacheribus, is repulsus est, et a Taracone fugatus: ut mox videbimus.

AEgyptii §. CCLXVII. Succedat regnum *AEgyptiacum*, quod circa principium et finem periodi sese rebus Judaeorum, varia fortuna, inmiscuit. Tempore enim Rehabeami Sisakus, rex AEgypti, ipsam occupavit Hierosolymam, et spoliavit, 1 Reg. XIV. et 2 Chron. XII. Deinceps, diu sese quietos tenentes, et florente in statu positi, Assyriorum ac Babyloniorum progressu excitati, sese iis opponere, ac de palma summi imperii cum iis decertare coeperunt; quare Israelitae, et dein Judaei, sese ad eos auxilii causa verterunt, sed in propriam perniciem, ut in eorum historia vidimus. Memoratur autem in Historia Sacra 1. *Soo* rex AEgypti, quo cum foedere sociatus fuit Hosea, 2 Reg. XVII. 2. Pharao Necho, qui movit contra regem Assyriae Euphratem versus, ut Carchemisium occuparet; qua occasione cum Josia, sese opponente, conflixit in campo Megiddo, eumque profligavit, et regnum Judae tributarium fecit. Qua expeditione feliciter finita, ut in comment ad Jer. XLVI demonstravi, alteram deinceps instituit, quae ipsi pessime cessit, ut Jer. XLVI praedictum fuit, a quo tempore, omni dominio in regiones ab Euphrate usque ad fluvium AEgypti amisso, ab omni ulteriore expeditione abstinuit, 2 Reg. XXIV: 7. Denique 3. Pharao Hophra obiter memoratus est Jer. XLIV: 30.

§. CCLXVIII.

§. CCLXVIII. Historiam exoticam si consulamus, ut hos reges ex ea demonstremus, 1. Sisakus, tempore Rehabeami, alius esse nequit ac Sesonchis, Dynastiae XXIIdae Manethonis rex primus; in quem nomina et tempora recte conveniunt; uti a Scaligero, Usserio, et aliis jam est observatum. Marshamus quidem, praeter Conringium, de Sisako fecit famosum illum Sesostrim, imo pro chronologiae suae fundamento posuit, sed sine dubio erronee, uti a Perizonio et aliis jam est demonstratum. Vixit enim Sesostris, omnium veterum consensu, diu ante bellum Trojanum. Nec Josephus Ant. VIII: 10. in has partes trahi debet, ut fieri solet; cum is, dicens, Herodotum in *Regis nomine errasse*, nihil aliud velit, quam Sisaki gesta fuisse male ab eo ad Sesostrim translata. Quod a vero non abhorret. 2. Posterioris periodi reges Soo, Pharao Necho, et Hophra, majore cum certitudine monstrari possunt ex Historia exotica, cum majore luce fulgeat per narrationem Herodoti, qui hic omnium est adcuratissimus. Narrationis ejus, quae lib. II. exstat, haec summa est. Asychin, regem superbum, excepit coecus quidam ex urbe Anysi, quam invasit Sabaco, AEthiopum rex, qui, rege AEgypti fuga se in palustria, quae pro tutis habebantur locis, uti alibi Thucyd. l. I., proripiente, AEgyptum per 50 annos occupatam tenuit; quando de nocte admonitus, se contra fas regnum possidere, rediit in AEthiopiam, et coecus iste in regnum suum. Successit ipsi Sethon, Vulcani sacerdos, contra quem Senacheribus, Assyriae rex, suscepit expeditionem. In cujus occursum processit versus Pelusium nullo adparatu bellico, quippe quo destitutus erat, cum turba gregariorum hominum, ope Numinis, quae ipsi promissa erat, nixus, nec frustra; Deus enim in exercitum hostilem inmisit vim murium agrestium, qui pharetras, arcus, et scutorum habenas abederunt; ita ut Assyrius fuga sibi consulere fuerit coactus. Defuncto Sethone, AEgyptii libertati redditi, simul regii dominatus pertaesi, 12 constituerunt Dynastas, reges tamen ab Historico adpellatos, AE-

gypto in totidem divisa partes. Qui cum aliquandiu amice egissent, tandem cum praevaluisset Psammetichus, unus eorum, et a reliquis esset expulsus, is, Ionum et Carum auxilio, totam sibi vindicavit AEgyptum. Cui, post 54 ann. regnum, successit Necho, filius ejus, qui Syros in Magdolo vicit praelio, magnamque Syriae urbem Cadytin occupavit. Excepit ipsum, cum 16 ann. regnasset, filius Psammis per 6 annos, cui successit Apryes, fastus et adrogantiae plenissimus, sed potentissimis ac fortunatissimis regibus AEgypti adcensendus, infelice tamen cum eventu. Cum enim ad populum et milites tumultuantes, in quorum inciderat odium, sedandos misisset Amasin; is, a seditiosis rex declaratus, Apryen vicit, et interemit, cum 25 annos esset dominatus. Successit ipsi Amasis, sub quo AEgyptus maxime floruit, et 44 ann. praefuit: cujus filius Psammenitus, *6to* regni mense a Cambyse, rege Persarum, est devictus.

§. CCLXIX. Cum hac Herodoti historia conferendus est Diod. Sic. l. I. non tantum, licet minus adcuratus, in multis tamen similia tradens, sed in primis Maneto, cujus dynastiae 24—26. ad haec pertinent tempora. Dynastia 24*ta* continet Bocchorin Saitam ann. 6, et 25*ta*, quae est AEthiopum, Sabaconem, qui Bocchorin vivum cremavit, ann. 12, Sevechum filium ann. 14, et Tarcum ann. 18., ita ut illa dynastia ann. 44 duraverit. Haec si consulamus monumenta, et cum Historia Sacra conferamus, dubitari nequit, quin Soo, tempore Hoseae et Hizkiae celebris, ipsissimus sit *Sevechus* Manethonis, ac *Setho* Herodoti, et historia regni AEgypti in ordinem redigi possit. Tempora utique et nomina regis recte conveniunt in narrationem Script. S. Hebr. סוא, quo rex venit in Historia sacra, a nomine *Sevecho* non abhorret, minus, si, quod potest, et licet, punctetur סֵוֶא *Sevee* σευηχος Sevechus, unde facile *Seton* Herodoti, potuit oriri. Ordo autem historiae, monumentis exoticis et sacris secum collatis, hunc in modum, quem egregie jam illustravit Vignolius

nolius Chron. S. l. IV. noſtrae opinioni convenienter, cum Vitringa ad Jeſ. conferendus, et Perizonio in Orig. AEgypt. concinnari poteſt. Quo tempore Sabaco Cuſchaeus in AEgyptum irruit, reges ibi erant, in AEgypto inferiore Bocchoris, quippe Saita, in ſuperiore ſeu Memphit. Anyſus. Bocchorim autem interfecit, et AEgyptum inferiorem occupatam tenuit, conſtituto rege Sevecho, filio ſuo, qui Sethon Herodot., et Soo Script. S. eſt, ut modo notavi. Interea Anyſus, Sabacone in terram ſuam redeunte, paluſtribus egreſſus, recuperavit regnum ſuum in AEgypto ſuperiore, maxime cum Salmanaſſar inferiorem invaderet AEgyptum; quod hoc tempore contigit. Ipſe vero ingentem ei intulit cladem, cujus mentio eſt Jeſ. XX. et LIII: 3, No-ammon quoque deſtruxit, Nah. III: 8. adjutus a rege Memphitico, qui Puthaeos et Lubimaeos in ſuam traxerat ſocietatem; ut ex Nah. III. colligi poteſt. *No-ammon* iſto in loco eſt Dioſpolis, (quaſi dicas *μερίδα sortem* et poſſeſſionem *Ammonis*, ut LXX verterunt, et lingua AEgypt. confirmat, in qua נא *ſortem* denotat, notante Jablonſkio, in *Diſſ.* de Remphah.) non magna illa, alias Thebae, ad ortum Nili, nec *parva* ad occaſum, utraque in ſuperiore AEgypto, ſed, quae tertia eſt Dioſpolis, in Delta, ſeu inferiore AEgypto, ſupra Mendetem, memorata Strab. l. XVII. et Diog. Laert. in Demetrio Phaler.; uti patet ex *marium* et *fluviorum* in circuitu mentione, nec non ex eo, quod *Cuſch* ejus robur dicatur; nam erat AEgyptus inferior hoc tempore in poteſtate Cuſchaeorum. Accidit autem haec calamitas huic urbi a Salmanaſſare, AEgyptum invadente, paulo ante Nahumi aetatem, in tempus Senacheribi incidentem; memorat enim excidium urbis haud longe a ſuo tempore remotum, quippe cujus recens erat memoria. Quod vero de *Puthaeis* et *Lubimaeis*, Africae et Libyae populis, Aſſyrio auxiliantibus, dixi, illud ibid. Nah. III: 9. indicatur, ubi habetur, *Puth et Lubim tibi auxilio*, ſcilicet Ninivitis, ſeu Aſſyriis, quos in hoc cap. adloqui-

tur Propheta. Quae cum in Comment. MSS. ad Nah. fusius deduxi, hic tetigisse suffecerit.

§. CCLXX. Post Salmanassarem, cum idem tentaret Senacheribus, regnante adhuc Sethone, seu Sevecho, infelici successu usus est; uti ex Herod. narratione patet, et ex historia sacra confirmatur, ubi refertur, eum, nuncio de Tirhakae motu contra se accepto, pedem retulisse: ipse enim Sabaconi in regno Cuschaeo successerat, et regem Sevechum, a Sabacone constitutum in AEgypto, tuebatur; unde simul ratio patet, quare Tirhaca sese Senacheribo opposuit, ut regi consanguineo succurreret. Clades vero exercitui Assyriaco inflicta ab Herodoto male est narrata, confusione cum clade, ab Angelo Jehovae illata: in eo tantum conspirat cum Hist. S., quod a Numine eam narret profectam. Duravit hoc Cuschaeorum in AEgypto regnum ann. 50, quos Herod. quidem soli Sabaconi dat, sed qui ad eum et Sevechum, seu Sethonem, referendi sunt, quare Sethoni nullos quoque dedit. Quo regno ibi finito, AEgyptii in libertatem sunt adserti, et a 12 satrapis in initio gubernati; uti Herod. narrat: ex quo simul elucescit, Sethonem quoque, secundum hanc ipsam Herod. narrationem, pro extraneo esse habendum, quia AEgyptios dicit libertatem esse nactos; quod ex Manethone clarius patet.

§. CCLXXI. Pergamus, in historia sacra cum exotica conferenda, ad Pharaonem Nechonem, quocum infeliciter conflixit Josia in campo Megiddo, ut supra suo loco narravi, et eum ex Herod. monstremus; quod facile fieri potest. Dubium enim vix esse potest, quin sit ipsissimus Nechon, filius Psammetichi, apud Herodot. qui, eum Syros in Magdolo profligasse, et primariam eorum urbem κάδυτιν *Cadytin* occupasse, refert. Quam historiam supra ordine narravi et illustravi, quare hic nihil restat, quam ut in urbem *Cadytin* inquiram. Nihil mihi videtur probabilius, quam Hierosolymam isto in loco, nam de alio, lib. III. ubi κάδυτης, vel κάδυτις potius, occurrit, hic non agimus, eo

nomine

nomine denotari, cum in aliam non quadret epitheton, quod ei dat Herodot., et ex Script. S. conſtet, Pharaonem vere Hieroſolymam habuiſſe ſibi ſubjectam, quippe quam intravit, et tributariam fecit, rege quoque ejus depoſito, et alio ſuffecto. Quare autem Cadytis fuerit adpellata, non adeo conſtat. Alterutrum videtur cum aliqua veriſimilitudine dici poſſe: vel ad epitheton קדוש, Hieroſolymae tanquam *ſanctae*, et ſedi religionis, proprium, reſpici, ſicut Arabibus *Alkuds*, ejuſdem ſignificationis voce, adpellatur: de quo Golius ad Alfragan. et Hyde ad Peritz. legi poſſunt; vel ab antiquo urbis nomine צדק originem traxiſſe a ſiniſtra ad dextram lecto; unde Kadetz, et Kadytis facile naſci potuit. Nec deſunt exempla ſimilia, ſic enim a ביתשאן ortum eſt nomen Nyſa, quo *Scythopolis* venit apud Plin. H. N. v. 18. a Neith. AEgypt. eſt Νηιθ unde Ἀθηνη *Minerva*, et Athenae, a Minerva nomine ducto: a ירח quoque forte [illegible] ſecundum Druſ. Q. Heb. I. Alia exempla proſtant apud Hiller. Onom. et Liebe in theſ. Frederic. c. V. Nec eſt inprobabile, Hieroſolymam antiquitus nomen צדק *Tſedek* tuliſſe, quod Maſius ad Joſ. X. et Vitringa ad Jeſ. I: 21. jam notarunt; cum, ſicut Adoni-bezek ab urbe Bezek, cujus rex fuit, Jud. I: 5. nomen accepit, ita Melchizedek, et Adonizedek Joſ. X. potuerunt ab urbe Hieroſolyma *Zedek* adpellata.

§. CCLXXII. Reſtat Pharao-Hophra, Jer. XLIV: 30. memoratus, qui omnino eſt, uti jam conſtat, Apryes Herodoti, vel ipſa nominum ac temporum harmonia teſte. Nomen חפרע Gr. Οὐαφρης eſt Apryes. Eſt autem a Nechone, quem Nebucadnezar, poſt mortem Joſiae, ab ipſo illatam, debellavit ad Euphratem, ſecundus; Nechoni enim qui 17 ann. regnavit, ſucceſſit filius Pſammis per ann. 6, et ei Apryes per ann. 25, adeoque regnavit tempore deſtructae Hieroſolymae, et Judaeis opem ferre conatus eſt. Narrat porro Herodot. contra ipſum conſpiraſſe AEgyptios, rege electo Amaſi, quem ad eos compeſcendos miſerat;

dein superatum et captum fuisse ab Amasi, sed in vivis relictum, et aulae inclusum, AEgyptios vero postulasse, ut sibi traderetur; quo facto, ab ipsis strangulatus est. Quae quam exacte in prophetiam Jer. l. c. conveniant, in Comm. ad Jer. docui. Reliqua ad AEgyptios pertinentia postea, periodo sequente, proferam.

§. CCLXXIII. Succedant nunc regna remotiora, sed valde hostilia, ad septentrionalem plagam, Assyriacum et Babylonicum, quorum notitia multum ad historiae sacrae intellectum, vel illustrationem, facit. Regum *Assyriae*, ut inde ordiamur, ordine temporis servato, in Historia sacra nulla fit mentio ante Menachemum regem Israelis, quando collabi jam coepit regnum Israeliticum; sub eo vero illud adflixit Pul, gravi inposito tributo 2 Reg. XV. Sed longe graviorem plagam intulit successor ejus Tiglat-pul-assar, (seu Tiglat, filius Pulis, Assyriae regis) qui Transjordanenses et Septentrionales Israelitas in exilium deportavit, sub Pekacho Remaliae ab Achazo evocatus, et Judae quoque regno sese gravem praestitit 2 Reg. XV. Salmanassar, ejus successor, ulterius processit, defectione Hoseae, ultimi regis, ad Soo AEgyptium, excitatus, et regnum Israelis destruxit, totumque populum in Assyriam deportavit in exilium, 2 Reg. XVII. Regnum Assyriae praeterea ampliavit, ac celeberrimum reddidit suis expeditionibus, in Philistaeos, Tyrios et AEgyptios. Asdodum Philistaeis eripuit, si is sit, quod probabile est, Sargon Jes. XX: 1. quo etiam respicitur Jes. XIV: 31. De Tyro ab ipso obsessa, et adflicta, testatur fragmentum Menandri, apud Jos. Ant. l. IX. ubi additur, eum hoc peracto pacem cum omnibus fecisse; quo ipso praestitit sese nomine suo, quod regem *pacis* denotat, dignum. Sed postea novam suscepit expeditionem contra Tyrios, ab ipso deficientes. Sitne vero Tyrus, quae se ipsi opposuit, *continentis* an *insularis* intelligenda, disputatur: prius multis placet, sed posterius probabile fecit Vitringa ad Jes. XXIII. quo admisso, statuendum est,

Assyrii

Tyrum *continentis*, ubi tunc erat regia, se adjunxisse Assyrio, sed insularem se noluisse submittere. Denique Cuschaei et AEgyptii ab eo gravia passi sunt, ut in historia AEgyptiorum modo narravi. Quam ob causam Rabsakes, tempore Senacheribi, AEgyptum videtur *calamum fractum* quoque adpellasse, 2 Reg. XVIII. Quartus rex, Senacheribus, successor ejus, nomen suum celebre, vel famosum reddidit, expeditione sua contra regnum Judae, tempore Hizkiae, cujus notitiam dedi in Historia Hizkiae. Hic addatur, ipsum quoque tunc contra AEgyptios movisse, et ad Pelusium usque venisse; uti ex Beroso apud Jos. Ant. X. patet, et ex eo firmatur, quod fabulosa Herodoti narratio, de clade exercitui illata per mures in confiniis AEgypti, illud pro hypothesi habeat. Senacheribo, ingente cum clade, ab Angelo Jehovae inflicta, et cum ignominia in regnum reverso, et a propriis filiis duobus in Templo occiso, secundum praedictionem Jes. XXXVII: 7. successit Asarhaddon, filius ejus; qui ultimus est, cujus meminit Historia sacra, 2 Reg. XIX.

§. CCLXXIV. Duplex viget de regno Assyriaco traditio Veterum, ut Historiam exoticam conferamus, una Ctesiana, altera Herodotea, cujus utriusque intellectum dedi, ubi de originibus ejus disserui ad periodum secundam; de ortu regni Assyriaci, magis dominantis in oriente sub Nino, egi periodo *quarta;* hic itaque de ejus fine erit agendum. Secundum Ctesiam regnum illud, postquam 1300 annos stetisset, concidit in Sardanapalo, principe effoeminato, 300 ann. ante Cyrum, hac ratione: Arbaces Medus suscitatus, et adjutus ab amico suo Belesi, astrologo Chaldaeo, Babyloniae tunc praefecto, societate cum aliis regis satrapis inita, regis mollitiem non amplius ferens, in eum conspiravit, et bello adortus est. Cui cum Sardanapalus, copiis collectis, sese fortiter quidem, sed infilici successu opposuisset, et ad incitas esset redactus, palatio conscenso, illud secum flammis dedit, et ita periit. Quo facto regnum

Assyriacum transiit ad Medos, qui illud 300 tenuerunt annos, usque ad Cyrum. Contigit itaque hic casus sub Joaso, rege Judae, ann. ejus 33*tio;* qui est Period. Jul. 3876, inter quem et ann. Per. Jul. 4176*tum*, in quem initium Cyri incidit, intersunt anni 300, quot duravit regnum Medorum.

§. CCLXXV. Quae Ctesiana traditio, sicut respectu initii regni Assyriaci, uti supra evictum est, ita respectu finis ejus, omnino fabulosa est, et historiae Regum Judae ac Israelis plane repugnat. 1. Historia enim Sacra in scenam producit reges Assyriae bellicosissimos, et potentissimos modo memoratos, ipso illo tempore, quo, secundum Ctesiam, regnum jam destructum erat. Concidit enim sub Joaso, ut dixi, et reges illi Assyriae inceperunt sub Menachemo, qui sub Uzzia demum vixit, et fortiter agere perrexerunt usque ad Hizkiae finem. 2. Tantum abest, ut Ninive, metropolis regni, tunc fuerit destructa, ut cum maxime floruerit, sicut ex libro-Jonae, qui sub Amazia Judae, et Jeroboamo II. adhuc vixit; praeterea Nahum sub Hizkia, ac Tsephaniae sub Josia, qui ejus excidium praedixerunt, manifestum est. Varia quidem commenti sunt, qui Ctesianae traditioni adsurgunt, ut eam cum Script. S. concilient, sed praeter fictas, et inprobabiles hypotheses, nihil protulerunt: quibus non inmorabor, maxime, cum Herodotea traditio, et a fide digniore autore profecta, et Historiae sacrae consentanea, ad manus sit: cujus tradam conspectum. Habet illa 1. regnum Assyriacum stetisse ann. 520, quando primum Medi, dein aliae gentes, ab eo defecerunt, ann. 156 ante devictum Astyagem a Cyro. 2. Niniven, metropolin regni, diu post adhuc stetisse, subversam demum a Cyaxare, quum Judae rex erat Tsedekias, Babyloniorum Nebucadnezar.

§. CCLXXVI. Varie quidem instituunt Docti, qui Herodoteam narrationem adoptarunt, alii enim, ut Usserius, eam cum Ctesiana conjungunt; alii, ut Marshamus, et Vor-

stius

ftius soli Herodoteae adsurgunt, licet cum aliqua discrepantia. Mihi, ne longiores hic nectam moras, hae maxime adrident hypotheses, Vorstii maxime consonae, quae prostant in eruditis ejus Dissertationibus in Fascicul. 3*tio* Crenii. Quarum summa, quantum ad scopum nostrum nunc pertinet, est, Medorum ad Assyriis defectionem, quippe 156 annos ante Astyagem a Cyro devictum factam, de quo postea, contigisse ann. 14*to* Hizkiae, quo Senacheribus, ingente illa clade adfectus, dein a filiis occisus, et regnum valde turbatum est, ansa defectionis inde arrepta, sed quam ab eo tempore, quo Salmanassar Medos in terram Israeliticam, Israelitas in Mediam transportavit, jam in animo habuisse videntur, tyrannidem illam, et injuriam sibi factam, amplius non ferentes; praeterea eodem tempore jugum Assyriacum excutere quoque coepisse Babylonios, indeque ortam esse legationem ad Hizkiam, praetextu quidem inquirendi in miraculosam umbrae Solis retrocessionem, cujus mentio in lib. Chron., sed vere amicitiae et societatis cum eo ineundae, ad res suas firmandas, ergo; ut in Lib. Reg. innuitur, ubi id factum esse traditur ad Hizkiae super valetudine recepta gratulandum: quo etiam ducere videtur, quod Hizkia, ad potentiam suam jactandam, omnes suas opes et copias Legatis monstraverit. Denique Asarhaddonem, qui Senacheribo successit, esse Sardanapalum, quae eadem fere sunt nomina, virum bellicosum, qui regnum Assyriacum aliquandiu adhuc fuit tuitus, ita ut Medi non, nisi 6 ann. post, regnum fundaverint, uti postea patebit, ubi de regno Medorum agam, et Babylonii aliquatenus repressi sint, nec, nisi mortuo Asarhaddone, caput potuerint extollere. Cui robur accedit ex eo, quod inter Reges Chaldaeorum in canone Ptolomaei occurrat Assaradinus, qui, ut postea dicam, est ipsissimus Asarhaddon, nec non quod Manasse, successor Hizkiae, legatur a rege Assyriae Babelem abductus. Nec obstat, Sardanapalum, cum quo regnum Assyriacum concidit, depingi tanquam mollem et effoeminatum; quia illud fabu-

losum est, et ex confusione cum alio Sardanapalo ortum: duos enim fuisse ejus nominis; unum martialem, alterum mollem, ex Comici Scholiaste ac Suida jam observavit Cl. Wesseling ad Diod. Sic. De regni Assyriaci, et Ninives destructione, per Medos et Babylonios, postea suo loco exponam.

Babylonii §. CCLXXVII. Superest Regnum Babylonicum, cujus tres in Historia Judaica occurrunt reges, Merodach-Baladan, qui legatos ad Hizkiam misit, 2 Reg. XX. et Jes. XXXIX. Nebucadnezar, regni Judaici destructor, et Evilmerodach, qui Jechoniam, incarceratum Babele, libertati reddidit 2 Reg. XXV. et Jer. LII. Sed hos, pluresque alios Babyloniae reges, recenset Canon, sic dictus Ptolomaei, non, quod celebrem eum virum, qui sec. IIdo vixit, autorem habeat, fuit enim diu ante notus, sed quod ea aera fuerit usus, quae Nabonassarea, a primo rege ibi memorato, adpellatur. Cujus canonis *prima* pars recenset reges a Nabonassare ad Cyrum, annorum 209, cujus autor videtur fuisse Berosus, *secunda* a Cyro ad Alexandrum M. ann. 215, forte ejusdem autoris, *tertia*, postea adjuncta, ab incerto autore, inde usque ad Augustum. Hic canon, veteribus jam memoratus, antea fuit valde corruptus, varie frustra emendatus, ab ipso quoque Scaligero, donec Overallus editionem invenerit puriorem, quam cum Sculteto et Calvisio communicavit, quando in lucem prodiit. Editus etiam est a Petavio, ad calcem *Rationarii* ejus *temporum*, et Dodwello ad calcem Dissertat. Cyprianicarum. Plura de Canone, ejusque methodo, suppeditat Vignolius Chron. S. t. II. qui ejus autoritatem quoque recte vindicavit.

§. CCLXXVIII. In hoc canone, quod ante omnia notandum est, reperiuntur reges Chaldaeorum, in Script. S. memorati. *Quintus* enim rex Merodachkenpad, alius non est ac Merodach Baladan, in historia Hizkiae obvius. Nomina sunt eadem, Merodach enim Baladan est Baladani filius: respondent quoque tempora. Initium utique Nabonassaris,

saris, unde canon incipit, convenit ann. Jothami Judae *6to;* adeoque Merodach incepit ann. Hizkiae *6to;* praefuit secundum canonem ann. 12, et ann. *8vo* regni, qui est 14 Hizkiae, misit ad Hizkiam legatos. Praeterea Assaradinus, unus successorum Mardokempadi in Canone, videtur et mihi cum aliis esse Asarhaddon, successor Senacheribi, cum nomina et tempora concinant, et aliunde probabile fiat, Asarhaddonem, ut modo observavi, Babelem adhuc in sua habuisse potestate. Tertius rex Nebucadnezar, vel, ut Berosus habet, et nomen punctari potest, Nebuchodonosor, occurrit quoque in canone sub nomine Nabocolassaris, anni tribuuntur 43. De quo postea. Quartus et ultimus, ex Script. S. notus, Evilmerodach, in canone vocatur Iluarodamus, qui subjicitur patri Nabocolassari.

§. CCLXXIX. Sed aliae, occasione catalogi horum regum, moventur quaestiones, ad regum Babyloniorum uberiorem intellectum ducentes, paucis adtingendae; plura enim erui possunt ex comment. Cl. Vitringae ad Jes., quo cum Perizon. In Orig. Babyl. et Vignolius in Chron. S. conferendi sunt. *Prima* quaestio est, sintne reges Canonis diversi a regibus Assyriae, an iidem? Veteres, quibus nonnulli Recentiores adsentiuntur, licet eos cum Assyriis confuderint, et Nabonassarem, quocum incipit catalogus, pro Salmanassare habuerint, nihil certius est, quae communior quoque est doctiorum sententia, quam eos esse diversos. Eo enim ipso tempore, quo Asarhaddon successit Senacheribo, teste historia sacra, misit Merodach Baladan, rex Babelis, legatos ad Hizkiam. Nomina quoque regum in Canone, usque ad Mardokempadum, adeo a nominibus regum Assyriae in Script. S. differunt, ut pro eorumdem regum haberi prorsus nequeant, quod cuique legenti in oculos incurrit. Sed fuerintne sui juris, an regno Assyriae obnoxii? quae *secunda* est quaestio, cum, aliqua distinctione definiendum est. Usque ad Mardokempadum ab Assyriis dependerunt, dein sub ipso defecerunt, una cum Medis,

sed cito ab Asarhaddone repressi, eo vero mortuo, jugum plenius excusserunt, et per Nabolassarum, patrem Nebucadnezaris, liberum et stabile possederunt regnum. Regnum Babylonicum eo usque, quo dixi, fuisse Assyriaco subjectum, sicut facile ex eo praesumitur, quod ab omni probabili abhorreat, Assyrios tantas in oras peregrinas suscepturos fuisse expeditiones, si vicinas regiones non habuissent obnoxias, ita clare elucescit, *cum* ex nominibus Assyriacis, quibus insigniti fuerunt, vox enim אסר *Asar* est ab אשור Assur Gen. XIV: 1. ubi אלאסר cum articulo אל occurrit rex Assyriae, *tum* ex titulo Canonis, quo reges vocantur Assyrii; cujus alia nequit dari ratio, quam quod, licet Babyloniae reges, origine fuerint et subjectione Assyrii, *tum* denique quod Jes. XXIII: 13. adserat, populum Chaldaeum, (Babylonios) *non fuisse* (scilicet celebrem) *Assurem fundasse terram eam deserticolis* (in eam scilicet transferendo *deserticolas*, seu Chaldaeos: uti supra observavi suo loco, et Vitringa in Comm. pluribus exposuit) Ne dicam, eo etiam nos ducere, quod Euphrates tanquam Symbolum Senacheribicae expeditionis occurrat Jes. VIII: 7. Sed negligendum non erat, Arbacem Medum cum Belesi Babyloniae praefecto ab Assyriis defecisse, secundum traditionem Ctesianam, et cum Medis alios populos secundum Herodotum; qui ergo antea fuerant subjecti Assyriis.

§. CCLXXX. De origine et progressu regni Babylonici usque ad defectionem ab Assyriaco stabilitam, quae *tertia* est quaestio, paucis absolvere potero; cum ex supra, suis locis, prolatis facile constet. Fundato hoc regno a Nimrodo, reges ejus continuarunt sui juris usque ad Ninum, qui tempore Gideonis, Judicis Israelis, floruit; memoratur utique rex *Sinear*, ab Assyrio distinctus Gen. XIV. Fuisse autem illi videntur Arabes Cuschaei, sicut conditor regni Nimrod fuit, et Julius quoque Africanus apud Eus. in Chron, et Syncellum, Arabes illud diu tenuisse refert. Ninus dein, regno illo occupato, Arabes expulit, et Chaldae-

os

os in illud transtulit, tempore Judicum Israelis, ut suo loco narravi; a quo tempore reges vel Satrapae ei praefuerunt, ab Assyrio constituti, et ipsi obnoxii. Reges enim ibi continuasse, sicut mori orientalium, quo reges populis devictis relinqui solebant, et ita reges regum adpellabantur, Jes. X: 8, est consentaneum, ita ex eo facile colligitur, vel demonstratur, quod eorum meminerit Herodot. l. I., et Berosus, nec non Syncell. Chronogr. ex Alexandro Polyhistore tradat, Nabonassarum *superiorum regum Babylon. observationes abolevisse.* AEra autem observationum astronomicarum apud Ptolemaeum a Nabonassare ducitur, non quod is primus fuerit rex, aut regni conditor, sed quod collegium virorum astronomiae peritorum instituerit, et ab eo tempore adcuratius factae fuerint observationes, uti Syncellus jam notavit. Vid. Perizon. in Orig. Babyl.

§. CCLXXXI. Duravit hic obnoxius status regni Babylonici usque ad Merodachum, qui una cum Medis deficere incepit ab Assyrio, tempore Hizkiae; ut supra notavi. Medos et alios populos ab eo descivisse, Herod. l. I. diserte tradit, et legatio Merodachi ad Hizkiam, in Script. S. memorata, illud indicat. Sed Asarhaddon, Senacheribi successor, ad tempus eos repressit, in primis Babylonios; quae ratio est, quare in canone Ptolemaei inter reges Babylonios locum teneat, nomine Assaradini. Verum postea sub Nabopolassare se in libertatem stabilem vindicarunt, maxime post destructam Ninum, regni Assyriaci metropolin per Medos, ab Nabopolassare adjutos. De quo postea in historia Medorum et Nebucadnezaris, ad periodum sequentem. Hic notasse suffecerit, Syncellum ex Polyhistore referre, Nabopolassarem a Seraco, rege Assyriae, ducem constitutum in bello cum Medis, ab eo descivisse, et prima stabilis libertatis fundamenta jecisse.

§. CCLXXXII. Posset quidem, hisce tractatis, finis inponi historiae periodi; sed cum notabiles casus, et aerae aliarum orbis gentium, in eam inciderint, de iis quaedam in gene-

re dixiſſe, non fuerit alienum, aut inutile, maxime cum ad hiſtoriam Judaicam ſequentium temporum illuſtrandam faciant. Incipiamus cum Graecia, hac periodo valde ornata, et nova aera Olympiadum, quae ignorari non debet, illuſtri. Originem *aerae* dederunt ludi Olympiaci, ab Hercule, ut traditur, inſtituti, non Alcmenae filio, ſed antiquiore, uno ex Idaeis Dactylis ſeu Curetibus, Jovis, Cretae regis, ſociis: habiti ſunt in Elide Peloponneſi, quare ludus, ſicut ἀγὼν ὀλυμπιακὸς, vel ὀλυμπιονικὸς, ita ὁ ἐν πίσαις, adpellatur, agebatur enim in honorem Jovis Olympii. Celebrabatur autem antiquitus *curſu*, dein aliis etiam certaminibus, ſingulis *quinquenniis*, ſeu menſe 5*mo*, quinti anni *ſecundo*; unde vel a *quatuor* annis completis τετραετηρὶς, τετραετηρικὸς ἀγὼν, vel a *quinto* anno πεντετηρὶς *quinquennalis* Olympias adpellatur. Victor coronabatur corona *oleaginea*, honoris magis quam pretii cauſa, et adpellabatur *Olympionica*. Hi ludi, dein intermiſſi, poſt 400 ann. inſtaurati ſunt ab Iphito, qui Lycurgo fuit coaevus, ann. AEr. Att. 699, cui reſpondet ann. 21*mus* Joſaphati Judae, nec tamen nomina victorum adnotata fuerunt, aut uſum in hiſtoria habuerunt, quod demum factum eſt Iphitea Olympiade 28*va*, qua Coroebus Eleus ſtadio vicit, ann. AEr. Att. 807, cui reſpondet ann. 28*vus* Uzziae Judae, ann. 776, ante aeram Vulg. Chriſtianam, unde incipit aera vulgaris olympiadum: cujus frequens eſt in Hiſtoria mentio. Nec tamen ejus tempore incepit mos nomina inſcribendi tabulis, ſed ipſe primus eſt victorum, quorum nomina in memoriam potuerunt revocari. Ceterum ſeriem chronologicam Olympiadum, et aliorum ludorum, cum nominibus Victorum, contexuit, et cum aliis aeris comparavit, utiliſſimo inſtituto, Gul. Loyd, qui conſulendus omnino eſt.

§. CCLXXXIII. Praeterea Graecia celebris hac periodo facta eſt, cum per legiſlatores, inter Lacedaemonios Lycurgum, et Athenienſes Draconem, tum per poetas, vel ſtudia litterarum, quorum parentes fuerunt Homerus et

Heſiodus,

Hesiodus, ejusdem fere aetatis, circa tempus Josaphati Judae; ut ex marmore Arundelliano colligitur. Antiquissimi Lacedaemoniae incolae, ut celeberrimi istius populi aliquam dem notitiam, adpellantur Leleges, qui αὐτόχθονες *indigenae*, quia incertae sunt originis, censentur, non a *Lelege* aliquo, ut putatur, sed quod e variis gentibus fuerint συλλέγεντες *collecti*, dein *Spartae* sunt adpellati, non a *Sparta*, primi regis uxore, sed quod *sparsim* habitantes in unam civitatem convenerint, denique *Lacedaemones* a primo rege *Lacedaemone*, qui et urbi nomen dedit, et regionem a se *Laconicam* denominavit, quod circa ultima Mosis censetur factum. Sed, praeter hos antiquissimos, in Laconiam migrarunt *Achaei* Phtiotae, cum Pelope in Peloponnesum profecti, *Spartae*, duce Cadmo, *Minaei*, Argonautarum posteri, denique *Heraclidae* reducti, auxiliantibus Doribus, de quo reditu ad praecedentem dixi periodum. Forma regiminis fuit: 1. Monarchica, a primo rege Lacedaemone, a quo nonus fuit Menelaus, cujus uxorem Helenam rapuit Paris, et belli Trojani dedit occasionem: cui successit Orestes, filius Agamemnonis, gener Menelai, et ei Tisamenus filius: sub quo Peloponnesum repetierunt Heraclidae. 2. Monarchica *biceps*, duos simul habens reges, a reditu Heraclidarum, usque ad Lycurgum. Cum enim tres Aristomachi filii, Herculis abnepotes, occupassent Peloponnesum, et Messenem, Argos ac Spartam divisissent inter se, Sparta cessit geminis Aristodemi, qui, et quorum posteri, una regnarunt. Fuerunt autem illi gemini Procles et Eurysthenes, hujus autem filius Agis, illius Sous, a cujus filio Euryponte adpellati sunt Lacones Eurypontidae, Vid. Cl. Valckenarius noster in Adoniaz. Theocriti, digress. III, historica. 3. Aristrocatica, a Lycurgo introducta, tempore Labotae, et Polydictae vel Charilei, qui decimi-septimi fuerunt reges. Nomen quidem regum mansit, fed autoritas, et potestas, inminuta est, vel sublata, additis illis Senatoribus, qui *Ephori* sunt adpellati, penes quos summa erat

Lacedaemones

potestas. Fuit autem Lycurgus frater Polydectae, aequalis Iphyto, a quo aera Olympiaca vera incipit, et fratre defuncto ipse primum regem egit, dein, filio posthumo Charilao nato, ejus gessit tutelam, et ann. 25 nato regnum tradidit. Cum autem invidiam in tutela effugere non posset, se subduxit, et peregrinari coepit, primum in Creta, ubi Thaleta, poeta Cretensi, qui Lyrica carmina, et leges ibi condebat, usus est, et Minois leges didicit, dein in Jonia, ubi in Homeri incidit carmina, quae secum deportavit domum; denique in AEgypto. Domum redux, a Lacedaemoniis revocatus, animum ad remp. mutandam et leges condendas adplicuit, cum pessime et confuse sese haberent res Laconum, regibus inpotenter dominantibus, ac populo continuo tumultuante. Sed autoritatem ei addidit oraculum Delphicum, quo ζηνὶ φίλος *Jovis amicus* declaratus est, et leges ferre jussus. De legibus autem ejus, et disciplina, ad rem militarem tota adcommodata, et Cretensibus proxime conveniente, prolixe exposuit Cragius *de rep. Lacedaem.* qui consulendus est. Denique, ut majorem stabilitatem legibus suis procuraret, extra patriam migravit, praetendens, se gravissimum adhuc caput ab oraculo Delphico consecuturum, postquam sacramento constrinxisset cives, eos nihil inmutaturos donec redierit, sed nunquam reversus est, in Creta mortuus, Vid. Plutarch. in Lycurgo. Ceterum stetit his legibus diutissime Resp. Lacedaem. et floruit, nec, nisi illis mutatis, aut spretis, labefactata.

§. CCLXXXIV. Circa idem tempus fundatum est regnum
Mace-donii Macedonicum, vel a Carano, ut Scriptores Alexandro M. posteriores tradunt, vel a Perdicca, ejus filio, uti Herod. l. VIII. et Thucyd. l. II. Carani, qui Iphyto et Lycurgo fuit coaevus, frater fuit Phidon, Argivorum rex, qui mensuras et pondera dicitur invenisse. Ipse vero, monito oraculi accepto, ubi *caprarum pecus resedisse adverterat*, urbem condidit in Macedonia, inde dictam αἶγας *AEgas*, in qua reges sepeliri moris fuit, alias *Edessa* adpellata in AEmathia.

Successores

Successores fuerunt Perdiccas, Araeus vel Argeus, Philippus, AEropus, Alcetas, Amyntas, qui Dario Hystaspis, regi Persarum, *aquam* dedit et *terram*, Alexander, qui tempore Xerxis, Graeciam invadentis, vixit, Perdiccas, Archelaus, Amyntas, Philippus, Alexander M. Fuerunt autem a Temeno, qui sub reditum Heraclidarum tenuit Argos, oriundi: Philippus vero, Alex. M. pater, regiam sedem transtulit *Pellam*.

Romani

§. CCLXXXV. Transeamus in Italiam, et Romam, hac periodo conditam, in primis lustremus, cum hinc originem repetat celebris Romae conditae aera. Antiquissimi Italiae et Latii incolae dicti sunt *Aborigines*, sed quo nomine non certus aliquis populus, sed quicunque regionis alicujus antiquissimi et primi incolae venire solent. Postea diversi generis populi eo venerunt; 1. Pelasgi, Thessalia expulsi a Deucalione, 2. Siculi, Scythicae forte originis, qui dein expulsi resederunt in Sicilia, 3. Ausones, vicinae cum Siculis originis, etiam Opici a Graecis, et Osci a Latinis dicti: unde varii populi Samnites, Sabini, et alii, prognati feruntur, 4. Arcades ab Oenotro eo ducti, unde Oenotri adpellati sunt, 7 aetatibus ante Trojam captam, secundum Pausan. in Arcad., 5. Denique, ut alios mittam, Trojani, duce AEnea, Anchisae filio et Veneris, ut fertur, mox post Trojae excidium; quando etiam Antenor, itidem Trojanus, adjunctis sibi Henetis, Paphlagoniae populo, eo concessit, et Venetos propagavit: ut Strab. l. XIII. et Liv. l. I. ac alii tradunt. Sed aliquandiu ante in Italiam venerant Tyrrheni, seu Hetrusci, ex urbe Lydiae Tyrrha in Asia. De hisce omnibus vid. Rykius de *primis incolis* Italiae. Sunt quidem, uti fuerunt olim, qui de AEneae et Trojanorum adventu in Italiam dubitant, vel et negant, sed contra Veterum constantem traditionem. Romanos esse origine Graecos, seu AEtolos, ex Asia minore translatos, e linguae, morum, aliarumque rerum convenientia, ac autorum testimoniis, nuper erudite disputavit Pelloutier in Hist. Acad. Reg. Berolin. tom. VII.

§. CCLXXXVI. Trojani, in Latium adpulsi, ut originem Romae, et Romani inperii, paucis, ut tradi solet, enarrem, mox cum Latino, ibi regnante, societate inita, et nuptiis filiae ejus Laviniae cum AEnea firmata, in unum coaluerunt corpus cum Latinis, e variis populis constantibus, urbemque condiderunt Lavinium, seseque contra Rutulos recte sunt tuiti. Latino vero, in eo bello occiso, successit AEneas, qui et ipse haud diu post periit, et, cum corpus ejus nusquam inveniretur, inter Deos relatus, et Jupiter Indigetes dictus est. Successit filius ejus Eurylion, etiam Ascanius dictus, ac Julus, ad quem gens Julia natales suos postea retulit. Condidit autem *Albam*, et regni Metropolin fecit, ita adpellatam, quod loco celso condita, et undiquaque conspicua esset. Unde regnum *Albanum* dictum est, quod per varios successores ad Procam Sylvium devolutum est, qui duos reliquit filios, Numitorem et Amulium, quorum hic successit, et, AEgesto, filio fratris, occiso, filiam ejus Rheam Sylviam fecit Vestalem, sed quae, ut fertur, a Marte compressa, peperit gemellos, Romulum et Remum, qui expositi, et a *lupa*, ut fert fabula, lactati, dein a Faustulo, magistro regii pecoris, inventi, et educati sunt. Quod de uxore pastoris Larentia, a quaestu corporis *lupa* dicta, interpretari solent. Cum autem Amulio innotuissent, et ad necem quaererentur, illum oppresserunt, et Numitori regnum restituerunt. Dein condiderunt Romam, in monte Palatino, fundamentis jactis XI. Kal. Maji, qui dies dein *natalis* Urbis, et *festus* habitus est, adpellatus *Palilia*, a Pale, pastorum Deo, cui sacer erat. Lite autem de regno inter fratres orta, ea narratur augurio in favorem Romuli dicisa, visis ab eo 12, sed a Remo 6 tantum, vulturibus. Quo non obstante Remum occidit, praetextu, quod fossam et vallum prae contemtu transiliisset. Ceterum epocha, seu initium, aerae Romae conditae, varie quidem statuitur, de quo legendus est Pagi de Periodo Graeco Romana, sed obtinuit Varroniana, post

mortem

:m Augusti etiam in monumentis publicis adhibita, incidit in ann. Per. Jul. 3960, Uzziae, regis Judae, *m*, Olymp. VI*tae* ann. 4*tum*.

CCLXXXVII. Transnavigemus in Africam, sed Sici- obiter adeamus, *Syracusarum* causa, cujus natales etiam sunt periodi. Condita enim censetur urbs ab Archia ithio, Heraclidarum genere nato, colonia eo deducta, AEr. Att. 814, Per. Jul. 3945, Ol. II. a. 4*to*: Vid*i* ham. in Chron. Ceterum urbs fuit Graecarum urbi- naxima, et celeberrima, ut Cicero in Verrem dicit, am describit, e quatuor primum urbibus conflata, eo- teste, *quinta* addita a Dionysio. Quare Strabo lib. VI. inque refert fuisse compositam, et 180 stadia, seu 22 cum dimidio, in ambitu habere. In Africam adpulsi, aginem, progressu temporis tam illustrem factam va- sibus, laetis et tristibus, ac Romae aemulam, hac do conditam, consideremus, sed obiter, quantum sco- fficit. Originem ejus a Phoeniciis repetendam, eam- esse coloniam Phoeniciam, res est testatissima ex no- ius, lingua, aliisque indiciis, et Veterum testimoniis, Bochart. Geogr. S. lib. I. Nomen est Cartachada, ו קרתא, *nova urbs*, *νεάπολις*, unde *καρχηδών*, et Lat. ago, contracte pro Cartachada. *Arx* vero, in media sita, adpellata fuit *Byrsa*, ab Hebr. בצרה Botsra, munimento, vel a בירה, Chald. et Syr. בירתא *Birta*, facile *Birsa*; denotat autem palatium, et arcem a for- ne, et munitione: uti Cl. Valckenarius in erudita dis- ione juvenili Academica exposuit. Addo tantum, vo- proprie denotare confossionem, effossionem, uti בור, et inde munimentum effossum, et sic arcem, foemin. *Domos* ex omni parte conclusas, et in modum *turri-* aedificatas, ac moenium publicorum, Palaestini usque adpellant *Βαρεις*, inquit Hieronym. Ep. ad Principiam tom. II. De tempore et conditore urbis variae nt narrationes: sed Byrsam a Didone Tyria esse ae-

Syracusae

Carthago


dificatam constans habet traditio. *Dido* nomen traxit a דוד *dilecto*, unde et דויד *David*, alias [illegible] *Ana* dicitur, a חנה Hanna, *gratiosa*, cui *Dido* apte convenit, alio adhuc nomine *Elisa* q. d. אלאישה *virago*. Haec autem foemina, ut narratur, soror Pygmalionis regis Tyrii, post necem mariti Sichaei, a fratre occisi, ejus crudelitatem effugiens, venit in Africam, et arcem illam condidit. Addit fabula, eam, ab Hiarbe rege repulsam, dolo usam, cum ab eo emerit tantum agri, quantum corio bovis posset tegi, et corium in tenuissima fila sectum tetendisse, ac 22 stadia occupasse, sive ex fune mensorio, quo urbis pomoeria dimensa est, sive ex voce Gr. βύρσα, *pelle*, corio, sive aliunde fuerit fabula orta. Contigisse autem illud ann. 126 post conditum Templum a Salomone Jos. l. I. contra Ap. e Menandri fragmentis collegit. Sed cum Dido *arcem* tantum exstruxit, fueritne urbs antiquior, an recentior, dubium est. Appian. Bell. Pun. tradit, Carthaginem fuisse a Tyriis conditam ann. 50 ante Ilii excidium, et conditores fuisse *Zorum* ac *Carchedonem*, inmani errore, quo de urbibus facti sunt viri: nam *Zorus* quoque est Tyrus, צור. Alii, teste Euseb. in Chron., ann. 143 post Trojam excisam contigisse tradunt, adeoque medio regno Davidis. Quae si concilianda sint, statui potest, arcem fuisse antiquiorem, et dein tempore Davidis, post Didonem *urbem*, inde adpellatam *novam*, sive Carchedonem. Ceterum urbis regimen post Didonem factum est *Aristocraticum*; summa enim rerum fuit penes paucos *Judices*; qui Romanis Script. *Suffetes* dicti sunt, Heb. שפטים. Crevit autem brevi tempore ejus dominium inmensum, adeo ut magnis cum inperiis comparari potuerit: Vid. Polyb. l. III. et App. Alex. Bell. Pun. Stetit autem, secundum Solinum, ann. 737, usque ad excidium per Romanos, post longum certamen duarum illarum urbium aemularum de summa inperii. Quae historia aliunde petenda est.

PERIODUS

PERIODUS SEXTA.

A DESTRUCTA HIEROSOLYMA AD INITIA JUDAE MACCABAEI

ANN. 421.

§. CCLXXXVIII. Ontinet Periodus historiam status Judaeorum in exilio Babylonico, eorumque liberationis, et reditus in Cananaeam, ducibus Zerubbabele et Josua Pontifice, sub Cyro, Persarum rege, illud permittente et procurante, dein Templi reaedificationis, et sacrorum instaurationis, instigantibus prophetis Haggaeo et Zacharia, sub Dario Hystaspis, illud concedente et promovente; porro reformationis morum, et munitionis Hierosolymae, ejusque ornationis, per Ezram et Nehemiam, sub Artaxerxe Longimano, denique populi instaurati variorum fatorum, laetorum et tristium, sub Persis, et dein Lagidis ac Seleucidis, donec in gravissimam incidit calamitatem per Antiochum Epiphanem: ex qua per Judam, ejusque fratres Maccabaeos, gloriose est liberatus. Extra Cananaeam qui in Assyria, Syria et AEgypto sedes fixerunt, varia sunt experti fata, pro indole Persarum, et dein Syro-Macedonum, ac Lagidarum. Quae historia ex libris Esrae,

et Nehemiae; Esther. et Danielis, nec non Hagg., Zachariae ac Malachiae libris propheticis, tanquam indubiis monumentis, ex parte petenda est, dein, ubi illa desinunt, ex Josepho et libris Maccabaeorum, uti adpellantur: denique adjungi merentur Herodotus, Xenophon, et alii rerum Pers. ac Macedon. Scriptores; suis locis citandi.

§. CCLXXXIX. Distinguitur vero, ordinis et perspicuitatis ergo, recte in tria Intervalla. Quorum *primum*, ab Hierosolyma destructa, sese usque ad initium Cyri Monarchae porrigit; estque ann. 50 vel 51. *Secundum* inde usque ad finem regni Persici sub Dario Codomanno ann. 207. *Tertium*, inde ad initia Judae Maccabaei ann. 155. In *primi* vero intervalli historia, successio regni Babylonici praemittenda est, dein status Judaeorum in exilio exponendus, denique notitia gentium aliarum, quibuscum Judaeis res fuerunt, tradenda est.

§. CCXC. Successio et Historia regni Babylonici, partim ex Canone Ptolemaei, partim fragmentis Berosi et Megasthenis apud Joseph. et Euseb., collectis et illustratis a Scaligero, ad calcem libri ejus de Emendat. Temp. sed Berosi, longe plenius a Fabricio Biblioth. Gr. vol. XIV. petenda, haec fuit. *Primus* Rex hujus intervalli est celeberrimus ille NEBUCADNEZAR, in Canone Nabocolassar, quae nomina vicina sunt. De cujus initio et fine ante dicam, quam ejus gesta et fata enarrem. Excepit Patrem in regno Babylonico, secundum Canonem, ann. aer. Nabonass. 144*to* qui anno Jojakimi, regis Judae, 4*to* et 5*to* respondet Jer. XXV., et ab eo termino regnavit ann. 43, ut ex can. Ptolem. et Beroso liquet. Communiter quidem statuitur, ann. 45 in historia sacra tribui Nebucadnezari, et initium peti ab ejus adsociatione cum Patre, quando expeditiones suscepit in populos rebelles, sed Danielis in libro initium regni ejus a morte Patris repetitur, nec ullum alterius initii reperitur in Script. S. indicium. Quod enim ex ann. Jechoniae 35*to*, quo e carcere est ab Evilmerodacho, suc-

cessore

cessore Nebucadnezaris 2 Reg. XXV. eductus, petitur, illud facile solvitur, si Nebucadnezari anni 43 pleni, ut licet, dentur: quum anni Jechoniae 35*tus* et Nebucadnezaris 44*tus*, qui primus est successoris, sibi respondebunt. Annus quippe *primus* Jechoniae est Nebucadnezaris *octavus*, teste Script. S.; additis annis 36 reperietur Jechoniae 37*mus*, et Nebucadn. 44*tus*. Tribuendi itaque sunt Nebuc. anni 43 completi.

§. CCXCI. Gesta ejus *bellica* memoriae mandata exstant, partim ante regnum susceptum, partim post. Patre adhuc vivo,, titulo supremi Ducis, suscepit expeditiones contra AEgyptios et alios populos, teste Beroso, in ordinem redigendos. Adpellatus quidem jam tunc est in Script. Rex, Dan. I. 2 Reg. XXIV. et 2 Chron. XXXVI., anno 3*tio* Jojakimi, sed per anticipationem, et pro more Orientis, quo summus exercitus Dux adpellabatur *Rex*. Fecit tunc Jojakimum tributarium, Pharaonem Nechonem ad fluvium Euphratem prostravit ann. 4*to* Jojakimi, Jer. XLVI. et Jos. Ant. l. X: 6. ejusque inperium in regiones inter Euphratem ac fluvium AEgypti exstinxit, 2 Reg. XXIV. indeque recta AEgyptum petiit: sed unde, nuncio de Patris obitu accepto, mox discessit, relicto tamen exercitu, et Babelem advolavit; ac Rex est declaratus, anno 4*to* Jojakimi, regis Judae, cui, ut et 5*to*, respondet primus Nebucadnezaris, Jer. XXV. Regnum adeptus, varias instituit expeditiones bellicas, ordine enarrandas. *Prima* est in Judaeos, sub finem Jojakimi, quem subegit, et mala morte ob rebellionem punivit, multis etiam deportatis, ann. 11*mo* Jojakimi, et 7*mo* Nebucadn. Jer. LII: 28. *Secunda*, anno sequente, seu 8*vo* regni, in Jechoniam, quem cum familia, et praecipuis Hierosolymae, multisque spoliis, Babelem transtulit 2 Reg. XXIV. *Tertia* in Judaeos expeditione, sub Tsedekia, Hierosolymam expugnavit, et de rege ejusque filiis ac primoribus regni poenas sumsit: ann. regni 18*vo*, toto populo in exilium deportato, relictis paucis: ut supra narravi.

§. CCXCII. *Quarta* expeditione Tyrum obsedit, ann. *20mo*, et post 13 annos expugnavit, ex narratione Philostrati. Potest quoque epocha captae Tyri ex Ezech. XXIX: 18. erui, cum finita sit a. *26to* deportationis Jechoniae, qui est Nebucadn. *34tus*. Tyrum *continentis*, et non insularem, intelligi, tralatitium est, sed eam vere fuisse destructam per Nebucadn., ex variis constat indiciis, a Vitringa ad Jes. jam productis. Historica utique narratio de Tyro a Nebucadn. obsessa Ezech. XXIX: 18, 12. illud clare indicat, et Annales Tyrii, quorum fragmenta ex Menandro et Philostrato exhibet Jos. contra Ap., et Ant. l. X: 11. illud ipsum indirecte significant. Praeterea, cum Tyrum, in *continente* sitam, fuisse dirutam longe ante Alex. M. vulgatissimum sit, ac certum; cui amplius dubium esse poterit, quin Nebucadnezari illud tribuendum sit, secundum claras de ipso prophetias Ez. XXVI et XXVII.? Illae autem prophetiae, ut id obiter dicam, quod in Comm. Mss. pluribus exsecutus sum, 1. utriusque Tyri, et continentis et insularis, *illius* per Nebucadnezarem, *hujus* per Alexandrum M. excidium, repraesentant cap. XXVI., *illius* v. 3—14. hujus v. 15—21. dein 2. utriusque etiam destructio cap. XXVII. in carmine lugubri graphice depingitur; denique 3. utriusque Tyri reges cap. XXVIII. distincte, quoque in scenam producuntur, insularis v. 2—10. continentis v. 11—19. Tyrii, ut hoc, ad prophetiarum etiam inplementum faciens, subjungam, a Nebucadnezare subjugati, cum aliquandiu sine regibus fuissent per *Judices* gubernati, instaurarunt, 18 ann. ante Cyrum, regnum, evocato e Babele *Merbalo* (מר בעל *domino Baal*) qui 4 ann. regnavit, cui mortuo suffecerunt *Iramum*, fratrem ejus, cujus ann. 14to Cyrus Monarcha orientis est factus, Vid. fragmentum hist. Phoenicum apud Jos. contra App. l. I. Ex quo Tyrios sui juris esse coepisse patet, adeoque eos viam ad plenam rerum instaurationem stravisse, quae haud diu post, 70 annis expletis, perfecta est Jes. XXIII: 15, 17. Ceterum duravit

mavit tot annos obsidio, non ob morbum Regis, quippe longe posteriorem, circa finem regni, ut postea notabo, sed quia alias hoc ipso tempore expeditiones suscepit in populos vicinos Cananaeae, Ammonitas, Moabitas et Idumaeos, quippe factas ab ann. 5*to* post excidium Hierosolymae, et Nebucadn, a. 23*tio*. Vid. Jos. Ant. l. X. Idumaei autem omnium gravissime fuerunt ab eo adflicti, adeo ut res suas nunquam potuerint instaurare, coacti etiam Veteres deserere possessiones, australia Judaeae, ad Hebronem usque, deinceps occuparunt tempore exilii Babylonici: quam regionem Marc. III: 8. euangelista *Idumaeam* adpellat. Restituto quoque Juda, et possessionibus suis reddito, continuavit adhuc et ultra calamitas Idumaeorum, ut ex Mal. I. patet, et ibi a nobis est observatum: quo etiam pertinet, quod, *die* jam exorto Judaeis, *nox* ipsis adhuc dicatur incumbere, Jes. XXII: 12. Requirunt quoque illud prophetiae, Jer. XLI. Ezech. XXV, XXXV. Am. I. et Obadj. quae ad Nebucadnezarem, tanquam judiciorum Dei exsecutorem, omnino respiciunt: cujus et in eo clarum est criterium, quod Obadj. 15 adligetur tempori *judicii Dei in omnes gentes*; vid. Jer. XXV.

§. CCXCIII. Tyro expugnata, ac vicinis populis subjectis, resumsit expeditionem, quae fuit *ultima*, contra AEgyptios in specie, Ezech. XXIX: 18. Eos vero fuisse subactos et oppressos ab eo, manifestum est ex viso Ezech. XXIX—XXXII. et Jer. XLIII et XLVI. et monumenta confirmant exotica, quae jam in medium adduxit Vitringa in *vindiciis* Templi Ezech. cap. 8. et ad Jes. XIX. Conferri quoque potest comm. noster ad Jer. XLIV: 30. et XLVI. inprimis illud patet ex fragmento Megasthenis apud Jos. Ant. l. X. et contra App. l. I. et Strab. l. XV. Prophetiae vero citatae implementum consecutae sunt, partim in destructione per Nebucadnez., partim in desolatione per Reges Persarum Cambysen, et Artaxerxen Ochum. Quam historiam egregie illustravit Vitringa l. c. sed qui hic illic

... emendandus est, uti in comm. ad Jer. XLVI. jam ... etiam contrarietates adparentes Herodoti ac verbi ... conatus sum e medio tollere: quae hic non re... Verbo tantum observo, regem, sub quo AEgyptum ...it Nebucadnezar, non fuisse Apryen, ut passim sta...tur Jer. XLIV: 3. Pharaonem Hophra dictum, quippe a populo rebellante victum et occisum, uti Jer. l. c. praedictum, etiam Ezech. XXIX: 3—5. primo et derecto sensu, uti in comment. ad utrumque locum exposui, ac ab Herod. l. II. narratum est, sed alium, qui, Aprye occiso, sibi adscivit Amasin, a quo regno est exutus; cujus mentio apud Athenaeum l. XV. exstat ex Hellanico; ubi adpellatur *Partamis* Quo a Nebucadnezare occiso, et AEgypto subacta, regnum accepit Amasis, Herodoto memoratus tanquam Apryis successor, intermedio rege omisso, sed Partami suffectus ab ipso Nebucadnezare, tanquam ejus *Satrapa*, et ei obnoxius. Qui ipse, cum Chaldaeis sese fidelem praestaret, regnum tenuit humile quidem, at pacatum, et deinceps, Chaldaeorum potentia post Nebucadnezarem inminuta, et tandem per Medos ac Persas destructa, regnum reddidit fortunatum, uti Herod. de ipso retulit. De quibus omnibus differui copiosius ad Jer. XLVI. Quae ipsa rerum instauratio convenit verbo Prophetico, Jer. XLVI: 26. et Ezech. XXIX: 13.

§. CCXCIV. Syria et AEgypto subacta, num ulterius in Dominio extendendo processerit Nebucadnezar, non constat. Tradit quidem Megasthenes, Indicarum rerum Scriptor sub Seleuco Nicatore, apud Jos., Euseb. et Strab., eum Libyae magnam partem, et Iberiam (omnino Europeam seu Hispaniam, non Asiaticam) penetrasse, ac subjugasse: sed ejus tanta non est autoritas, ut solus fidem mereatur, cum nullus alius ejus meminerit, nec desunt et alia, quae illud falsi convincunt: quae jam protuli in Diss. ad ... Dan. Diss. I. Libyae tamen aliquam partem ab ... fuisse occupatam, Megastheni tradenti fidem non denegaverim,

gaverim, cum aliunde confirmari possit, ut l. c. etiam observavi. Quousque per Asiam dilataverit principatum, pro certo definiri nequit, nec quidem num Medi Lydique ei fuerint subjecti: de quo ibid. mentem exposui Illud adfirmari in genere potest, quod etiam phrasibus Dan. II et IV. de amplitudine regni Nebucadnezaris, stilum orientalem et aulicum redolentibus, satisfacit, dominium ejus 1. sese ad longe maximam orbis, tunc in oriente in vulgus noti, ac celebris, partem extendisse, 2. omnibus regnis ejus temporis in oriente fuisse illustrius ac potentius; denique 3. nullum fuisse aliud, cui, si vellet, leges non potuerit ponere, vel quod sibi ab eo non metuerit, adeoque submisse non debuerit agere, De quo etiam l. c. satis disserui.

§. CCXCV. Expeditionibus bellicis finitis, et regno longe lateque dilatato, populis multis subactis ac spoliatis, ingentibus undequaque corrasis ac coacervatis divitiis ac opibus, quae omnia summatim, et veris coloribus, depinxit propheta Hab. cap. I et II. tanquam jam facta (non enim futura praecinit, sed jam facta enarrat, ac post ea tempora floruit propheta, de quo mox.) Babeli amplificandae ac ornandae incubuit totus, et perfecit, adeo ut illud gloriose ac superbe sibi adrogaverit ac jactaverit Dan. IV: 2. Urbem utique novam addidit veteri, et utramque muro triplice cinxit, ac munivit lateritio, horto quoque pensili, in gratiam conjugis suae Medicae, ornavit. Litteris denique et artibus promovendis operam dedit, juvenes quoque Judaeorum, regio sumtu, instruendos curavit, ut Danielem et socios, quos ad summas evexit dignitates, postquam Daniel somnium regis esset interpretatus. Tradidit dein sese otio, et luxui, ut ipse Dan. IV: 1. fatetur, sed et eo venit insaniae, ut, statua erecta, eam, vel se in ea, voluerit adorari ab omnibus, gravi sub combustionis poena; quam cum in sociis Danielis, illud recusantibus, exsequi tentaret, miraculosa eorum liberatione ad saniorem redactus est mentem, et Deo ipsorum gloriam dedit: ut ex libro Dan. constat.

§. CCXCVI. Hoc fortunato in statu cum versaretur, sibique suisque viribus adplauderet, incidit, per singulare Dei judicium, in terribile delirium, quo bestiis se adsociavit, postea quam somnio de eo esset, a Daniele explicito, admonitus: Dan. IV. Corripuit fatalis hic casus Nebucadnezarem, non in medio victoriarum cursu, aut Tyri obsidione, uti facile vel ex eo patet, quod summa tunc gauderet tranquillitate Dan. IV: 1. regnum quoque summum gloriae et amplitudinis culmen jam adtigisset, ib. 19. et III: 31. ipsa Babylon quoque munita ac ornata c. IV: 27. quod, teste Beroso, post gesta bellica factum est; sed circa ultimum vitae ejus tempus; quod Berosi et Megasthenis fragmenta quoque indicant, quae tradunt, ipsum, Babele muris munita, incidisse in *infirmitatem*, vel ut Megasthen. habet, *Palatium conscendisse*, et *divino furore fuisse correptum* etc. Nec illud expeditionibus ejus repugnat. Tyro enim expugnata, AEgyptum ann. 34*to* regni facile occupavit; ut modo notavi: quando ann. 35*to* Babelem potuit repetiisse, et operibus confectis morbo per 7 annos laborasse, cum 43 annos completos regnaverit. Vid. Diss. nostra modo citata ad Dan. Ceterum de genere, vel natura, morbi ejus hic disseruisse nihil adtinet, suffecerit notasse, quod ex lectione Dan. IV. in oculos facile incurrit, eum non fuisse in bestiam agri transformatum, sed mente captum, aut furore aliquo correptum, instar daemoniaci, in agro inter bestias degisse, et cum iis victitasse, ab omni hominum consortio separatum, nec ullam corporis sui curandi rationem habuisse.

§. CCXCVII. Nebucadnezare in vilissimam hanc conditionem conjecto, et mox, post restitutionem in integrum, mortuo, regnum illud gloriosum et amplum haud parum coepit labefactari, cum bellicosi principes fuerunt in obscurum missi, et varii populi deficiscere coeperunt, adeo ut *alae leonis* dici potuerint *avulsae*, ac leo ipse pedibus institisse cum *corde* humano, seu *inbecilli*; uti visum Dan. VII: 4. habet, et in Diss. ad Dan. a nobis expositum est; ubi de-

fectionis nonnullorum populorum quaedam protuli indicia, hic non repetenda. Successit quoque Nebucadnezari filius *Evilmerodach*, in Script. S. 2 Reg. XXV. et Jer. LII. memoratus, et in can. Ptolem. dictus Iluarodamus, cui 2 tantum dantur anni. Qui Jechoniam e carcere eduxit, et honorifice tractavit, uti 2 Reg. et Jer. l. c. traditur; caetera *nefarie* ac *petulanter* regnavit, teste Beroso; qui addit, eum post biennii regnum fuisse a Neriglissore, sororis marito, e medio sublatum. Successit hic ipse *Neriglissor*, qui regnum aliquatenus instauravit, haud parum concussum et attritum. Ipse enim, sicut sub Nebucadnezare *fortissimi* ducis nomen nactus est, si, quod probabile est, ipse sit Nergal-Scharezer, Jer. XXXIX: 3. quare ejus filia, quam duxit, fuit dignus habitus, ita sese, rex factus, *virum fortem* et *strenuum* praestitit, quod de ipso testatur Xenoph. Inst. Cyri l. IV. et gesta comprobant, tuitus est enim regnum collabi coeptum; et populos rebelles, ut Syros et Arabes, subegit, et Bactrios oppugnavit, uti Xenoph. ib. l. I. tradit. Sed post triennium hoc rege orbatum est regnum, magno suo damno. Praelio enim inter Medos et Babylonios habito, caesi sunt Babylonii, una cum rege, Xenoph. l. III. fin., et IV. init.

§. CCXCVIII. Hunc casum secuta est conditio regni, quam *Leo*, instar hominis, et cum corde humano stans, repraesentat Dan. VII. Successit enim Laborosoarchodus Beroso memoratus, sed in canone Ptol. omissus ob brevis temporis regnum, quod *novem* tantum fuit mensium, princeps ignavus, meticulosus, et inbecillis, uti a Xenoph. l. V. describitur, qualemque belli tempore cum Medis sese praestitit, quare Gadataei et Gobriani, principes Babylonii, Babylone a Medis capta, in regiam penetrantes, ipsum, *erectum cum acinace*, *quem* strictum tenebat, stantem trucidarunt, Xenoph. l. VII. Quod in Beltzazarem, Dan. V. recte quadrat: de quo postea. Accessit, Babylonios fuisse tunc etiam a principibus viris, et sociis praecipuis desertos, qui partim de-

 fecerant,

fecerant, ut Gadataei et Gobriani, et populi fortes, Hyrcani, aliique, Xenoph. l. V. partim absterriti per Cyrum erant, ut Lydi, aliique. Denique ipsi Babelis incolae, metu perculsi, vel munimentis urbis confisi, ac luxuriosi, *faeminarum* instar, sese, tempore obsidionis Medorum, intra muros continebant, omni virtute bellica orbi; uti Jer. LI: 30. habetur, et Herodot. l. I. confirmat. Quo in statu subito et inproviso sunt oppressi hilariter agentes, ut ex Dan. V. nec non Herod. ac Xenoph. constat. Babele ita prima vice a Medis, duce Cyro, et ope principum Babelis, quorum mentionem feci, capta, ac rege occiso, mansit quidem regnum Babylonicum, sed in domo Nebucadnezaris exstinctum, ac ad regem extraneum translatum est, qui in Can. Ptol. ac a Beroso ac Megasth. Nabonadius, a Xenoph. Cyaxares, et Dan. VI. Darius Medus adpellatur, et ann. 17 praefuit, quando altera vice Babel a Cyro, jam Rege, expugnata est, et rex in Carmaniam missus, ac ei praefectus est: ut refert Megasth. De quibus omnibus postea, suo loco, uberius differam.

§. CCXCIX. Historia regni Babylonici praemissa, de Judaeis in exilio agendum est, respectu *status* et *durationis*, simul historia sacra cum exotica est conferenda. Ad *statum* eorum pertinet locus, et *status* ipse, cum politicus, tum Ecclesiasticus, de quo consuli meretur Georgius Ericius Phaletranus, vero suo nomine Guntherus Henricus Phlatnerus, Getus, a consiliis Duci Saxoniae Vinariensi, in erudito tractatu de *sceptro ablato*, recuso in Syntagm. Diss. rariorum Cl. Graevii. *Loca*, in quae abducti sunt Judaei, non fuerunt tam longe dissita, quam Israelitarum, sed propinqua, in Mesopotamia, cis et trans fluvium Chaborram uti ex Ez. I: 1. ubi fluvius *Chebar* adpellatur, liquet; praeterea loca commoda, uti Berosus quoque tradit, quae cuncta ad bene vivendum, uti agros, vineas, aliaque suppeditare poterant Vid. Jer. XXIX. De quo etiam testatur, quod Judaei multis opibus cumulati in patriam redierint. Jos. Ant.

l. X. et multi ibi manere maluerint, quam patriam repetere, uti conſtat. Ad ſtatum eorum civilem 1. pertinet, quod per modum coloniae hic degerint, non ſparſi, ſicut Iſraelitae, et diſſiti, ſed conjuncti, uti teſtatur Beroſus apud Joſ. contra Ap. unde etiam גלות ἀποικία, μετοικεσία adpellatur. 2. Habuerunt ſuos praefectos, ex ipſa domo Davidis, ſicut ex Zerubbabele patet, duce eorum Ezr. I: 8. adeoque aliquam regiminis proprii formam, abſque tamen jure gladii, ſecus ac in hiſtoria Suſannae traditur. 3. Agros etiam ac vineas poſſederunt ac coluerunt, uti Jer. XXIX. ſignificatur. Reſpectu ſtatus Eccleſiaſtici et religioſi notari meretur. 1. Judaeos libero fuiſſe uſos exercitio religionis, quantum in terra peregrina fieri poterat: habuerunt itaque conventus religioſos, ubi notitia legis et religionis inſtituebantur, et precibus ac canticis defungebantur: Pſ. CXXXVII. adeoque prima jacta ſunt fundamenta Synagogarum. 2. Ordines ſacerdotales fuiſſe conſervatos, et habuiſſe Judaeos ſuos Pontifices. Ultimus, tempore deſtructae Hieroſolymae, fuit Seraja, cujus ſucceſſor fuit *Joſedecus* in ipſo exilio, quem excepit Joſua, qui cum populo rediit in patriam.

§. CCC. 3. Excellentioribus prophetis quoque eos non caruiſſe conſtat, inter quos memorantur, quorum ſcripta ſuperſunt, praeter Jeremiam, qui primum in Cananaea, quam diu reliquiae ibi degerunt ſub Gedalia, dein in AEgypto, quum ſuperſtites eo, contranitente Jeremia, ſeceſſerunt, functus eſt officio, incertum quamdiu, praeter eum inquam, Ezechiel et Habacucus, ac Daniel. DANIEL, licet munere non propheta, praeclaris viſis propheticis ornatus, et ſtrenuus religionis cultor, ac populi defenſor fuit, qui, durante exilio, uſque ad Cyrum ſuperfuit; uti ex libro ejus conſtat. Quo etiam pertinet elogium ipſi datum, hic obiter illuſtrandum, Ez. XIV: 14. et XXVIII: 4. Priore loco adjungitur Noacho et Jobo, pietate ac interceſſione pro populo celeberrimis, et Deo valde acceptis, etiam viſione divina, ac revelatione futurorum gaviſis. Inter quos

medius ponitur Daniel, quia et ipse in summa fuit apud Deum gratia, spiritu ejus ductus, ac vir *desideratissimus* adpellatus, simul arcanorum Dei gnarus, et efficace sua intercessione pro populo celebris, denique calamitatibus exercitus ac ereptus, sicut Noacho et Jobo contigerat. Altero in loco, ubi inter *sapientiam* ducum Tyriorum et Danielis comparatio instituitur, usus videtur Ezechiel dicto proverbiali sui temporis, quo summus sapientiae et prudentiae gradus solebat cum Daniele comparari, quippe ab eo in arcanis ac involutis enodandis, et populo gubernando, ac felici reddendo, celebratissimo, jam eo tempore. Daniel enim anno 3*tio* Jojakimi fuit Babelem abductus, revelatio vero priore loco facta est Ezechieli ann. 6*to* Tsedekiae, adeoque postquam somnium Nebucadnezaris jam enarrasset, et interpretatus, et ad summam in aula dignitatem evectus fuisset. Posteriore vero loco contigit Ezechieli revelatio eodem anno, quo Hierosolyma est expugnata, adeoque anno 11*mo* Tsedekiae; ut ex c. XXVI: 1. patet.

§. CCCI. EZECHIEL, יחזקאל quasi dicas *nervabit Deus fortis*, ita ex voto parentum quidem adpellatus, quo, spe in Deo forti posita, voverunt, ut filium firmum reddat, fidei, religionis ac vitae respectu, sed et forte ex Dei occulta directione, quatenus ad arduum opus erat destinatus, non sine singulari favore et corroboratione Dei efficiendum, quo respici videtur c. III: 8, 9. Filius Buzi, de quo nihil constat, genere et munere sacerdos, dotibus, virtutibus et fatis celeberrimus, ut ex libro ejus facile colligitur, inter exules Judaeos, circa Chaborram degens, incepit munus propheticum anno 5*to* deportationis Jechoniae, et 30*mo* epochae, quae non exprimitur, cap. I: 1, 2. et per 22 annos in eo versatus est, sicut ex ultima revelatione, anno prioris epochae 27*mo* Ezech. XXIX: 17. elucescit. Fuit itaque ex parte coaevus Jeremiae, sed qui citius incepit: ab a. 13*tio* Josiae, et diutius continuavit, inter exules adhuc post destructam Hierosolymam, uti notum est. Sed quae

quae altera illa aera sit, cujus ann. 30*mo* munus auspicatus fuit Ezechiel, non convenit inter Doctos, nec pro certo definiri potest. Mihi, ut aliorum opiniones mittam, videtur cum aliis aera intelligenda, non *Judaica*, quippe a qua distinguitur, sed *civilis*, ejus scilicet populi, in cujus medio versabatur propheta, sicut et Danielis in libro ejusmodi adhibetur epocha; praeterea omnibus nota, et illustris, ita ut exprimi non fuerit necesse, qualis fuit ἐνθρονισμὸς inauguratio Nabopolassaris, patris Nebucadnezaris, qui fundamenta jecit, ut supra vidimus, sic dictae Monarchiae Babylonicae. Sunt quidem ab ejus initio ad 5*tum* Jechoniae, anni 32 vel 33, sed, si in numero non sit mendum, epocha ducta censeri potest, ex quo in regno fuit confirmatus et celebrior factus. Ceterum, ut illud obiter observem, passim male censetur, *duos* libros Ezechieli a Jos. Ant. X: 5. tribui, unde variae natae sunt Doctorum opiniones; cum Jos. non de Ezechiele, sed Jeremia tradat, eum *duo* scripsisse volumina, sicut verum est. Cum enim dixisset Jos. non solum Jeremiam illa praedixisse populo, sed et Ezechielem vatem, ita pergit, ὃς πρῶτος *qui primus* de his *duos libros scriptos reliquit:* quae verba male sunt ad Ezechielem relata, cum ad Jeremiam pertineant, uti vox πρῶτος *primus* facile indicat, quae nulla pollet emphasi de Ezechiele intellecta; relativum vero ὃς *qui* mendosum est ex praeced. litteris ortum, nec a MSS. et Vet. Interpr. Lat. agnitum. *Primus* itaque est primus modo memoratorum, adeoque Jeremias, duorum librorum, *Prophet.* scilicet et *Threnorum*, autor.

§. CCCII. Tres sunt generales libri Ezechielis partes, quarum *prima* et *tertia* ad Israelem directe spectat, *secunda* ad populos vicinos. *Prima* est elenctico prophetica, qua populi vitia et crimina in lucem proferuntur, reprehenduntur, et judicia Dei denunciantur. Quae conciones habitae sunt anno deportationis ejus *quarto*, *sexto*, *septimo* et *nono*, omnes ante excidium Hierosolymae, usque ad cap. XXV.

Secundae partis conciones contra populos vicinos, quibus eorum crimina exhibentur, et judicia praenunciantur, ad defensionem et consolationem Israelis, sese ad cap. XXVII. porrigunt, et maximam partem factae sunt tempore obsidionis Hierosolymae, anno exilii Ezechielis *undecimo* et *duodecimo*. Denique *tertia* pars est *paracletico prophetica*, qua, inserta ad resipiscentiam adhortatione, populi Dei instauratio, et laeta fata, praenunciantur, usque ad Oeconom. Vet. consummationem in Nova sub Messia. Quae conciones, ad finem libri porrectae, habitae sunt post excidium Reip. Judaicae. Praemissa vero omnibus hisce partibus est solennis inauguratio prophetae, altera inplicita, per visum cap. I. altera expressa c. II—III: 11.

§. CCCIII. HABAKUKUM, insignem et grandisonum vatem, sub Manasse, vel Josia, vel in initiis Jojakimi, concionatum fuisse, statui solet, cum quod corruptissima fuerit populi Dei conditio cap. I: 2. tum expeditio Chaldaeorum in hanc gentem depravatam fuerit in procinctu, v. 5, 6. Sed utrumque illud mihi a vero videtur alienum. Prima enim pericopa, v. 2—4. non de corruptione Judaeorum morali, sed de vastatione terrae, summa cum injustitia et violentia, per Chaldaeos, quaquaversum circumlata, intelligenda est; Chaldaeorum quoque expeditio non ut futura, sed jam facta, describitur: de quo in Comm. MSS. fusius exposui. Quibus admissis, aetas prophetae, rectius longe in tempus exilii Babylonici confertur, postquam Chaldaei omnes fere terras caedibus ac rapinis replevissent, cumque prope a judicio ipsis infligendo abessent. Quae alibi, in comment., in medium produxi. Accedit, in *additamentis* Danielis nostrum ad tempora Danielis referri, cum alimenta traditur ad Danielem, inter leones in lacu versatum, detulisse. Sit hic libellus apocryphus, historia quoque ficta, fundata tamen sit oportet in veris circumstantiis; et prophetam, ex antiqua traditione, tunc vixisse crediderint ejus temporis homines, quo liber iste compositus est: quod hic sufficit.

§. CCCIV.

§. CCCIV. Habakuk, ut de eo paulo distinctius, pro more, exponam, חבקוק *Chabakuk*, Graec. ἀμβακούμ, ut Graeca habet inscriptio, et in additament. Danielis, sed edit. Complut. ἀμβακούκ, Hebr. textui convenientius, filium signat *dilectissimum*, quem mater tenerrimo complectitur amore, vel, vi radicis, in sinu recipit, pedibusque, dum adsidet, innixum, pectori adplicat. Radix חבק, unde, ultima littera, emphasios causa, multiplicata, est חבקוק, proprie signat *plexuit*, firmiter adstrinxit plectendo, et usu suo eum exprimit corporis gestum, quo dorsum et pedes inter se, admota fascia, constringuntur. Floruit, seu prophetavit; ex mea opinione, ut modo notavi, quo tempore Chaldaei terras quaquaversum, cum Judaea, jam occupassent, et caedes ac rapinas circumtulissent, nec a judicio divino, ipsis infligendo, multum essent remoti. Cujus temporis haud obscura in ipso libro sunt indicia. 1. Chaldaei in scenam prodeunt, tanquam qui terram jam repleverant vastatione et violentia, opes ingente copia coacervaverant, et summum gloriae ac potentiae culmen adtigerant, cap. I: 13.— et II: 5. 2. Populus vero Dei in exilio repraesentatur iram Dei jam expertus, c. III: 2. cujus terra jacebat inculta et desolata c. III: 18. 3. Pii vero, seu prophetae, introducuntur liberationem suam, et adventum Dei ad hostes judicandos, exspectantes, et tanquam in specula stantes, cap. II: 1. Denique 4. Chaldaei ob oculos ponuntur, tanquam quorum judicium, et destructio erat in procinctu, cap. II et III.

§. CCCV. Generale libri *argumentum* huc redit. Posteaquam Propheta, de diuturna violentia et injustitia, quae in universa terra grassabatur, acerbe esset conquestus, simul violentiae autores Chaldaeos, hostes terribiles, a Deo ad puniendos inpios suscitatos, digito monstrasset, et aterrimis coloribus depinxisset, sese ad preces vertit, quibus illorum repressionem supplicat, easque validis rationibus, a Dei sanctitate et justitia petitis, adstringit. Quibus fusius

eum responsum Dei ad eas exspectaret, refert, sibi divinitus esse revelatum, judicem esse ante fores, certo certius esse venturum, et inpios illos oppressores de terra deleturum. Quam exstirpationem fusius praedicit, cap. II. Denique praedictioni subjungit preces, quibus inplementum prophetiae suae supplicat, et adventum Dei, ad judicium, et hostium excidium, se in fide exspectare testificatur, adeo ut, non obstante desolatione terrae, in Deo propterea exsultare possit. Verus autem argumenti libri, quod exhibui, conspectus est sententia fori coelestis, in violentos hosce terrae destructores, et populi Dei hostes, prolata, quam Propheta primum supplicat, dein nomine Dei pronunciat, tandem precibus, per modum cantici, subjunctis, confirmat. Quare generali titulo adpellatur in libri titulo המשא, h. e. gravis sententiae prolatio: sive grave Dei judicium, sive populi liberationem complectatur, sive in genere sententiam aliquam, emphaseos plenam. Radix enim נשא inter alia significat *vocem tollere*, efferre quid clara voce ponderosum. Passim vero ad gravem judicis sententiam in impios prolatam restringitur.

§. CCCVI. Dividit itaque sese liber in tres partes generales, totidem capitibus comprehensas. *Prima* cap. I., post querelas de diuturna Chaldaeorum violentia, et injustis oppressionibus, preces continet prophetae pro oppressorum liberatione, et violentorum hostium repressione. *Secunda* cap. II. responsum Dei ad has querelas et preces, vaticinium de hostium destructione complexum, repraesentat. *Tertia* cap. III. est illustre canticum prophetae, quo populi liberationem, cum signis gloriae et majestatis Jehovae efficiendam, graphice depingit, simul fidem, in promisso Dei fundatam, et spem suam testificatur, eaque ratione superius vaticinium, de hostium populi Dei exterminio, confirmat. Ceterum ad hanc *secundam* et *tertiam* partem proprie respicit titulus libri, *sententia gravis*, *quam vidit Habakuk* propheta. Visum enim proprie est, quo prophetae,

rapto

rapto in ecstasin, judicium Dei in Chaldaeos, est revelatum: ut est cap. II: 2. Cohaerent vero hae partes hac ratione, ut *prima* sit occasio sequentium, *secunda* contineat vaticinium, per modum responsi Dei ad querelas et preces Prophetae, c. II: 2, *tertia* illud illustret, et fidem prophetae, ei adhibitam, exprimat. Simile quid contigit Danieli, nostro aequali, cujus precibus mox subjunctum est responsum divinum: cap. IX.

§. CCCVII. Ceterum cum hypothesi nostrae de aetate prophetae, ac tempore harum concionum, communis adversetur opinio, in prima cap. I. pericopa, quae *prophetiam* de Chaldaeis suscitandis continet, fundata, de hypothesi ejus cap. explicandi quaedam dicenda sunt, ne quis ad hunc scopulum obhaerescat. Consentiunt fere Interpretes, cap. I. consignatum esse vaticinium de Judaeis per Chaldaeos puniendis, adeoque primis quatuor versibus Judaeae gentis corruptionem describi ante exilium Babylonicum, et dein vers. 5. ad 11 usque, Chaldaeos, tanquam instrumenta irae Dei, quibus resp. Judaica destrueretur, in scenam a propheta produci; denique contra Chaldaeorum progressum, preces fundi ab Ecclesia, inde usque ad finem capitis. Ex nostra vero opinione nullum hic se prophetae vaticinium offert, sed querela tantum de oppressione a Chaldaeis profecta, quae preces involvit contra eos, ut illi debitas violentiae et injustitiae luant poenas. Agitur itaque de calamitate Judaeorum per Chaldaeos, tanquam futura, secundum vulgatam opinionem, sed secundum nostram, tanquam facta, et praesente.

§. CCCVIII. Rationes, quibus nostra innititur hypothesis, sunt sequentes. 1. Pericopae, quae Chaldaeorum descriptionem sequuntur et praecedunt, cum sibi respondeant, ejusdemque sint argumenti, ut earum comparatio evincit, sequens autem, omnium consensu, de vastitate per Chaldaeos inducta agat, prima et praecedens pericopa de eadem destructione omnino est intelligenda. Quo admisso, oppres-

ſio, per Chaldaeos jam facta, hic repraeſentetur neceſſe eſt, cum propheta de illarum diuturnitate calamitatum, abſque ut Deus iis ſuccurrat, querelas effundat. 2. In pericopa ſequente manifeſta occurrunt graſſationis, et violentiae Chaldaeorum, jam factae, indicia, ut v. 11, 12, 16. ex quo colligendum eſt, pericopam praecedentem, de Chaldaeorum terribili potentia et graſſatione prophetiam non continere, prophetae nunc revelatam, cum ea ratione illud dominium tunc nondum locum habuiſſet, quia de Chaldaeis, adhuc ſuſcitandis, ibi agitur, quod modo demonſtratis repugnat, ſed prophetiam ante factam tantum repetere. Complectitur quidem pericopa prophetiam, teſte orationis toto complexu, ſed non hoc, verum ſuperiore, tempore factam, antequam Chaldaei tale conſecuti ſunt dominium. Quam noſter propheta hic renovat, nec ſine juſta ratione. Inſerta enim eſt, ut mihi videtur, haec prophetia, olim vulgata, 1. ut juſtitia Dei, reſpectu Judaeorum, in eo fiat conſpicua, quod Deus non niſi poſteaquam populum per prophetias admonuiſſet permiſerit hanc violentiam in Judaeos rebelles, a Chaldaeis exercendam. Sed et 2. habet haec pericopa conſpectum objectionis, quae prophetae querelas videbatur refutare poſſe, cum juſtum non videatur, de eo expoſtulare cum Deo, quod ſecundum ejus voluntatem, per prophetas declaratam, fuerat factum. Eſt itaque acſi dicat propheta: novi, Domine, et agnoſco, Chaldaeos a Te eſſe ſuſcitatos ad puniendos inpios, poenitere neſcios, ſimul populum tuum de his hoſtibus per Prophetas tuos eſſe admonitum, adeoque Te juſtitiae leges in eo non migraſſe: attamen cum Chaldaei modum non tenuerint, ſed et ipſi per ſcelera ſua gravem contraxerint reatum, populus vero tuus in exilio ad ſaniorem redierit mentem, Tu quoque ejuſmodi violentas graſſationes, et ſuperbum dominium, adprobare nequeas, quid quaeſo rationis amplius eſſe poteſt, quod tam violentos et iniquos hoſtes longo adhuc tempore toleres? precor itaque, ut et in illos, ſicut

ante in rebellem tuum populum, iram tuam effundas. Sermo vers. 5. est concisus, et ellipticus, qualis Prophetarum esse solet, in primis, qui, ut noster, sublimi utuntur stilo, sed, qui ab adtento lectore facile suppletur, per *dixisti Jehova per prophetas* etc. cujus et in eo est indicium, quod ipse Jehova introducatur loquens v. 5 et 6. Possem similia proferre exempla, etiam hypothesin nostram uberius ex eo demonstrare, quod pericopa vers. 2—4. non ad corruptionem gentis Judaicae ante exilium Babylonicum, sed ad Chaldaeorum violentias, eorumque oppressiones, quas in Judaea quaquaversum instituerant, pertineat: sed moras longiores nectere non ausim. Prodibit etiam forte Comment. noster ad hunc Prophetam, quo fusius id feci.

§. CCCIX. Denique 4. licet multi in initio animum rebellem in Deum, et idololatricum adfectum retinuerint; quo Ez. XXXVI: 22. et alia similia pertinent loca, dubium tamen non est, quin multi non solum superfuerint pii, et religionis patriae studiosi, sed et deinceps totus populus ab idololatria fuerit abstractus, ac ad Jehovam conversus, sicut Lev. XXVI. Deut. XXX. Jer. XXXI, et XXXIII. aliisque locis praedictum fuit. Cujus singularis reformationis populi haud obscurum in eo fuit indicium, quod a tempore reditus in Cananaeam nunquam non tantum legatur, idololatriam inter Judaeos viguisse, sed e contra, eos ab omni idololatria abhorruisse; cujus rei ratio recte, quoad media humana, a studio legis, inter Judaeos vigente, quod cum Ezra incepit, et dein semper est continuatum, repetitur. Animi poenitentis, in ipso exilio dominantis, indicium quoque praebent *jejunia* stata, tunc, in superiorum calamitatum memoriam, introducta, quorum catalogus ex Zach. VIII. erui potest. Sunt autem 1. *quarti* mensis, quo Hierosolyma est expugnata, 2. *quinti*, quo Templum combustum est, 3. *Septimi*, quo Gedalia est ab Ismaele occisus, Jer. XXXIX et XLI. Denique, 4. *decimi* mensis, quo Hierosolyma coepit obsideri.

§. CCCX. Patet itaque, quod etiam a Mose et Prophetis fuit praedictum, Deum benigne et indulgenter cum populo exule egisse, nec in hanc calamitatem eum conjecisse, ut penitus abjiceret ac perderet, verum castigaret, emendaret, ac restitueret; sicut, post 70 annorum spatium, secundum praedictionem Jer. XXV, XXIX. 2 Chron. XXXVI. Dan. IX. factum quoque est. Fluxisse autem tot annos ab initio exilii ad ejus finem, facile demonstratur, si termini ejus *a quo*, et ad *quem*, recte ponantur. De quo nunc est differendum. Terminum posteriorem esse ann. *1mum* Cyri Monarchae, ex Ezr. I. manifestum est: sed observari debet, annum illum *primum* esse *tertium* Cyri in canone Ptolemaei, ubi ipsi 9 dantur anni, cum tamen tanquam Monarchae ipsi tantum 7 competant; sicut ex Xenophonte patet, qui tot annos ei adsignat. Cyrus scilicet *biennium* insumsit condendae Monarchiae, adeoque *tertius* ejus annus est *primus* Monarchiae: unde est, quod Xenoph. ipsi 7, et canon Ptolem. 9. ei det annos; in canone enim numerantur, ex quo regnum Babylonicum coepit destruere sub Dario Medo: de quo postea. *Primus* ergo Cyri in Script. S. est *tertius* ejus in Canone. Sed de *termino a quo*, seu epocha exilii, non convenit inter Chronologos, quia diversae, eaeque *tres*, fuerunt generalioris deportationis periodi; prima sub Jojakimo, ann. ejus 3*tio* vel 4*to*, secunda sub Jechonia, et tertia sub finem Tsedeciae, uti supra suo loco observatum est. *Tertiam* pro initio periodi exilii habuerunt Veteres, et e Recentioribus aliqui, ut Marshamus, *secundam* plerique post Scaligerum, sed primam Usserius, Petavius et alii. Quae ultima sententia nobis etiam videtur verior, quippe et chronologiae regum Babyloniae, et rei ipsi congrua: Chronologia ista 66 annos habet in Canone Ptolemaei; dantur enim Nebucadnezari 43, Evilmerodacho 2, Nerigl issori 4, Nabonedo 17: in universum itaque 66; quibus *duo* sunt addendi, ab initio exilii, quippe quod 3*tio* Jojakimi incepit, et Nebucadnezar demum

ann.

ann. *4to* et *5to* ejus, ut supra habuimus, praeterea, ut modo observavi, *duo* ante Cyrum Monarcham, seu destructum regnum Babylonicum. Quibus 4 annis additis numerus ann. 70 sponte sese offert. Robur addit, cum, quod cum tres fuerint deportationes, rei naturae sit convenientius, ut epocha exilii a *prima* ducatur, unde etiam petitur Dan. I. tum quod *1mo* Nebucadnezaris, et *4to* Jojakimi, fatum subjugationis populorum adligetur Jer. XXV. et Jes. XXIII: 17. Nec obstat, quod Jer. XXIX: 10. in epistola Jeremiae ad exules, sub Jechonia missa, promittatur liberatio eorum, post annos 70 completos, cum illi anni ibi, non ut incipientes, sed jam *currentes*, occurrant, adeo ut sensus sit, annos a Jeremia jam ante definitos, et jam fluentes, 70 esse ante complendos, quam liberandi sint exules: plane sicut Num. XIV: 33, 34. 40 ann. Israelitae dicuntur in deserto oberraturi, licet jam tunc per ann. *duas* in eo fuerint, nec non Jud. XIV: 17. uxor Simsonis legitur *septem dies* ab eo frustra petiisse aenigmatis solutionem, licet *4to* die demum Sodales id ab ea petierint. Locum Jeremiae ita esse explicandum, aliis quoque adhuc argumentis demonstravi in Comment. ad eum. Quod vero Ez. XL: 1. anni *14tus* destructae urbis, et *25tus* deportationis, secum connectantur, nihil injicit difficultatis, cum Ezech. de suo et non populi, exilio loquatur, quod sub Jechonia incepit, ut ex cap. I. constat.

§. CCCXI. Praeter hos 70 exilii annos memorantur alii 70 Zach. I et VII., referendi omnino ad Hierosolymam destructam, ut ex ipsis illis locis patet, et supputandi sunt a Templi desolatione usque ad plenam ejus reaedificationem, ann. *6to* Darii Hystaspis Ezr. VI. et facile inveniuntur. Combustum enim est Templum ann. Per. Jul. 4128, et reaedificatum ann. 4198, qui est *6tus* Darii. Quod ulterius ex annis Cyri 7, Cambysis 7, et Darii Hyst. 6, adeoque 20 in universum, additis 50 annis a combusto Templo ad initium Cyri, confirmatur. Intervallum itaque,

de quo hic agimus, continet ann. 50, a deſtructa Hieroſolyma ad finem exilii, ſeu initium Cyri Monarchae.

§. CCCXII. Ad hiſtoriae ſacrae cum exotica comparationem, ejuſque ex ea illuſtrationem, pertinet inveſtigatio Beltzazaris, in libro Dan. obvii. Alia enim, ad regnum Babyl. ac Nebucadnezarem, praeterea inplementum prophetiarum, de fatis populorum vicinorum, ſpectantia, jam ſupra occupavi, in hiſtoria Nebucadnezaris et ſucceſſorum. Beltzazar vero in illo libro adpellatur filius Nebucadnezaris, ſive pater ſive avus fuerit cap. V, anni ejus *tres* c. VIII: 1. memorantur, abſque ut negetur, eum diutius regnaſſe, denique *ultimus* rex de ſtirpe Nebucadnezaris fuiſſe dicitur, et violenter occiſus, quando regnum ad Darium Medum eſt tranſlatum, cap. V et VI. Hos charecteres ſi advertamus, et reges Babyloniorum poſt Nebucadnezarem perluſtremus; nullus alius praeter Laboroſoarchodum occurrit, qui pro Beltzazare haberi poteſt. *Evilmerodach* utique, de quo Marſhamus cogitavit, in cenſum venire nequit, quia *duos* tantum annos regnavit, nec ultimus fuit rex; ne dicam nullam dari poſſe rationem, quare non ſuo nomine, quippe in Script. S. obvio, fuiſſet inſignitus. Nec *Nerigliſſor*, quem cum eo confuderunt Syncellus ex Veteribus, Labbaeus e recentioribus, ipſe etiam Vignolius, eſſe poteſt Beltzazar; quia gener tantum, non filius fuit Nebucadnezaris, cujus tamen filio et nepoti promiſſum eſt in Script. S. regnum Jer. XXIII., praeterea non fuit ultimus rex, nec in aula obtruncatus, ſed in praelio cum Medis caeſus, ut ex Xenoph. ſupra notavi. Denique *Nabonadius*, qui plurimorum, poſt Abramum et Uſſerium, meruit calculum, characteribus, modo ex Dan. prolatis, quoque non ſatisfacit: nulla enim neceſſitudine conjunctus fuit, teſte Beroſo et Megaſthene, Nebucadnezari; nec etiam in aula eſt occiſus, ſed Carmaniae, capta Babele, a Cyro praefectus, ut ſupra vidimus: ne dicam eum rectius, ut poſtea patebit, cum Dario Medo confundi.

§. CCCXIII.

§. CCCXIII. Nullus cum jam praeter Laborosoarchodum restet in catalogo Regum Babylon., ipse pro Beltzazare est habendus, quemadmodum censuerunt Viri praeclari Scaliger, Petavius, Vorstius et alii: modo characteres omnes in eum conveniant; saltem non sint aliqui ab eo alieniores: uti ad primam speciem videntur, et jam objecti fuerunt huic sententiae. 1. Primus, inde sumtus, quod filius fuerit Neriglissoris, et non Nebucadnezaris, multum negotii non facessit, cum matrem habuerit filiam Nebucadnezaris, quae Neriglissoris fuit uxor: sed quidni pro filio Evilmerodachi habeatur? Quod et Script. S., quae filio, et filio filii, Nebucadnezaris regnum promisit, et Herodoto, qui ultimum regem Babylon. adpellat Labynitum, filium Labyniti, rectius convenit. Posterior enim omnino est Nebucadnezar. Commisit itaque Berosus, ut facile contingere potuit, levem errorem, vel relativum in vocibus τούτου υἱὸς *hujus filius* non ad Neriglissorem, sed Evilmerodachum erit referendum, quod verbis Megasthenis rectius convenit. 2. Adpellatur quidem Labosoroarch. ὁ παῖς *puer* a Beroso, sed illius latior est significatio, etiam de puerili indole, ac juvenili temeritate, ac lascivia capi potest: qualis Beltzazari recte convenit. Denique 3. quod difficilius videtur solutu, Beltzazari *tres* saltem anni dantur, et Laborosoarchodo tantum *novem menses*; sed Neriglissor pro tutore ejus haberi potest, eique, cum filius esset Evilmerodachi, regnum, nomine tenus, cum vita reliquisse, utique administrationem, dum ipse bello cum Medis esset occupatus, pro more Persarum et aliorum; quum anni Nerigl. 4 ipsi quoque tribuendi sunt, ut post eum solus 9 M. regnaverit. Quae omnia latius deduxi in Diss. IIda ad *Dan. Visa*. De nominum Borosof. et Beltzaz. differentia non est quod soliciti simus, cum in omnibus ea obtineat sententiis, etiam in nominibus Labyniti apud Herod., et Nebucadn. in Script., ac apud alios scriptores. Eodem etiam tendunt, a nomine idoli, dicti Bel, Nebo ac Labo derivata, uti Scalig. de Emend. Temp. jam docuit.

Medi §. CCCXIV. Pergamus ad Medos, et eorum demus notitiam, eo magis, quod non tantum Darius aliquis Medus, in lib. Dan. memoretur, tanquam rex Babylonius, sed et βασιλεία, sic dicta, Monarchia Orientis fuerit, secundum visa Nebucadn. et Danielis, cap. II et VII., ex mea opinione, penes Medos, qui regnum Assyriacum cum Ninive quoque destruxerunt, et in Script. S. haud una vice in scenam prodeunt. Successio et historia regum, ex Herodot. l. I. in primis petenda, Ctesia quoque, maxime in posterioribus, collato, et Xenophonte in Institut. Cyri, huc summatim redit. Primus eorum rex fuit *Dejoces*, cujus primordia, secundum Herodot., incidunt in ann. 150*mum* ante Cyrum, adeoque in tempus Hizkiae, cujus ann. 14*to*, ut supra vidimus, Medi ab Assyriis defecerunt; nec tamen libertatem stabilem nacti sunt, quippe, ab Asarhaddone ad breve tempus repressi: donec jugum penitus excusserint 6 ann. post, ut videtur. Utique Dejoces tunc, insigni strategemate usus, cujus meminit Poliaen. l. VII., ad regnum pervenit, Medorum gentem in unam societatem contraxit, συνέστρεψε inquit Herod., (quam verbi significationem, ad eum locum, recte observavit Cl. Valckenarius) et Ecbatanam, urbem regiam, condidit, quare idem forte est, qui in lib. Judithae Arphaxad adpellatur. Dantur ipsi anni 53. Successit ipsi filius *Phraortes*, Ctesiae forte dictus Artynas, per annos 22, qui Persas subegit, et Assyrios adgressus est, sed infelice successu, in obsidione Ninives mortuus. Resumsit quidem illud bellum successor et filius ejus *Cyaxares*, Astibares dictus Ctesiae, feliciori in initio usus fortuna, praelio enim vicit Assyrios, ac Ninum iterum obsedit; sed cedere debuit Scythis, qui Cimmerios, Europa ejectos, persecuti, in Mediam penetrarunt, Medos inperio Asiae exuerunt, illudque tenuerunt annos 28, quando a Cyaxare superati et expulsi sunt. Ad hos Scythas referunt Jun. et Tremell. locum Nah. II: 5. quem alii de Medis et Chaldaeis, Ninum oppugnantibus, interpretantur; sed ad ipsorum Ninivitarum

nivitarum pertinere consternationem demonstravi in Comm. ad Proph. min. Rectius ad eos quoque, praeter Babylonios, digitum intendi notabili pericopa Jer. V: 15—19. statueretur, sicut in Comm. observavi, ut et Ezech. XXXII: 26. quod nonnulli jam viderunt, licet in iis non esse subsistendum autumaverim: de quo in comm. ad Ezech. egi. Scythae utique Palaestinam tunc quoque pervagati ac depopulati sunt teste Herod. l. I., manserunt quoque aliqui eorum in urbe Beth-schean, ab ipsis dicta *Scythopoli:* de quo vid. Cl. Wesseling ad Itiner. Hieros. Deinde, Scythis superatis, Assyrios denuo invasit, fudit, et Niniven expugnavit, ac destruxit, adjutus a Nebucadnezare, sicut in priore obsidione a Patre ejus Nabopolassare. Quas duas obsidiones confudit Alex. Polyhistor apud Syncellum, unde ortum est, quod Nobopolassar putetur cum Cyaxare destruxisse Ninum; ipse enim non posteriore, sed priore, obsidione adsuit Cyaxari, et filius ejus Nebucadnezar posteriore, sicut ad Dan. Diss. I. jam observavi.

§. CCCXV. Ceterum, ut de inplemento prophetiarum, in primis Nahumi, obiter agam, illudque demonstrem, illud in genere pro certo adfirmari potest, Niniven esse destructam in perpetuum, et cum ea regnum Assyriacum pessum ivisse, ex monumentis, cum sacris, tum exoticis, quae verbo adtingam. Ezech. c. XXXII: 22. de Assuris excidio, jam facto, diserte testatur. Tobias, per Salmanassarem abductus in exilium, Ninives ruinam, a Jona ei denunciatam, sed dilatam, suo tempore futuram esse, adfirmavit quidem, sed non vidit, verum filius ejus, Tobias junior, de ejus excidio, jam facto, per Nebucadnezarem et Assuerum, qui est Cyaxares, diserte testatur, Tob. XIV: 15. Idem de Cyaxare, tanquam Ninives et regni Assyriaci eversore, tradit Herodot. l. II. ubi de Cyaxare, tertio Medorum rege, agit. Strab. l. XVI. dicit: Ninus post eversos Syros (Assyrios) ἠφανίσθη deleta est et evanuit e vestigio. Vid. etiam Diod. Sic. l. II. et Alex. Polyh. apud Syncellum,

Pauſan. l. VIII. Inſigne denique eſt Luciani in Contempl. teſtimonium, quo declarat Ninum eſſe everſam, ita ut *ne reliquum ſit ejus veſtigium*. Memorant quidem Tacitus Ann. l. XII. et Ammian. Marcell. l. XIV et XXIII. Ninum ſuperſtitem, ſed vel fidem non merentur contra tot clara teſtimonia, vel duplicem Ninum, Veterem et Novam, confuderunt. Vid. Bochart. Geogr. S. l. IV. et Palmerius ad Autores Gr. tom. II. Poſſem praeterea, ad Nah. prophetiam illuſtrandam, notabilem convenientiam in nonnullis inter eam, et hiſtoriam a Diod. Sic. narratam, proferre; ſed illud nimis nos hic detineret: praeſtiti illud in Comment. ad Proph. Min. Ex. gr. Diod. refert, 1. exercitum Aſſyriorum ante fuiſſe proſtratum, quam urbs obſeſſa eſt: idem indicatur Nah. II: 4, 6. 2. obſidionem per *circumvallationem* praecipue eſſe factam ſine aliis machinis: ſicut et c. II: 6. III: 14. 3. fluvii inundatione dejectum eſſe murum: ita et cap. II: 7. 4. Regem deſperabundum ſe cum regia combuſſiſſe; quod ibid. indicatur cap. II: 7. 5. Ninivitas fuiſſe inebriatos, uti cap. III: 11., et a ſociis deſertos, ib. v. 17. De tempore deſtructae urbis cum regno nihil, niſi in genere, adfirmari poteſt, bellum cum Aſſyriis, poſt Scythas expulſos, renovatum fuiſſe anni. Cyaxaris 30*mo*, ut ex Herodot. patet: qui fere incidit in Jojakimi 8*vum*. Incepit enim Medorum defectio ann. Hizkiae 14*to*, unde ad Jojak. 8*vum* ſunt anni 111, quot etiam a defectione Medorum ad Cyaxar. 30*mum* fluxerunt. Ex quo praeterea liquet, *Nebucadnezarem*, et non ejus patrem, intelligendum eſſe apud Alex. Polyh., vel duas obſidiones fuiſſe confuſas, uti modo etiam notavi, patrem quidem priori, ſed non poſteriori, bello adfuiſſe.

§. CCXVI. Cyaxari poſt 40 annorum regnum ſucceſſit filius ejus *Aſtyages*, dictus Cteſiae Apandas, qui ann. 35 praefuit; princeps, ſecundum Herodot., meticuloſi, inpotentis, et crudelis animi, ſimul ultimus rex Medorum, victus et fugatus a Cyro, nato ex Harpago Perſa, cui filiam Mandanem

Mandanem in uxorem dederat Astyages, ut somnium, a Magis explicitum de regno filii e Mandane nati, eluderet. Sed hisce contraria refert Xenophon in Instit. Cyri, qui Astyagi dat filium et successorem *Cyaxarem*, ejus nominis *secundum*, cujus nepos fuit Cyrus, natus ex Cambyse rege Persiae. Tradit praeterea, Cyrum a Cyaxare arcessitum, et ducem exercitus constitutum contra Babylonios, cum Lydis et aliis populis, in Medos insurgentes, eos vicisse, ac Babelem expugnasse. Hinc longa orta est inter Doctos disputatio, standumne sit Herodoto, an Xenophonti? quam cum hic fusius tractare non liceat; meam opinionem paucis proposuisse sufficerit. Xenophon in Historia Cyri partes Historici quidem non explevit, nec eo scopo scripsit, uti multa docent, ex: gr: quod locorum et temporum nusquam adcuratam det notitiam, regum Assyriorum, seu Babyloniorum, nomina reticeat, multa quoque paradoxa, et dubiae fidei, tradat. De quo vid. Vitringa ad Jes. XIII. Composuit quoque vitam Cyri eo scopo, ut boni principis imaginem et exemplum pingat: attamen praecipua facta historica ex vero narravit, nec Herodoto postponendus est, de quo legi meretur Banier in Memoriis Academ. Scientiarum Paris. tom. VII. Utique ipse pro veris ea haberi vult, estque vir integrae fidei et probitatis, cum Herodot. paradoxa amet, et *tres* diversas de Cyro prostare narrationes, ex quibus unam elegit, ipse fateatur. Veteres quoque in bonam partem de Xenoph. historia passim judicarunt; denique quae Herod. de Cyro refert, respectu somnii Astyagis, ejus interpretationis, Cyri expositionis, educationis, modi, quo ipsum agnovit Astyages, et se de Harpago vindicavit, filium ipsi comedendum offerendo, cui tamen mox exercitum contra Cyrum commisit, et similia, fabulae propiora quam veritati esse, cui non in oculos incurrit? Accedit consensus Xenoph. cum Script. S. in multis, longe major quam Herod., relate ad Darium Medum, et Babelem prima vice expugnatam, ac Cyaxari traditam. De quo plu-

ribus exposuit Jungman. ad Dan. l. I. Sect. II. qui tamen, cum aliis, inter priorem et posteriorem urbis expugnationem non distinxit: de quo postea. Nec tamen Herodotum plane falsi arguendum esse in historia Astyagis censuerim, nec per omnia Xenophonti adsurrexerim, sed eos secum comparandos, et ita corrigendos ac supplendos, esse statuerim: uti mox clarius exponam.

§. CCCXVII. Inquiramus, his praemissis, in Darium Medum Danielis, et Herodotum, Xenophontem, ac canonem Ptolomaei, Berosum, et Megasthenem in concordiam, si potest, redigamus. Ex mea itaque hypothesi 1. Darius Medus est Cyaxares Xenophontis, non filius, sed frater Astyagis, regis ultimi Medorum, 2. idem ille est Nabonadius in can. Ptol. ac Historicis Chald. memoratus, cui 17 dantur anni, quique a Cyro est debellatus, Babele expugnata, sicut et Astyages, Medorum rex ultimus; adeo ut utrumque regnum tunc fuerit exstinctum, et a Cyro occupatum. Secundum quam hypothesin α. Herodotus recte tradit, Astyagen fuisse ultimum Medorum regem, nullum habuisse filium, et a Cyro fuisse regno exutum. β. Xenophon vero recte memorat 1. Cyaxarem occupasse, duce Cyro, Babylonem, et regnum accepisse Babylonicum: in eo tantum errans, quod eum *filium* fuisse Astyagis narret, cum *frater* ejus sit. 2. Cyaxarem ope conspiratorum, principum Babyloniorum, expugnasse Babelem, et regem trucidasse: quod Script. S. convenit. Sed in eo erravit Xenophon, quod Cyrum, una cum filia Cyaxaris, ab eo accepisse referat regnum Babylonicum; cum illud eripuerit Cyaxari, eumque, regno privatum, praefectura Carmaniae donaverit; ut Berosus et Megasthenes de Nabonadio referunt.

§. CCCXVIII. Darium Medum Danielis esse Cyaxarem Xenophontis, quae *prima* est hypothesis, ex eo facile elucescit, quod omnes characteres, in libro Dan. obvii, in eum recte quadrent, nec ullus ab eo sit alienus. 1. Darius aeque ac Cyaxares fuit Medus origine, et quidem e stirpe regia,

regia, filius Ahasueri, seu Cyaxaris, et non Astyagis, Dan. VI: 1. adpellatur *Medus*, et sub ipso viguerunt leges Medorum ac Persarum, ibid. sicut regnum *Medis*, et dein *Persis*, tradendum esse cap. V: 28. praenunciatur a Daniele; denique *e semine Medorum*, et filius Ahasueri dicitur, cap. IX: 1. Quae phrasis, *e semine Medorum*, sicut Medum origine denotat, uti *de semine Israelis* Israelitam, uti Esth. VI: 13. de Mordachaeo, et alibi saepe, ita ad semen regium referri potest, ex quo fuit Darius, filius quippe Ahasueri, seu Cyaxaris; Xenophon vero, qui eum Astyagis filium fuisse tradit, erravit, ut dixi, filium pro fratre sumens. Praeterquam quod, teste Herodoto, Astyages filium non habuerit, aetas Darii, cum rex Babyloniae factus est, non permittit. Erat enim tunc, ut in libro Dan. habetur, 62 annorum. Astyages vero uxorem duxit, quo tempore bellum Lydorum ac Medorum finitum est sub Cyaxare, anno Nebucadn. 22*do*, unde ad mortem Beltzazaris sunt 44 tantum anni, Vid. Vignol. Chron. S. t. II. Versus utrque pro filio Cyaxaris I*mi* habetur, et fratre Astyagis; cui nomen Ahasueri rectius convenit, et versus 768*tus* AEschyli in Pers. robur addit, ubi celebrantur, qui viam ad Monarchiam Orientis straverunt, Cyaxares I*mus*, qui regnum Assyriacum destruxit, et ejus *filius*, non utique Astyages, sed Cyaxares II*dus*, qui Babelem occupavit, et ibi regnavit, Darius Medus Danielis.

§. CCCXIX. Ipsum illum quoque *Nabonadium* in Can. Ptolem. esse, ac 17 regnasse annos, quae *secunda* est hypothesis, sequentes adstruunt rationes. 1. Cum inscriptio laterculi in can. Ptol. habeat, *reges Assyriorum* et *Medorum*, oportet inter eos quoque occurrat Medus, rex Babelis; sed praeter Nabonadium nullus esse potest: ne dicam, Darium Medum, qui regnum Babylonicum utique tenuit, teste libro Dan., in eo catalogo non potuisse omitti. 2. Nabonadius, nulla adfinitate junctus Nebucadnezari, teste Beroso et Megasthene, eo ipso recte pro extraneo habetur, adeoque Me-

dus esse potuit. 3. Nabonadius, occiso Laborosoarchodo per conspirationem sociorum, et principum regni, accepit regnum. Sicut Cyaxares eorundem ope, qui Gadataei ac Gobriani dicuntur apud Xenophontem; quod ipsum in Darium Medum quadrat, qui, occiso Beltzazare, regnum nactus est, in illud evectus per Cyrum, et principes Babylonios, adeo ut in lib. Dan. eo etiam sensu dici potuerit, *accepisse regnum*, et *regem factum*; ne dicam, violentam occupationem per eam phrasin non excludi, cum in genere qualemcunque modum denotet, quo quis ad regnum pervenit. Denique 4. cum Monarchia Orientis penes Medos quoque fuerit, ut mox dicam, Darius quoque Medus se talem gesserit Monarcham ante Cyrum, ut ex lib. Dan. constat, Nabonadius oportet sit, cum ille ultimus sit in Canone, et apud Histor. Babylonios. Nec obstat nominum differentia, cum reges Babyloniorum nomina sua mutare fuerint soliti, uti Scaliger. de Emend. Temp. jam docuit, et Medorum quoque reges varia habuerint, uti ex Ctesia et Herodoto, secum collatis, satis notum est.

§. CCCXX. Hisce hypothesibus adsumtis, quas pluribus adstruxi, et ab aliis etiam difficultatibus liberavi, in Diss. IIda ad Dan. quare hic plura non addo, ne nimis prolixus sim, haud difficile fuerit, admittere, Monarchiam orientis a Babyloniis ad Medos, hoc ipso tempore, transiisse, et apud eos continuasse usque ad Cyrum, qui et Astyagen et Cyaxarem de throno deturbavit, Babele capta, ac novam condidit Monarchiam Persicam. Qua de re cum fuse disseruerim in Diss. citata, hic suffecerit de origine et fine Monarchiae Medorum aliquid monuisse. Regnum Babylonicum, urbe a Medis, duce Cyro, occupata, et Laborosoarchodo, seu Beltzazare, in aula occiso, ad Darium Medum, qui est Nabonadius Berosi, et Cyaxares Xenophontis, est conjuratorum suffragiis delatum, et ab ipso 17 annis possessum, et summa autoritate administratum, tanquam Monarcha orientis; cujus quoque indicium in eo est, quod illud teste Dan.

VI. inter 120 Satrapas, sub tribus Praefectis, diviserit. Tuitus autem se est in regno ope Medorum sub Astyage fratre, et Persarum sub Cyro, qui non ex filia Astyagis fuit natus, ut male tradiderunt Herod. et Xenoph., sed ejus filiam, teste Ctesia, habuit uxorem, adeo ut in Nebucadnezaris viso expictum apte fuerit per *pectus* argenteum et *duo brachia*, quae Medi et Persae fuerunt. Quo enim tempore Darius regnum occupavit Babylonicum supererat Astyages, ultimus Medorum rex in Media, in quo illud concidit, ad Cyrum et Persas delatum. Astyagis enim initium incidit in ann. Per. Jul. 4129, regnavit ann. 35, adeoque usque ad ann. P. Jul. 4164 vel 4165, qui est ann. Nabonadii, vel Darii Medi, *6tus*, vel *7mus*, Cyri vero regis, vel Satrapae Persarum, *9nus* vel 10*mus*, si ipsi 30 anni dentur, ut solet, quorum initium connectitur Olymp. LV. qui est Per. Jul. 4154. Vid. Vignol. Chron. S. I. V. Stetit autem regnum Medorum, et ante occupatum regnum Babylonicum, et post illud, ad *latus* Babylonici, uti in viso Dan. VII. *ursus*, imperii Monarchici Medorum emblema, repraesentatur: quatenus, stante adhuc Babylonico, Medi, qui una cum Babyloniis desciverunt ab Assyriis, regnum tenuerunt sui juris, et separatum, nisi quod sub ultima Nebucadnez. ejus Majestatem venerari debuerint: sed, eo mortuo, et regno ejus debilitato, inminere coeperunt hostiliter Babyloniis, donec eos subegerint, et regnum illud sibi vindicaverint sub Cyaxare, seu Dario Medo: quando tamen adhuc perrexerunt *in uno latere* stare, quatenus in *Leonis*, seu Nebucadnezaris, regnum non quam late patet, sed partem ejus praecipuam, venerint. Quo etiam pertinet, quod *ursus* in ore *tres costas* sistatur Dan. VII. habuisse, seu tres populos, Persas a Phraorte, Assyrios a Cyaxare, et Babylonios a Cyaxare II*do*, seu Dario Medo, subjectos. Adpellat quoque Daniel in visi Nebucadn. interpretatione, c. II: 39. regnum *inferius* Babylonico. *Sex* annos vix tranquille exegerat in regno Babylonico Darius, quum Cyrus,

sive rebus prospere gestis elatus, sive ambitionis oestro percitus, sive etiam a Medis, pro opera in regno Babylonico occupando ipsis praestita, indigne tractatus, ansa ipsi per Harpagum, aliosque proditores, data, Persas ad defectionem a Medis, et bellum cum Astyage incitavit, uno alterove praelio Astyagem in ipsa Media, haud procul Ecbatanis, devicit, multis Medorum, prae regis crudelitate, ad Cyrum deficientibus, Vid. Herodot. l. I. Deinde cum Darius Medus, qui et antea in Babylone, priore vice occupata, lividis oculis potestatem, quam Cyrus sibi adrogaverat, ut ex Xenoph. notavi Diss. II. §. 22. et alibi, intuitus erat, hisce Cyri facinoribus excitatus, contra eum collectis copiis movisset, tribusque praeliis prospere habitis, ad Pasargadas usque penetrasset in Persiam, tandem ultima pugna devictus est a Cyro, et in regnum suum rediit. Huc enim omnino, et non ad bellum cum Astyage, de quo falsa Herod. et Ctesiae fide intelligi nequeunt, pertinent, quae de variis praeliis Medorum cum Cyro, et ultimo ad Pasargadas, narrant Historici, uti Strab. Geogr. l. XV. Stephanus Byzant. de urbibus in πασαργάδαι, Poliaenus Stratag. l. VI. Denique, Dario intra proprii regni fines constricto, ad reliquas Asiae gentes subjugandas se adcinxit Cyrus, et urbes, a Medis possessas, aliam, post aliam occupavit: quod ex illis, quae Xenoph. l. III. de Larissa et Mespila captis a Persis, tradit, colligi potest. Hac via ad Lydos progressus Croesum debellavit, et totum ejus regnum in potestatem redegit: quae nota est historia; antequam Babelem sub Dario Medo adgressus est. Qua ratione, ut id obiter observem, Historicorum dissensus circa tempus belli cum Lydis, num ante, an post, Babylonem captam, tolli facile potest, statuendo, eum, Babylone prima vice in gratiam Medorum jam capta, adeoque post illum casum, Lydos esse adgressum, sed ante Babelem, jam a Medis sub Dario Medo possessam, id fuisse factum. Quibus peractis recta Babylonem tetendit, et regis Darii exercitu partim caeso,

partim

tertium in fugam conjecto, ipso rege Borsippenorum urbe inclufo, Babylonem qua arte qua marte expugnavit; quando, Dario se dedente, humaniter tractato, ac Carmaniae praefecto, finis Regno simul Medorum, simul Babylonico, est impositus; et Monarchia sic dicta, Orientis ad Persas et Cyrum transiit. Quae ex Beroso, Abydeno, et Herodot. satis nota sunt.

§. CCCXXI. Ceterum ex hac sola hypothesi, quo etiam ea commendatur, de Babele duplice vice a Cyro occupata; priore ab ipso qua duce regis Medorum, et in ejus gratiam, quando Cyaxares rex constitutus est Babyloniorum, posteriore ab ipso jam rege, et hoste Cyaxaris, ut eam sibi vindicaret, 17 annis post, in concordiam redigi possunt, et illud, quod ad fata hujus urbis, Israeli tam hostilis, et toties in verbo Prophetico memoratae, pertexenda quoque facit, addam, diversae admodum narrationes Historicorum Veterum de ea expugnatione, unice ex confusione *duarum* vicium natae: quarum praecipuae sunt. 1. Urbem a Cyro, sub auspiciis Cyaxaris Medorum, fuisse superatam, Xenophon, sed ab eo jam rege, post Medos debellatos, reliqui tradunt Historici. 2. Regem Babelis fuisse occisum, Xenophontis, sed humaniter tractatum, ac Carmaniae praefectum, reliquorum habet narratio. 3. Denique tempore festi Saturnalium captam fuisse tradit Herodot., consentiente Xenophonte, sed Beltzazar quidem inter pocula legitur Dan. V. trucidatus, verum nulla ejusmodi festi fit mentio. Quae omnia facile, admissa duplice expugnatione, modo descripta, conciliantur: quare plura non addo; praeter hoc unum, diversas periodos Babelis captae, quarum mentionem feci, in luculento illo Jeremiae vaticinio cap. L et LI. sese distincte offerre, ut in Comment. exposui: de priore enim agitur c. L. 6—10. de posteriore v. 11—20. quando sequentium temporum urbis fata, sub Dario Hystaspis ac Xerxe, depinguntur, v. 21—28. et per Parthos, stante regno Seleucidarum, v. 29—36. Describuntur dein, aliis praemissis,

[illegible] hostes, qui Babelem subverterent, eorumque repe-[illegible] [illegible]ones, una Medorum et Persarum, v. 41—43. [illegible] [illegible], in primis Cyri, v. 44, 45. Eodem fere [illegible] [illegible] concio prophetica cap. LI. De quo Comm. [illegible] [illegible] est: dicta speciminis instar sufficiunt.

§. CCCXXII. Festinandum enim esse sentio ad *secundum* [illegible], ab initio Cyri, Monarchae Orientis, usque ad finem regni Persici, ann. 207. Ubi, praemissa historia regum Persarum, statum populi Judaei describam, et historiam sacram cum exotica conferam. Regnum Persarum, in primis sub quatuor primis Regibus a Cyro ad Xerxem usque, ut illud ad notitiam ejus praemittam, praecipuum locum inter Monarchica Orientis meretur, supra Medorum non tantum, quod minimum fuit, sed et Babyloniorum, uti Diss. II. ad Dan. demonstravi, simul elogio, quo *datum ipsi inperium* dicitur Dan. VII: 6. *dominium per totam terram* c. II: 30. dignum est, triplici fere nomine 1. quia universale fuit 2. stabile, et diutissime duravit 3. in populi Dei commoda cessit, et singulari Dei providentia erectum est: [illegible] Diss. III. ad Dan. exposui fusius; quare paucis defun-[illegible]. 1. Latissime sese extendit per universam Asiam, AEgyptum, Thraciam, ipsam Graeciam et insulas maris; [illegible] veterum testimonia, l. cit. producta, certo comprobant; [illegible]orum unum, alterumve, tantum proferam. Dario Hystaspis in thronum evecto tradit Herodot. l. III. omnes Asiae [illegible]las, exceptis Arabibus, fuisse subjectos, quos Cyrus et [illegible]yses subegerant, provincias quoque, longe lateque por-[illegible] per Asiam, AEgyptum, AEthiopiam et Africam, re-[illegible] Dario tributarias, et montem Caucasum terminum [illegible] septentrionalem versus occasum: sicut ortum versus, [illegible] Strab. l. XI. erat Cyropolis, vel Cyra, ad Jaxartem [illegible] De Thraciae ora maritima, Macedonia, et in-[illegible], testatur quoque Herodot. l. V et VI. Cyrum, [illegible] [illegible]gatis, reliquae Asiae ad AEgyptum usque inpe-[illegible], Cambysen AEgyptum et Libyam, Darium mare et

insulas

inſulas adjeciſſe, et ad Scythas uſque prorogaſſe inperium, tradit Plato in Menexen. Denique, ne plura repetam, regi Perſarum totam Aſiam uſque ad Indos, in Libya complures, in Europa Thraciam et Macedoniam ſubeſſe, adſerit Dio Chryſoſt. Orat. III.

§. CCCXXIII. 2. Duravit quoque per duo ſecula, adeoque duobus praecedentibus longe diutius, quare etiam in viſo Nebucadn. cum metallo aeris comparatur, et inperium ipſi *datum*, ſcilicet ſenſu emphatico, ſtabile et perennius expreſſe dicitur. Quae phraſis et eo tendit, ut Cyro datum fuiſſe regnum cogitaremus, *cum* ad populi Dei liberationem ac inſtaurationem, adeoque ad ejus commoda, et non ut Nebucadnezari, ad ejus oppreſſionem, *tum* per peculiarem aliquam Dei directionem, qua circa Cyrum verſatus fuit Deus. De quo ſicut tituli *uncti* Dei, et *paſtoris*, ac prophetiae de ipſo, nomine etiam ejus expreſſo, Jeſ. XLIV, XLV, et XLVI. clare teſtantur, ita nonnulla ſingularia, in Cyro conſpicua, illud conprobant: ex. gr. ejus ſapientia, et fortitudo, ac proſperitas in omnibus geſtis. Quod et ipſe agnovit, nec alios fugit, ut jam obſervavit Cl. Vitringa ad Jeſ. XLIII et XLV. Quo etiam facit, quod addo, σύνθημα *teſſeram* ejus militarem fuiſſe, Ζεὺς σωτὴρ καὶ ἡγεμὼν *Jupiter ſervator et Dux.* Xenoph. l. VII.

§. CCCXXIV. Praeterea ad generalem regni Perſici notitiam facit notaſſe 1. tres diverſas fuiſſe regni primarias ſedes, trium diverſorum regnorum civitates regias, Babylonem, Suſas et Ecbatanam, quas ſingulis annis inhabitavit Cyrus, quem ſucceſſores imitati ſunt, Xenoph. l. VIII. Vid. quoque Briſſon. Regn. Perſ. l. I. et Ez. Spanhem. ad Jul. Caeſares. Addo, regem Perſarum a Demoſth. Philipp. IV. deſignari per eum, qui habitat *Suſis* et *Ecbatanae*. 2. Succeſſionem per *tres* decurriſſe familias, Cyri, Darii Hyſtaſpis, et Codomanni; qui duo poſteriores non fuerunt e regia Cyri ſtirpe, attamen a latere eam adtingebant. De Hyſtaſpis vid. Herod. l. VII. et Juſtin. l. I. Codomanno

Diod. Sic. l. XVII. 3. Praeterea *duos* fuisse praecipuos regni statores, qui regnum vel fundarunt, vel amplificarunt; et novam ex se ediderunt familiam regiam, Cyrum puta et Darium Hystaspis, qui propterea cum *duobus cornibus* arietis comparantur Dan. VIII. de quo postea, ubi de Dario agam. 4. Denique reges Persarum venire in lib. Dan. ac Esther. nomine regum *Medorum* et *Persarum*, vel Persarum ac Medorum, uti etiam apud Arrian. Exp. Alex. l. VII. imo nomina Persarum ac Medorum saepe confundi a Graecis Script., qui Persas passim nomine Medorum insignire solent. Cujus rei rationes, quas Diss. III. ad Dan. jam produxi, non sunt longe quaerendae. Cyrus enim fuit arcto cum Medis vinculo conjunctus, et duo illi populi, unitis viribus, Medi Persarum, ac Persae Medorum ope adjuti, Monarchias suas condiderunt; denique Medorum mores et statuta, una cum regno, transierunt ad Persas, adeo ut Persae dici potuerint in Medos degenerasse, et speciem induisse Medicam: de quo praeter Xenoph. l. VIII. luculenter testatur Strabo Geogr. l. XI. ubi, inter alia, dicit, *Persicum vestitum*, *sagittandi ac rei equestris summum studium*, *regumque cultum*, *ornatum*, *et honores quasi divinos*, *qui regibus a subditis habentur*, *a Medis venisse*. Persae utique longe alii fuerunt, antequam Medicos adoptarunt mores; quam vitam indolemque primaevam egregié paucis verbis depinxit Plato de leg. l. III. ubi dicit, Persas fuisse *pastores*, *et asperam regionem incoluisse*, *quae eos facere poterat robustos*, *et qui sub dio jacere*, *et totam noctem vigilare et castrametari poterant*.

§. CCCXXV. *Cyrus*, ut successionem et historiam regum strictim et summatim tradam, prolixior enim tractatio nec necessaria, nec scopo nostro congrua est, regni Monarchici fundator, Gr. κυρος, et in Script. S. כּוֹרֶשׁ *Coresch*, secundum punctaturam Masoreth., rectius, aliis cum punctis, כּוּרֶשׁ Curesch, cui Cyrus propius respondet, nomine forte

i חרס *sole*, Persarum numine, in personae et fortunae bonum omen, tracto, filius Cambysis, regis Persarum, sed Medorum regi subjecti, heroicae virtutis prima dedit specimina, ne de militiae rudimentis in venatione ferarum apud Xenoph. lib. I. dicam, vivo Patre, in Babyloniis, Medorum hostibus, debellandis, ac Babylone occupanda, nomine regis Medorum, tanquam dux exercitus eorum, ac Cyaxari, Astyagis fratri, acquirenda: dein, bello inter Persas ac Medos exorto, primum Medos, dein alios Asiae populos, in specie Lydos sub Croeso, subjugavit, denique Babylonios sub Cyaxare, seu Dario Medo, devicit, tandem AEgyptios, aliosque populos subjecit, ac regnum longe lateque dilatavit, ac Monarchiam Orientis condidit, fortuna usus ubique favente, sub singulari Dei directione: uti supra narravi. Regnavit secundum Veteres, Ctesiam secutos, ann. 30, initio sumto ab Olymp. 55*ta*, sed secundum Can. Ptolem. 9, Xenoph. 7 tantum. Quae si secum concilianda sint, statui potest, 30 annos esse ab initio regni Persici, 9 ab eo tempore, quo populis vincendis, et Monarchiae condendae, operam dedit, 7 denique a Monarchia erecta, supputandos esse: quod respectu 9 et 7 ann. recte, sed 30 annorum, nescio num solide satis admittitur, quia Cambyses, pater ejus, tempore captae Babelis adhuc in vivis fuit. De quo vid. Jungman. ad Dan. l. I et II. De mortis genere quoque idem non solet tradi. Violentam fuisse, et in bello cum Scythis eum cecidisse, cum toto exercitu, vulgata habet opinio, ex narratione Herodot., de equo cecidisse, et ab Indo vulneratum, in bello cum Sacis ad Jaxartem, ac mortuum esse, Ctesias in Pers. tradit, cui adsurgit Pelloutier in Hist. Acad. Reg. Berolin. t. X., ubi de bello Cyri cum Scythis, vel Sacis ad Jaxartem, nonnulla habet, quae animadversionem merentur. Sed secundum Xenophontem placida Pasargadis occubuit morte; cui fidem non detraxerim; constat quoque eum ibi esse honorifice sepultum ex Strab., Arrian., Plut. et aliis.

§. CCCXXVI. Celeberrimum eſt Cyri nomen, non tantum virtutis bellicae reſpectu, de qua in Diſſ. III. ad Dan. pluribus egi, in *pardi* et *arietis* emblemate Dan. VII et VIII. hac parte explicando, et ad ipſum adplicando, ſed et virtutum aliarum moralium, in ſpecie clementiae et benignitatis, in regno adminiſtrando, et bello gerendo. Iſocrates in Evagor. quidem aliter de Cyri facinoribus judicat, ſed ex odio forte Graeco, et rumore, non ex certa ſcientia; cum longe alia non Xenoph. tantum, ſed et Herodot., Cteſias, et alii de ipſo tradant. Aſtyagem ab ipſo humaniter fuiſſe tractatum omnes referunt. Croeſi hiſtoria, ut ab Herod. narratur, fabulam redolet, vel fabuloſis circumſtantiis veſtita eſt; ſi vel vera foret, non Cyro, ſed Perſis, invito eo, adſcribenda eſſet crudelitas, ſecundum N. Damaſceni narrationem in Excerpt. Valeſii. Sed a juſtitia, aequitate et humanitate, a Veteribus paſſim laudatus eſt Cyrus, uti Vitringa ad Jeſ. XLI et XLV. demonſtrat, productis teſtimoniis, quibus alia addi poſſent; quorum memini in Diſſ. ad Dan. ubi etiam obſervavi, *juſtitiae* voce, quae de Cyro uſurpatur a Jeſ. l. c. non moralem ſignificari virtutem, eo nomine notam, ſed heroicam, ſeu *robur* et inpetum in praelio invictum, ab originaria vocis poteſtate, et uſu, non alienum, nexui ſermonis, unice congruum, et Cyro proprium; uti pluribus conprobavi teſtimoniis in Diſſert. Denique, quam benevolum ſeſe Judaeis exulibus praeſtiterit, reditum in patriam concedendo, et in rebus inſtaurandis opem praebendo, ex hiſtoria Judaica, de quo poſtea, nemini non conſtat. Quod denique ad religionem ejus adtinet, licet ad veri Dei Iſraelis notitiam, et aliqualem agnitionem, eum fuiſſe per Danielem, et alios, monſtratis quoque Jeſ. de ipſo vaticiniis, adductum, quod Joſeph. Antiq. l. XI: 1. quoque non neglexit obſervare, inficias non iverim, edicto etiam ejus in favorem Judaeorum, quo regna ſibi a Deo data fatetur, teſte: ſtatuere tamen non auſim, eum verae religioni unius Dei Iſraelis fuiſſe addictum, quod

ſimile

simile quid in edicto Cyri obvium, a Nebucadn. et Dario Medo fuerit profectum, Dan. III et VI. nec ulterius extendendum sit, quod Cyrus *adpellaturus* sit *nomen Jehovae* Jes. XLI: 25. sive verbis, uti in edicto Ezr. I. sive factis et rebus gestis, a Deo praenunciatis et directis, quo posteriore sensu recte vertitur, *proclamabit nomen meum*, sicut alibi sumitur, et apte in id, quod de eventu rerum, a Cyro gestarum, traditur Jes. XLV: 5, 6. quadrat. 2. Quod religioni patriae non renunciaverit, si Herodoto l. I. et Xenoph. l. VIII. sit fides habenda. Fieri forte potuit, ut religionem Persicam cum Jehovae cultu conjunxerit, cum nulla gentilium propius ad veram Dei unius notitiam et cultum accedat; uti praeclare demonstravit Hyde de relig. Vet. Pers. qui tamen modum mihi non tenuisse videtur: sed de quo hic non est agendi locus.

§. CCCXXVII. Successit filius ejus *Cambyses;* sed degener, et patri dissimilis in vita et moribus, in regno tamen tutando et ampliando quoque strenuus. De saevitia et crudelitate ejus testantur Historici, et gesta quoque, praecipue in AEgypto, quae de insania et furore aliquid trahunt. Cambyses *natura quidem erat furiosus*, ut excerpta Diodori habent apud Vales. in Excerptis, *et mente captus*, *sed multo crudeliorem*, *atque insolentiorem*, *eum fecerat regni amplitudo*. Herodot. l. III., insanae saevitiae exemplis narratis, subjungit, *eum multa hujusmodi tam in Persas*, *quam socios*, *insanivisse*, dum in AEgypto versabatur. Saeviit quoque in fratrem Smerdin, quem trucidavit livore percitus, in sororem, simul uxorem, in Prexaspis, consiliarii sui, temulentiam ejus reprehendentis, filium, telo caput ejus feriens: ne alia proferam. AEgyptios ann. 5*to* regni adgressus, sub Amasi in eum, ut videtur, rebellantes, tam inmaniter in eos, eorumque idola et Templa, saeviit, ut *insaniae* fuerit inustus nota. Interea inplevit ea ratione Jes. XIX. vaticinium de AEgyptiis, seseque *pardo*, regni Persici emblemati Dan. VII praestitit in saevitia, sicut Cyrus in inpetu

bellico et invicto robore, similem: meditatus quidem bellum est in Carthaginienses, sed non suscepit, renitentibus Phoeniciis, movit contra Ammonios, sed infelici successu, et exercitu fere arena obruto, nec feliciore contra AEthiopas, ingente cum clade sua. Inpedita quoque sub ipso est aedificatio Templi Hierosolym. ut postea videbimus. Regnavit ann. 7 et aliquot Mens., in Can. Ptolem. 8 ann., sed includitur tempus, quo interregnum fuit, Magis gubernantibus, quod in Can. reticetur.

§. CCCXXVIII. Magis, qui, Cambyse mortuo, regnum adripuerant, personam Smerdis, fratris ejus, mentientes, et 7 Mens. tenuerant, detectis, et a septem Persarum principibus, in aulam noctu irrumpentibus, trucidatis, regnum nactus est unus ipsorum, antea *Satelles* Cambysis, *Darius*, Hystaspis filius, astu usus in hinnitu equi procurando coram sole; secundum signum, in quod convenerant Magicidae, regem futurum, cujus equus primo mane ederet ante omnes hinnitum: gratum tamen se comitibus praebuit, dum regnum in *septem* partes divisit inter eos: ut tradit Plato de Leg. l. III. Sed num hinc orti fuerint septem principes, qui faciem regis videre solebant, primarii ejus consiliarii, in lib. Esther memorati, adfirmare non ausim, cum nusquam id traditum invenerim. Praestitit sese Darius Cyro longe similiorem, in regno tutando non tantum, sed et longe lateque dilatando, ac Judaeis Templi constructionem concedendo, ann. *6to* ejus perfectam Ezr. VI. quare cum *altero* cornu arietis Dan. VIII. recte comparatur. Meruit utique Darius distincto *cornu* expingi, ita ut cum Cyro, *priore* cornu, comparari, ac pro altero haberi, potuerit: regnum enim Persicum, per Cambysen haud parum debilitatum, pristinae non tantum reddidit gloriae et potentiae, quod Plato de Leg. l. notavit, rebelles etiam populos domando, sed et auxit multum ac dilatavit, praeterea novae quoque familiae regiae parens fuit. Praeter Medos, Jonios, Carios, Cyprios, aliosque populos, a Persarum regno deficientes, et

et in ordinem ab ipso redactos, Herod. l. I. et V. Babelem quoque rebellem obsedit, et expugnavit, quod in primis ad prophetiarum inplementum notari meretur. Babylonii, cum urbis decrementum, regia jam Susas translata, et Persarum durum dominium ferre amplius non possent, occasione, quam regnum, per Cambysis mortem, et magorum inperium, confusum, praebebat, arrepta, cuncta ad apertam rebellionem parare coeperunt, urbem omni parte muniendo, ac alimenta magna copia in urbem congregando, et ann. *5to* Darii palam defecerunt, obsidionem quoque, brevi secutam, diu tolerarunt, donec, post annum et 8 menses, a Zopyro, uno 7 principum qui Magos occiderant, instar transfugae, a Persis male tractati ac vulnerati, auribus naribusque amputatis, ab ipsis recepto, et urbi praefecto, proditi sint, ac in manus Persarum inciderint, qui, urbe capta, eam portis et altis muris privarunt, ac spoliarunt, 3 millia praecipuorum rebellionis autorum crucifixerunt, Vid. Herod. l. III. Poliaen. Strat. l. VII. Praeter rebelles subjectos, regni pomoeria dilatavit per Indiam, Thraciam, Macedoniam, et insulas maris Jonici. Movit denique in Graeciam, sed infelici successu, vel sola pugna Marathonia, Persis funesta; teste, ann. regni *31mo*, nec felicior fuit expeditio ejus contra Scythas, inter Danubium et Tanain, ante suscepta. Quod tetigisse suffecerit. Regnavit ann. 36.

§. CCCIX. Ceterum haud abs re fuerit observasse, incepisse ab hoc tempore periodum regni Persici magis despoticam, et tyrannicam, quae fundamenta odii populorum, in primis Graecorum, in illud jecit, indeque ortae, progressu temporis, destructionis regni. Egit a temporibus Darii, ut Dan. VIII. habetur, *aries* regni Persici pro *lubitu*, et se valde extulit; sicut cap. XI: 2. clarius traditur, et sub Xerxe in primis invaluit, de quo plura proferam, postquam Xerxis historiam strictim enarravero. Successit *Xerxes*, Ezr. IV. et in lib. Esth. *Assuerus*, quod idem nomen est, adpellatus, de

 quo

quo postea, non quidem major natu, sed primogenitus Darii, jam regis, unde lis inter fratres quidem nata, sed prudenter et feliciter a Patre, in favorem Xerxis, composita est. Praestitit sese principem superbum, ambitiosum, simul crudelem, et varium; regnum contra rebelles AEgyptios recte quidem tuitus est, eos in arctiorem disciplinam redigendo, et Achmaeni fratri tradendo gubernandos, sed contra Graecos infelix, et regno funesta fuit expeditio, ann. regni *6to* vel *7mo* suscepta, ut cladem Persis sub Dario illatam repararet, duplice nomine, *uno*, quod magna cum clade et ignominia domum redierit, copiis primum inter Salaminem et AEginam, prudenti Themistoclis consilio fusis, dein ad Plataeas Boeotiae, ubi Mardonius, dux Persarum, caesus est ab Aristide et Pausania, ducibus Graecorum, quae historia satis nota est, nec ad nostrum pertinet forum, *altero* vero nomine, quod occasionem odii inexpiabilis Graecorum in Persas, indeque ortae eorum expeditionis in Persas sub Alex. M., praebuerit, vel praetextum, de quo mox plura dicam, postquam de Babelis fato per Xerxen exposuero. Xerxes, cum inmensa clade et ignominia e Graecia in regnum rediens, furorem in Templa Graecorum in Asia effudit, ea diruens et spolians, praetextu quidem religionis, in Templis et per imagines non exercendae, a Magis incitatus, qui, solem et ignem unice colentes, ab omnibus Templis ac simulacris abhorrebant, secus ac Sabii, et reliqui idololatrae, sed vere ex odio in Graecos, et cupiditate opum ac divitiarum, quibus Templa ubique referta erant, et ut sumtus inmensos, in bello cum Graecis factos, repararet. Hoc studio inflammatus Babylonem venit, tunc etiam rursus rebellem, ut ex Plut. Apopht. patet. Templum vero Beli, et cetera fana, subvertit, teste Arrian. Exp. Alex. l. VII. praeterea, armorum usu interdicto, jussit, ut fidibus et fistulis canerent, lenocinium et cauponam exercerent, ac tunicas gestarent sinuosas, referente Plut. l. c. ut effoeminati fierent et contemti: a quo tempore urbs nunquam refloruit. Cete-

rum

rum ad hanc calamitatem, per Darium et Xerxen Babeli illatam, referenda est pericopa Jer. L. 21—28. et LI: 11, 12, 36, 51. ut in Comm. exposui et demonstravi.

§. CCCXXX. Vertamus nos nunc ad singularem periodum illustrandam regni Persici, quae, nimia sua insolentia, superbia et cupiditate, fundamenta ruinae suae jecit, quae, sub Dario et Xerxe in primis fluxit, et Dan. VIII. repraesentatur, ubi aries regni Persici pro *lubitu fecisse* traditur, et *magnifice* se *extulisse*: uti in Diss. III. ad Dan. circa fin. explicui; quare hic suffecerit verbo notasse, eo pertinere 1. infinitam fere divitiarum et opum copiam, qua se jactarunt, et statum regni firmissimum, omnibusque superiorem, esse crediderunt, sed quo invidiam et desiderium aliorum populorum simul accenderunt. 2. Despoticum regimen, quod sub Cambyse incepit, et sub Xerxe potissimum invaluit, quo reges Persiae sese legibus solutos gesserunt, ita ut cum subditis, imo toto orbe, se pro numine suo agere posse crediderint. Quod ipsum, sicut Graecos, tempore Xerxis invasionis, tanta induit virtute, ne sub Persarum caderent dominium, ita inter inmortalis odii ipsorum in Persas causas haud infimum tenuit locum 3. Superbum *Regis magni* titulum, quem Persarum reges sibi soli vindicarunt, et gesserunt: quem Graeci aegerrime tulerunt. 4. Intolerandam ambitionem et superbiam, qua se ultra limites, a regni conditoribus fixos, extendentes, et enormiter super prius *cornu*, seu Cyrum, elevantes, Graecos, totamque Europam fere, sibi adgressi sunt subjicere. Qua ratione Graecos irritarunt, et contra se animarunt. Quo facit Darii et Xerxis insolentia, *aquam ipsam terramque postulantium*, in bello indicendo, intoleranda Xerxis superbia, qua se et *omnium hominum* ab *ortu* ad *occasum*, ut tradit AEschines contra Ctesiph, *et aquae ac terrae Dominum* jactavit, Herodot. l. VII. denique Xerxis adrogantia et ambitio, qua se terram, Persidem, Graecis devictis, *aetheri Jovis conterminam*, *totam Europam permensum*, *omnes terras unam regionem* redditurum, jactavit apud Herodot. l. VII.

§. CCCXXXI.

§. CCCXXXI. Ex quibus clare elucescit, quod ad verbi prophetici intellectum, et periodi regni Persici, cujus memini, conspectum firmandum, facit, quare *pardo*, regni Persici emblemati, *quatuor* fuerint Dan. VII. data capita, et totidem tantum reges Persiae memorentur cap. XI: 2. ubi haec leguntur verba: *Ecce adhuc tres reges stabunt Persiae, et quartus ab inmensis divitiis erit prae omnibus celebris: cumque se firmaverit copiis suis, suscitabit totum regnum Graeciae, vel omnes contra regnum Graeciae.* Quorum sensus est, quatuor fore reges Persarum, qui in summo flore, ac firmo talo, sint *staturi*, quique per bellicas expeditiones sese celebres reddituri sint, quorum *quartus* erit in primis famosus, quod causam et occasionem praebiturus sit destructionis regni per Graecos. Qui quatuor itaque sunt, Cyrus Cambyses, Darius et Xerxes. Scopus non est, numerum regum Persiae definire, uti Judaei et alii putarunt, sed causam et occasionem ruinae regni explicare, et epocham temporis figere, ex quo ad interitum spectaret: ut ex scopo totius revelationis, ac ipso textu, haud difficulter eruitur. De quo prolixius disserui in Diss. III. ad Dan. circa fin. quare hic plura non adferam, verbo contentus observasse, ultima verba de *quarto* rege, suscitaturum eum esse *totam Graeciam*, uti vertenda sunt, eo tantum collineare, ut *occasio* et *tempus* inminuti, et tandem destructi, regni Persici per Graecos exponeretur. Quam apte quae de quarti regis, seu Xerxis, divitiis, nec non Graecis, contra Persas concitatis, adfirmantur, in eum, et ejus tempus, quadrent, ex modo dictis clarescit. Illud tantum obiter adtingam, quod fusius in Diss. cit. exsecutus sum, per expeditiones Persarum in Graecos, inprimis Xerxis, 1. Graecorum virtutem bellicam praecipue fuisse exsuscitatam, 2. Graecos inexpiabile in Persas odium ab eo tempore concepisse, non nisi cum eorum excidio deponendum.

§. CCCXXXII. *Xerxe*, cum ann. 21. vel solus, vel partim cum Patre, partim solus, de quo postea, regnasset, oc-

cisq

o ab Artabano, patruo ejus, adjuvante Mithridate, cubi-
lario ejus, successit ipsi *Artaxerxes*, dictus a manuum lon-
:udine μακρόχειρ *Longimanus*, fraudulenta Artabani opera,
ftquam Darium fratrem, natu majorem, inprudenter e me-
ɔ fustulisset, tanquam caedis Patris, accusante Artabano,
ıi ipse id fecerat, reum. Principem sese praestitit libera-
n, clementem et humanum, sed severum erga sceleratos,
daeis in primis faventem, ut ex historia Ezrae et Nehe-
iae postea patebit. Liberavit regnum ab Artabano, ejus-
ıe sociis, et Hystaspe fratre. AEgyptios iterum duce Ina-
, et Atheniensium copiis adjutos, rebellantes compressit,
d contra Graecos infeliciter bellum gessit, magna clade
Cimone, Atheniensium duce, praelio navali, juxta Cy-
:um insulam, adfectus; a quo tempore fractae fuerunt vi-
s Persarum, et Artaxerxes, pace cum Atheniensibus, Ci-
ɔne jam mortuo, facta, sese hac parte tenuit quietum
iod. Sic. l. XI. et XII. Regnavit secundum Can. ann. 41;
d nonnullorum ex opinione, qui Xerxi 13 tantum annos
ınt, ann. 50.

§. CCCXXXIII. Excepit ipsum, post Xerxen II*dum*, post
ius anni, secundum Diod. Sic. vel 2 Mensium secundum
:esiam, regnum, vel fratris insidiis, vel ebrietate, e vivis
blatum, et Sogdianum per Mens. 7., omnibus prae saevi-
ı exosum, et a fratre, cui insidias struebat, occisum,
ıare ambo in Can. omissi sunt, *Darius*, e pellice Babylo-
ca a Patre procreatus, et propterea Nothus adpellatus,
iam Syrus, secundum autorem περσῶν AEschyli; ann. 2 post
ıitum Patris, P. Jul. 4291, Olymp. 89 et belli Pelopon-
:L 8*vo*. Vid. Jungman. ad Dan. l. I. Discordias Graecorum
ıdiose fovens pace gavisus est et prosperitate; Medos
Persas tertia vice rebellantes compescuit, sed AEgyptios
:ficientes amisit. Praefuit ann. 19. et ipsi successit filius,
ıte regnum ejus natus, *Artaxerxes*, a felicitate memoriae
Inemon dictus, cujus vitam conscripsit Plutarchus in Ar-
ıxerxe; omni virtute, excepta libidine, ornatus, et testa-

 mento

mento Patris rex constitutus, praeterito Cyro IIdo, minore quidem natu, sed qui πορφυρογέννητος in *purpura* a Patre, jam rege, natus erat, qui, regnum ambiens, fratrem bello est adgressus, sed infelice exitu. Cyrus, princeps fortis et industrius, et fratre melior, cujus laudes Xenophon celebravit, inferiori Asiae a Patre praefectus, sed fratri, Pasargadas profecto, ut stolam Cyri indueret, ac sacris regiis inaugurare tur, jam insidiatus, a matre vero, cum ad necem propterea quaereretur, liberatus, et ad praefecturam suam missus, copias contra fratrem collegit, quarum robur XI millia illa Graecorum, duce Clearcho Spartano, fuerunt, in Asiam citissime profectus, cum fratre conflixit prope Babylonem, et inferior fuit, et ipse post egregia virtutis bellicae specimina caesus. Unde celebris ille recessus 10 mill. Graecorum, duce Xenophonte, per infestas hostium vias, a Xenoph. descriptus, ortus est. Incepit autem Xenoph. historiam Graecorum ubi definit Thucydides, ab a. 21*mo* belli Peloponnesiaci. Deinde a Lacedaemoniis, qui ipsorum Persarum ope devicerant Athenienses, bello petitus, duce Agesilao, ut se extricaret, excitavit ingente summa pecuniae Athenienses, Thebanos, Argivos, et alios contra Spartanos; quando haud diu post pacem inter eos fecit, ope Antalcidae Spartani, auro corrupti, quae inde pacis Antalcidae nomen tulit: qua Persae recuperarunt omnes Graecorum in Asia civitates, Diod. Sic. l. XIV. Denique bellum cum populis rebellibus, in Asia, Syria et AEgypto, gessit, sed parum inperio Persarum dignum egit. Tandem, domi etiam infelix, moerore confectus et mortuus est, cum regnasset, secundum Can. ann. 41.

§. CCCXXXIV. Successit *Artaxerxes Ochus*, moribus patri dissimillimus, quippe inmanis tyrannus, iracundus, avarus et adrogans, qui regiam cognatorum caede, et principum sanguine, replevit, sanguinis, sexus, aetatisque nulla habita ratione, et ad regnum per fraudem et vim pervenit, illa Ariaspen, hac Arsamen, fratres tollendo. Qua-

lem

dem quoque Judaei in ipso experti sunt, qui ex AEgypto, quo, tempore Nebucadn., se receperant, expulsi, et in Phoeniciam, Mediam, aliasque regiones ad mare Caspium deportati sunt, in Cananaea etiam a Bagose, ejus duce, graviter adflicti, ut postea narrabo. Nec tamen regnum male contra rebelles populos tuitus est; Cadusios enim, Phoenices, Sidonios et AEgyptios, aliosque Asiae populos, in regnum rebellantes, in ordinem redegit. Praefuit ann. 21, a Bagose, potione medica, e vivis abreptus. Pepercerat eunuchus filio ejus, eumque in throno collocaverat, qui dictus est *Arses*, vel Arsames, in Can. Ptol. Arogus, sed et eum, cum de se poenas sumturum esse animadverterat, quoque una cum liberis occidit, cum *duos*, vel, ut alii, *tres* regnasset annos. Tandem successit, regia familia exstincta, *Darius Codomannus*, filius Arsames, fratris Artaxerxis Ochi, antea dux belli cum Cadusiis, et ob res praeclare gestas praefectus Armeniis; in thronum ab ipso illo Bagose evectus: sed, cum rex ipsum vitae suae inminere observasset, veneno, quo reges occiderat, ipsi propinato, necem intulit. Princeps non malus, sed infelix, quod in tempus Alexandri M. incidit, qui, in regnum ejus irruens, triplice praelio, ad Granicum, Issum, et Gaugamela penitus debellavit; adeo ut fuga, per aspera loca, sese Ecbatanam Mediae proripuerit, ubi a suis, Besso, et Nebuzarne militum praefecto, in eum conspirantibus, nefarie et crudeliter interfectus est; cum 6 ann., licet secundum Can. 4, regnasset; caedem ejus postea ultus est Alex. Exitialis ipsi in primis fuit, quod notatu dignum est, Memnonis, ducis ejus, caedes ad Granicum, quippe qui bellum in Macedoniam transtulisset. Hac ratione exstincta est Monarchia Orientis Persica, postquam ann. 207 stetisset, et ad Graecos, transiit. Ex quo et illud elucescit, vaticinium Dan. VIII. de ariete ab hirco prostrato exacte fuisse inpletum. *Vidi*, inquit Daniel, v. 7. *ipsum* hircum, *pervenientem ad arietem, et exacerbatus in eum est vehementer, et percussit arie-*

tem (scilicet in priore praelio cum ipso Dario ad Issum in Cilicia,) *et confregit duo cornua ejus*, etc. (regnum ipsum, quod a Cyro et Dario Hyst., duobus ejus *cornibus*, fundatum, et amplificatum, eo usque in eorum familia substiterat, et viguerat, penitus destructum est; ut in Diss. III. ad Dan. exposui.)

§. CCCXXXV. Historia populi Judaei, ad quam pergo, hujus intervalli, ejus liberationem ab exilio, Reip. et religionis per certos gradus instaurationem in patria, denique statum ejus in ea, durante hoc intervallo, comprehendit. Quae tria capita sunt distincte enarranda et illustranda. Cum vero Babelis destructio occasionem praebuerit liberationis Judaeorum, eaque a Prophetis, in primis Jerem. L. et LI., adcurate fuerit praenunciata, fata ejus non abre fuerit ordine et distincte enarrasse, sed paucis, cum in Diss. III. ad Dan. distinctius, et Comm. ad Jer. illud fusius sim exsecutus. *Prima* vice capta et expugnata sub auspiciis regis Medorum a Cyro, tanquam duce tantum exercitus, Judaeis non multum profuit, nisi quod viam straverit ad regni Babylonici instantem destructionem, quae 17 ann. post secuta est. Cessit tunc quidem urbs, cum regno, Cyaxari, seu Dario Medo, qui idem ac Nabonadius est, ultimus rex Babyloniorum: attamen continuavit, et in novo ac extraneo rege haud uno nomine censeri potest revixisse regnum Babylonicum, in primis respectu populi Judaei, mansit enim Babel metropolis regni, nec gens Babylonica in servitutem est redacta, exilium denique Judaeorum quoque continuavit, et rex vestigia Nebucadnezaris in iis opprimendis pressit. De quo plura dixi Diss. cit., ubi etiam exposui, quid Danielem c. IX. in principio regni Darii Medi ad preces pro liberatione populi Dei, licet terminus 70 annorum exilii nondum adesset, moverit fundendas, qualeve responsum ab Angelo acceperit, scilicet, *verbum fori coelestis emanasse*, et se *missum esse* ad *hunc nuncium* ei deferendum v. 23. Deum scilicet Cyro in regnis Orientis

subigendis

subigendis adfuturum, et suo tempore curaturum, ut reditus in patriam concedatur exulibus. Quod licet cap. IX expresse non dicatur, ex cap. XI: 1. c. X: 12. et 13. haud obscure colligi potest: ut ibi docui. *Altera* dein vice cum bello inter Cyrum et Darium Medum exorto, urbem denuo expugnasset Cyrus, jam Rex Persarum, et condendae Monarchiae intentus, ann. 17mo Naboriadii, regnum Babylonicam exstirpavit, et urbem, varia adfectam clade, in suam redegit potestatem: quo ipso tempore de Judaeis liberandis jam cogitavit, si verum sit, quod Xenoph. narrat l. VII. Cyrum jussisse, ut qui *Syriace* loquebantur, se domi retinerent, et ita communi clade non involverentur. Loquitur quidem Xenoph. de priore expugnatione per Cyrum, sed posteriorem cum ea confudit, ut Diss. cit. notavi.

§. CCCXXXVI. *Tertia* vice *Babel*, in regnum Persarum rebellis, capta, et gravius adflicta est a Dario Hystaspis, et *quarta* rursus a Xerxe, quando idola sunt destructa, et cives in humiliorem redacti conditionem; uti supra in historia Regum Persarum narravi, et cum Jerem. locis contuli. Denique, postquam Urbs per Seleuciam, a Seleuco Nicatore conditam, varie esset exhausta, tandem a. 130 ante aer. Vulg. Christi ab Himero, Parthorum regis Phraatae Satrapa, adeo est desolata, ut progressu temporis in desertum quasi fuerit *versa*. *Plurimos enim Babylonios*, verba sunt de ipso Diod. Sic. in Excerptis Valesii, *levibus de causis servituti addictos, cum omni familia in Mediam distrahendos misit ac pulcherrima quaevis urbis loca evertit.* Ad quem casum retuli Jer. L: 29, 30. et LI: 52. in Comment. ad Jer. Hac ratione superba illa urbs tandem ad nihilum fere redacta est, ut tempore Caesarum Romanorum Augusti et Tiberii deprehensa est, testibus indubiae fidei Historicis. De quo Vid. Vitringa ad Jes. et Drieberg. ad Prideaux ad a. 293 ante Christ. N. Addo, Euseb. ad Jes. XIII tradere, urbem suo tempore plane fuisse desertam, Theodoret. ad Jer. LI *paucas*, suo tempore, *superesse domos*, easque distinctas.

§. CCCXXXVII. Regno Babylonico penitus destructo, Cyrus, jam Monarcha Orientis, edictum illud notabile promulgavit ann. 1*mo*, in Can. Ptolem. 3*tio*, adeoque finito exilii 70 ann. fixo termino, qui est eversi Templi 51*mus*, ut ex superioribus constat, quod Ezr. I reperitur, quo regna sibi a Jehova, Deo Israelis, data confessus est, et Judaeis ac Israelitis, sine discrimine omnibus, plenissimam concessit potestatem patrios repetendi lares, Templum reaedificandi, religionemque exercendi, vasa denique omnia, Babelem deportata, secum sumendi; et quae alia sunt in eorum favorem: ad id, inter alia, ut videtur, inductus per Danielem, et alios prophetas, virosque praeclaros inter Judaeos, monstrata forte etiam ipsi prophetia Jes. de ipso, nominatim expresso. Praedictum fuit c. XLIV: 28. *ut dicat Cyrus Hierosolymae aedificator*, et *Templo fundator*. Nec dubitandum, quin, licet urbis instauratio non fuerit expresse memorata, in edicto Cyri ea fuerit comprehensa, cum res ipsa illud requirat: nec repugnat Dan. IX: 24. quia ibi de edicto Artaxerxis agitur, quod effectum haberet plenissimum, relate etiam ad *munitionem* urbis ac civium copiam. Redierunt itaque ingente numero, 42360 praeter servos et ancillas, inter quos viri illustres, Zerubbabel dux, Josua Pontifex, Haggai et Zacharia prophetae, ordines vero Sacerdotales tantum *quatuor*, sed qui se dividentes numerum 24 compleverunt, et veterum nomina assumserunt. Ceterum fuerunt reduces hoc tempore longe maximam quidem partem e Juda et Benjamine, uti ex Ezr. I et II patet; sed ex aliis etiam tribubus iis fuisse adjunctos, ex 1 Chron. IX: 3. manifestum est. Quod et aliunde confirmari potest, saltem progressu temporis. De quo legi meretur Jungman. ad Dan. l. II. et Calmet Diss. praemissa Comm. ad Ezech. ne alios memorem. Denique in patriam redierunt quotquot voluerunt, licentia quippe fuit universalis, et omnibus, nemine excepto, concessa, nec vacui, aut cum vasis sacris tantum, a Cyro restitutis, sed opibus ac divitiis, etiam a vicinis in circuitu donatis, Ezr. I: 16. instructi ac cumulati.

§. CCCXXXVIII.

§. CCCXXXVIII. Ipsa *instauratio*, sub auspiciis inprimis Darii et Artaxerxis, Regum Persiae, per viros eximios Judaeorum, Zerubbabelem, Josuam, Ezram et Nehemiam, et prophetas Haggaeum ac Zachariam, peracta est. Quorum notitia brevibus est danda. Reges Persarum fuerunt Darius Hystaspis, sub quo Templum est aedificatum, Ezr. VI. et Artaxerxes Longimanus, sub quo Hierosolyma munita, et ornata, est per Nehemiam, teste libro ejus: de quo postea disputabo. Intermedio tempore opus Templi per hostium vicinorum calumnias fuit usque ad Darium inpeditum Ezr. IV: 5. ab Artachsasta ib. v. 7., et ante Artaxerxem ad incitas redacti sunt Judaei per totum regnum Persicum ab Ahasuero Ezr. IV: 6. et in lib. Esther., sed feliciter vindicati per Mordachaeum, de quibus etiam postea agam. Principes populi, qui res instaurarunt, memorantur Zerubbabel et Nehemia duces, Josua Pontifex et Ezra Scriba. *Zerubbabel* non filius Pedajae, filii Zealtielis, filii Jechoniae regis 1 Chron. III: 19. filius Zealtielis, omisso Pedaja, dictus Matt. I: 12. sed filius Zealthielis, de stirpe Nathanis, filii Davidis, secundum Genealogiam Christi Luc. III. qui duo Zerubbabeles Matt. et Lucae, quod Jungman. ad Dan. jam adstruxit, probe distinguendi sunt, uti ex eorum parentibus et filiis patet: noster autem inter majores Jesu Christi, ex Maria matre ejus, locum tenet, quia Messias ex ipsius stirpe nasci debebat Hag. II fin. Alter Zerubb. est Jechoniae nepos, cujus posteritas regno Davidis privata est Jer. XXII. Adpellatur quoque Schefbazar Ezr. I: 8 et V: 14. quod nomen videtur, inter Chaldaeos versatus, tulisse; ut ex cap. V: 24. colligi quoque potest: unde etiam constat, eum a Cyro fuisse constitutum *ducem* reducum, seu Ethnarcham, Satrapae regionis trans Euphratem subjectum. Regnum enim Persicum in varias provincias fuit divisum, quae singulae suos habebant Satrapas, quibus *Ethnarchae*, seu *toparchae*, singulorum populorum fuerunt subordinati. Num vero antea in exilio fuerit Judae-

orum princeps, non quidem expresse traditur, sed probabile mihi videtur ex Esr. I: 8. ubi thesauri Templi, seu vasa sacra, leguntur a Cyro traditi Schesbasaro הנשיא *principi Judaeorum*; qui, ut modo dixi, Zerubbabel est, adeoque jam tunc et antea Judaeorum princeps. Cui robur addit, quod de stirpe regia fuerit, ut modo vidimus, concinit etiam nomen *Tirsata*, quo venit Ezr. II: 63. sive a ראש sive רשה unde רשיון *principatus*, potestas. Ceterum, quas partes in Templo aedificando, quam arctam ad Deum habuerit relationem, quo Spiritu animatus fuerit, omniaque obstacula a regno Persiae, et hostibus vicinis, injecta, removerit, quantisque promissis fuerit a Deo mactatus, haud absimilibus Davidi factis, luculenter constat ex Hagg. et Zachariae libris propheticis, Hagg. II fin. et Zach. IV, ut in Comment. MSS. ad eos fusius exposui. Hic verbo tantum observo, eum fuisse eximie *servum* ipsius Dei, et ab ipso *electum*, ut opus illud instaurationis feliciter perficeret, ut Hagg. II: 23 in fin. habetur: verba enim, *quia te elegi*, ad eum omnino referenda sunt, sicut antecedentia, *posui te sigillum*, scilicet *dextrae* meae, ad promissum de Messia, ex ipso nasciturо, et per ipsum, tanquam typum, depicto, tunc orituro, cum Deus regna hostilia, in specie Seleucidarum e medio sustulisset, sicut v. 22 praedictum erat. *Electus* a Deo expresse et ideo, quod observo, dicitur, relate ad Messiam ex ipso nasciturum, quia non fuit ex Davide per *Salomonem*, sed Nathanem; uti modo notavi. Praeterea *coram ipso* regnum Persicum, instar *montis*, *felicitati* Judaeorum obstans, nunc ex parte adplanaretur, ne instaurationi et aedificationi Templi obicem poneret, postea totum e medio tolleretur coram populo Dei, cujus personam gerebat Zerubbabel, cum populus plenissima inciperet gaudere libertate et felicitate: uti Zach. IV: 7. praedictum fuit, quare mox additur, ipsum facturum, ut *emicaret lapis fastigialis*, in signum perfectae aedis Templi, *inter confragosas populi adclamationes*, precatorias et votivas, *gratia*, *gratia* ei sit, domui

domui jam consummatae, et explicationis ergo, ipsum, sicut aedem *fundaverat*, ita eam esse *perfecturum*. Addere possem luculentum promissum, emblemate elegante involutum, Ez. XVII: 22, 23. de domo regia Davidica, in Jechonia, respectu regni Davidis excisa, sed in alia stirpe Nathanis ex Davide post exilium instauranda, tenuiter quidem in Zerubbabele, qui per *tenuem* ramusculum de vertice stolonum decerptum, et dein *in monte convexo ac suggesto* simpliciter plantatum, sine ulteriore successu, depictus est, sed longe illustrius, et majore emphasi, in Messia, quem idem ille ramusculus tener decerptus, sed plantatus *in montis vertice altissimo*, et cum prosperrimo successu, quo *ramos* protulit, et fructus fecit, etc. praefiguravit. De quo in Comm. ad Ezech. pluribus exposui, hic agere non licet. Denique hinc ratio petenda est, quare *domus Nathanis* Zach. XII: 12. expresse memoretur, et domui Davidis adjungatur, quippe regno ejus destinata.

§. CCCXXXIX. Zerubbabeli in populi gubernatione, tanquam ejus Dux, successit *Nehemia*, non, ut videtur, inmediate, nam *duces* ante ipsum memorantur fuisse Neh. V: 15. qui populo fuerunt *onerosi*, quatenus primum *alimenta* sumserunt a populo, et *postea* (id enim vox אחר, quae per se stare debet, ibi denotat) vel eorum loco, vel una cum illis, 40 Siclos argenteos (scilicet singulis diebus; addi enim debet, post ארבעים *quadraginta*, vox ליום *in diem*, ceteroquin tam onerosum non fuisset) qui itaque Zerubbabeli videntur successisse; nam ad ipsum illud applicari nequit. De eo vero nihil aliud constat, ac quod majores habitaverint Hierosolymae, ipse in exilio, post reditum in patriam omnibus permissum, manserit, et Susis in aula regis Persarum Artaxerxis fuerit versatus, honorabili *pincernae* regis officio functus, et in florente ejus gratia. Quae ex Neh. II. nota sunt. Quod de majoribus ejus, civibus Hierosolymae, dixi, videtur colligi posse ex eo, quod *sepulcra patrum* suorum dicat c. II: 5. fuisse Hierosolymae: unde aliquid probabili-

tatis acquirit opinio Scaligeri ad Chron. Euſ., ipſum fuiſſe de tribu Juda. Qualem ſeſe Judaeis Hieroſolymae praeſtiterit, poſtea ſuo loco tradam.

§. CCCXL. Praeter hos Duces fuerunt duo alii, quibus inſtauratio et reformatio reducum multa debet, uterque de ſtirpe Aaronis, alter Pontifex Joſua, alter Ezras: quorum notitia paucis tradenda eſt. *Joſua* fuit filius Joſedeci, qui in exilium ivit 1 Chron. VI: 41. poſt Hieroſolymam captam, Seraja autem, pater Joſedeci, fuit a Nebucadnezare occiſus Riblae 2 Reg. XXV: 18. Fuit itaque de ſtirpe Aaronis per Eleazarum, ac Pinehaſum 1 Chron. V. et nepos Ezrae, fratris minoris natu Jozedeci, Ezr. VII: 1. Rediit cum Zerubbabele in Patriam, officio ſummi ſacerdotis functus, et rebus religionis ordinandis ac exercendis ſtrenue incubuit, favore Dei ſingulari gaviſus, et praeclaris promiſſis cumulatus, uti ex Hagg. et Zach. conſtat. Notabile in primis eſt viſum Zach. III., quod aliquid ad ſcopum noſtrum continet, verbo proferendum. Joſua Pontifex tanquam reus, et ſordidis veſtibus foedatus, coram Angelo Jehovae, tanquam Judice, cum Satana accuſatore ad dextram ſuam, comparens, ſententia Judicis, Satana increpito, ſolenniter abſolvitur, et juſtificatur, peccatis ei ex gratia remiſſis, dein, honoratioribus veſtimentis indutus, et pura capiti ejus inponitur cidaris, denique ei, ſub conditione legis accurate obſervandae, promittitur ſumma dignitas ac praerogativa, in eo ſita, ut judicet domum Dei, atria ejus cuſtodiat, et ambulationes habeat inter Angelos. Miſſis, quae ad ſacerdotii, totiuſque legalis oeconomiae, cum ſacerdotio arcte connexae, inſtaurationem, cum omnibus ejus effectis, pertinent, noſtram adtentionem nunc meretur collatio praerogativarum in ſummum Pontificem, quibus ab hoc tempore gauderet cum ſociis ſuis ſacerdotibus: quae duae vel tres memorantur, ſuprema ſcilicet poteſtas cauſas judiciales decidendi, et ſacra ac politica, in civitate et Eccleſia, ordinandi ac gubernandi, quo phraſes, *judicare domum Dei* et *atria cuſtodire*

custodire tendunt, et quod ultima, *ambulare inter Angelos* illustrat, amplificat, et confirmat, quippe quae communionem cum munere et dignitate Angelorum comprehendit, ita ut Pontifex tanquam Angelus Domini sit considerandus in civitate et Ecclesia, Dei *legatus* inter Judaeos, qui ejus vices suppleret, voluntatem declararet, Deique nomine omnia decideret, gubernaret, et judicia ejus exsequeretur. Quae omnia latius exposui et demonstravi in Comment. ad Zachariam. Ex quibus itaque patescit, Pontificem hic a Deo supremum constitui, sub Deo, solo rege Israelis, gubernatorem in civitate aeque ac Ecclesia, seu religione et sacris, regia dignitate a Pontificis distincta abolita; sicut in prima fuit institutione Mosaica, adeo ut *regale* fuerit *sacerdotium.* Quo etiam facit, quod, praeter pretiosa vestimenta, *cidaris*, seu regia quasi corona, fuerit capiti ejus inposita, sicut cap. VI. *duae* coronae leguntur, sacerdotii et regni, capiti Josuae inpositae. Confirmat id ipsum historia, quippe quae habet, supremam omnium rerum directionem in civitate et Ecclesia fuisse penes Pontifices, et dein Synedrium Magnum, cujus ipse caput erat. Sicut in Maccabaeis utrumque quoque fuit conspicuum. Quod itaque in ipsis, ut fieri solet, non debet reprehendi, nisi quod regium nomen et autoritatem deinceps sumserint. *Pontifices summae rerum praefuerunt* inquit Joseph. Antiq. l. XI. c. 4. *donec Asamonaeorum genus regnum obtinuit.* Qui etiam l. XIV. c. 3. tradit, populum, cum Hyrcanus et Aristobulus coram Pompejo secum contenderent, declarasse, ab utroque dissentientem, *patrium esse sacerdotibus Dei sui ut obedirent: eosque sacerdotibus prognatos conari in aliam* principatus rationem *transferre gentem, ut in servitutem redigatur.* De quo fusius hic differere non licet.

§. CCCXLI. Vertamus nos nunc ad *Ezram*, e Sacerdodotali quoque stirpe, virum insignem, et legatum Dei ad populum, a tempore ann. 7*mi* Artaxerxis, et Nehemiae coaevum, ac socium. Fuit ex Aarone per Eleazarum et Pi-

nehasum oriundus, filius Serajae Pontificis Ezr. VII, ut modo habuimus; officio vero *Scriba*, cujus opera in libris sacris recensendis, et interpretandis fuit versata; quam summa peritia et diligentia explevit; quare scriba מהיר Ezr. VII sive solers, ingeniosus, et ad omnia promtus, acie penetrante praeditus, a rad. מהר proprie *acutus fuit*, de quo dixi ad Ps. XLV., adpellatur, concinit elogium Scribae גמיר *perfecti*, consummati, qui jus *decidendi* habet (primaria enim potestas est in *sectione*, *praesectione*) quo in edicto Artaxerxis ornatur Ezr. VII: 12. et eo nomine Regi ac populo summe gratus, Ezr. VII: 6, 25. potestate quoque ornatus *creandi Judices*, ut ib. dicitur. Qua ratione in hoc munere fuerit versatus, quidve in commoda reducum praestiterit, mox suo loco narrabo. Hic tantum observo, quod dictis addendum est, Ezram titulo *Legati* Dei ad populum fuisse insignitum, et pro autore libri, qui titulum *Malachiae*, seu *legati Dei*, gerit, ex Judaeorum traditione et mea opinione habendum, et elogium c. II: 5—7. adplicandum, de quo disserui in comm. ad Malach. in Prolog. et ad c. II: 5.

§. CCCXLII. Praeter hos illustres rerum instauratores memorandi sunt duo Prophetae, HAGGAI, et ZACHARIAS, qui torporem populi excusserunt, ac ad Templum aedificandum, ac res instaurandas, strenue excitarunt, moribus simul reformandis incubuerunt, denique fata populi usque ad finem Reip. Judaicae praedixerunt: quorum libri in Canone supersunt, et expressa fit mentio Ezr. V et VI. Alia de ipsis non constant. Quod vero Haggai titulum *legati Dei* censeatur habuisse, illud ex perverso intellectu cap. I: 13. originem unice repetit, nec verius est, quod inde ortum fuit, librum Malachiae ei, tanquam autori, adtribuendum esse: de quo egi in Prolegom. ad. Mal. Angelus enim Jehovae est Filii Dei proprius titulus, nec in hominem, ita absolute positus, quadrat, nec quid sibi Haggai adplicitus hic velit, aut quare addatur, *in legatione Jehovae ad populum*, explicitu est facile. Sermo itaque ita

est

concinnandus et exponendus: *Et dixit Haggai:* quid? e quod sequitur: *Angelus Jehovae* (ipse Filius et verbum iovae, qui vobis, AEgypto egressis, adfuit in deserto; ipse) *in ipsius Jehovae legatione ad populum*, (adeoque quam Deus praesens, legatione divina ad vos renovata, inquam, magnus Dei legatus, *Dei nomen in se habens* od. XXIII: 21. adest, et *loquitur*, verbo אמר ex seq. lito, saltem mente) *dicendo ego vobiscum dictum Jeho-* (ego in Angelo vobiscum, ut cap. II: 5.) Ceterum לאמר usu elliptico, vel verbo אמר per illud absorpto, ad Jer. III: 1. et Jes. IX: 8. Conciones, libro ejus nprehensas, habuit ann. *2do* Darii Hystaspis, quo Tem- aedificatio, diu intermissa, resumta est, et ann. *6to* ejus nsummata; sed mensibus ac diebus diversis, *prima* enim igatur Mens. *6to*, *secunda* M. *7mo* et *tertia* M. *9no*, oque spatio 4 Mensium absolutae sunt. *Zacharias* fuit *us Berechiae*, *filii Iddo* cap. I. sed Ezr. VII. filius *Iddo*, aeterito patre, forte minus celebri et noto. Iddo vero censetur *capitibus*, vel principibus, *familiarum sacerdota- m*, quae cum Zerubb. in Cananaeam redierunt, Neh. I: 4. cujus filius ib. v. 16. celebratur Zacharia, tanquam isdem dignitatis, sub Jojakimo Pontifice, Josuae filio ib. 12. Fuit itaque Zacharias de stirpe Aaronis, et digni- e illustris. Fuit denique aequalis Haggai, ab ann. *2do* rii, ut est c. I. sed diutius continuavit, memoratur enim n. 4*tus* Darii, c. VII. quo revelationem accepit.

§. CCCXLIII. De *argumento*, et variis libri Zachariae *icionibus*, non-abs re fuerit paulo fusius et adcuratius disse- isse; reliqua enim, ad Prophetae, status populi, quo tem- re munere functus est, et aliarum rerum, ad libri intel- ctum pertinentium, notitia, ex Prolegomenis Cl. Vitringae mmentarii ad duo prima capita, a me olim publicati, re- ti facile possunt. Etsi visa et conciones in genere sint ar- menti moralis et prophetici, utriusque elenctici et con- latorii, dominatur tamen pars consolatoria, eo tendens,

 ut

ut spes Ecclesiae in tristibus et dubiis, quae evenirent, sustineretur. Complectitur autem liber *quinque* vel *sex* conciones Propheticas, partim emblematicas, partim simplices. *Prima*, c. I—6. introductionis vice, populum serio ad poenitentiam adhortatur. *Secunda* octo excellentiora visa constituit emblematica c. I: 6—VI. *Tertia*, in jejunii vera indole et scopo, nec non prosperitate Ecclesiae, quae jejunia respuit, depingenda, versatur. c. VII et VIII. *Quarta* in signis Messiae, revelationem antecedentibus, tota est, continetque, cum vicinarum gentium depressionem ac conversionem ad Ecclesiam, tum Maccabaeorum gesta, et Ecclesiae Maccabaicae felicitatem, tum denique ejusdem summam corruptionem, paulo ante Messiae adventum, et totalem destructionem oeconomiae legalis per Romanos: cap. IX, X et XI. *Quinta* et *sexta* de fatis Ecclesiae ordine vaticinatur, initio ab Ecclesia Maccabaica sumto, usque ad ultima Ecclesiae Christianae tempora, sed sensu penitiore et secundario cap. XII—XIV.

§. CCCXLIV. Hoc generali conspectu praemisso, perlustremus singulas paulo specialius, quantum instituto nostro convenit. *Prima* concio Judaeos reduces, qui in torporem inciderant, opusque Dei remissius facere, vel et intermittere, inceperant, reverentiamque suam erga religionem deposuerant, multaque vitia alia contraxerant, quae postea suo loco in historia memorabo, ad resipiscentiam hortatur, utque primum zelum resumant serio admonet, argumento a Patribus ipsorum desumto, qui ob illa vitia gravissimum Dei in exilio Babylonico experti erant judicium: cujus irae Dei et ipsi, propter remissa studia, senserant aliqua signa, in sterilitate agrorum, et aliarum rerum penuria; ut ex Haggaeo constat. Revelatio *Secunda*, sex primis capitibus comprehensa, quae eodem quidem, quo prima, anno Darii Hystaspis *secundo*, contigit, sed mense diverso, *undecimo* scilicet anni sacri, qui Chaldaice *Scebat* adpellatur, cum Adar sit ultimus, et partim Januario partim Februario respondet,

octo

ro comprehendit elegantioris structurae visa emblematica, strictim recensenda et explicanda, respectu scopi et sensus in genere. *Primum*, quo Angelus Jehovae cum satellitibus post se, in myrteto consistens, tanquam gubernator orbis, et deprecator Ecclesiae Judaicae, repraesentatur, *causam* instaurationis Ecclesiae et Reipublicae Judaicae, in Mediatoris intercessione sitam, una cum Hierosolymae reaedificatione, et prosperitate, ob oculos sistit, cap. I. 7.— *Secundum*, primis cap. II. versiculis descriptum, quo quatuor cornua, Israeli excidium minantia, a totidem fabris contusa, exhibentur, eo tendit, ut adversarios gentiles, qui sese cum Templi et urbis aedificationi, tum ulteriori libertati ac felicitati populi, statusque ejus consummationi, objicerent, retundendos et coercendos esse adfirmaret. *Tertium*, posteriorem cap. II. partem constituens, quo Angelus, funiculo mensorio instructus, cum mandato metiendi Hierosolymam, in scenam producitur, urbis reaedificationem, summamque incolarum copiam, et omnium bonorum abundantiam, depingit. *Quartum* caput, IIItium absolvens, quo Josua Pontifex solenni in judicio, Angelo intercessore, ejus causam contra Satanam agente, publice a Deo justificatur, sacerdotii legalis renovationem, splendorem, ac autoritatem, in Christo, vero Pontifice, et peccatorum expiatore, terminandam ac consummandam, delineat. *Quintum*, cap. IVto, candelabrum cum duabus oleis, quae oleum ipsi abunde subministrabant, ob oculos ponens, in Templi aedificationem, Ecclesiae Judaicae gloriam, ac Spiritus S. donorum, cum ea communicandorum, copiam, tendit. *Sextum* emblema voluminis, exsecrationum pleni, volantis, et *Septimum* mulieris, quae Inpietas, vel idololatria erat, ephae insidentis, et ore obturato, in terram Sinear, seu Babyloniam, a duabus ciconiis translatae, severissima Dei judicia in profanos et inpios, qui inter Judaeos, praecipue temporibus Maccabaeorum, caput extollerent, quibus destruerentur, et terra Cananaea exterminarentur, vivis depingit coloribus.

[illegible] *Octavum* denique quatuor quadrigarum, seu magnorum Orientis inperiorum, Babylonici, Persici, Alexandri M., Lagidarum et Seleucidarum, statum, respectu populi Judaei, complectitur, cap. VI. eoque collineat, ut de signis adventus Messiae, quem illa inperia praecederent, simul de statu suo usque ad Messiam perpetuando, certior fieret: quare ipsa illa Messiae, qua Regis et Pontificis, manifestatio, in fine cap. per emblema coronarum, Josuae inpositarum, praedicitur.

§. CCCXLV. Ecstaticis raptibus in futurorum cognitionem ductus propheta, postquam populum per sublimia docuerat emblemata, quae mentis aciem intendebant, et profundioris meditationis amplissimam piis suppeditabant materiam, lenius fluere incipit oratio, et compositae mentis sermones, quorum paulo facilior est intellectus, fundit. Versatus fuerat Propheta in plenissima omnium rerum instauratione, ac florentissima populi conditione, praecinenda: deinceps eandem quidem contexit telam, et in luculentis describendis promissis pergit, sed viam simul, quae ad inplementum eorum consequendum tenenda erat, sternit, et conditiones, a quibus felicitas illa suspensa erat, praescribit, ut cum praeceptorum Dei observantia haec bona esse copulata intelligeret, et probe ad animum revocaret populus, adeoque ad virtutis et religionis studium excitaretur. Quae summa est concionis, ordine *tertiae*, cap. VII et VIII. quippe qua veram summae felicitatis Reip. acquirendae, et inplementi promissorum consequendi, rationem populo ob oculos ponit, docendo, et inculcando, eam non in jejuniorum, sed praeceptorum Dei, observantia esse sitam, ad quam splendidissimis eum excitat promissis. Cui concioni ansam solennis legatio exulum ad sacerdotes et Prophetas Hierosolymam praebuit, qua de jejuniorum, causa Babylonicae calamitatis institutorum, continuatione quaerebant.

§. CCCXLVI. Vicissitudinum, quas populus Judaeus progressu

greſſu temporis multas ſubiit et ſingulares, nulla eſt, quae cum *Maccabaicis* temporibus, ut adpellari ſolent, comparari poteſt, ſive ad ipſam eorum conditionem, ſive ad cauſas antecedentes, et fata conſequentia, quis animum advertat. Felicitas populi fuit maxima, incolarum inmenſus numerus, opum et divitiarum incredibilis copia, dominium longe lateque extenſum, pax ab hoſtibus extraneis, ſive debellatis maximam partem, ſive in ejuſdem religionis ſocietatem coadunatis. Benedictione divina in agricultura, commerciis, aliiſque vitae inſtitutis, prorſus ſingulari gaudebant, ita ut ſupra Patres legantur *multiplicati* et *benedicti*. Ad hoc autem proſperitatis et gloriae faſtigium evecti ſunt Judaei, poſt terribilem, et hucuſque inauditam, adflictionem, *Epiphanicam* dici ſolitam, per miraculoſam plane liberationem, et geſta Maccabaeorum ſtupenda. Quae fata fuerunt antecedentia. Atenim conſequentia hoc tempus magis adhuc nobilitarunt. Summa enim felicitas fuit cum Meſſiae adventu connexa, qui hoc ipſo tempore foret manifeſtandus, et ab altera parte in ſpiritualium bonorum ubertatem, novamque OEconomiam ſpiritualem Chriſtianam exiit, ab altera vero in totali et irreparabili Reip. Judaicae excidio terminata eſt. Quid itaque mirum, Prophetas, futura Eccleſiae fata praecinentes, in hiſce temporibus depingendis frequentiſſime verſari? Hoc enim erat tempus, quo Vetus OEconomia ἀκμὴν ſuam conſequeretur, promiſſa foederis Sinaitici ſumma complerentur emphaſi, Divinae potentiae et clementiae, ac curae, praeclariſſima fulgerent ſpecimina, Meſſias, totius OEconomiae ſcopus et complementum, ſe praeſentem ſiſteret, novamque OEconomiam cum Veteris abolitione conderet. Nullus tamen Prophetarum eorum temporum notitiam, praeter Jeſaiam, cui noſter in multis reſpondet, clarius et adcuratius dedit Zacharia, qui in eo totus fuit, ut populum in eorum duceret conſpectum, ejus animos hac ſpe erigeret, et ad opus praeſens, inſtaurandae civitatis et Eccleſiae, his promiſſis, accenderet. Quod etſi

facere egerit. nusquam tamen tam praeclare, tantaque cum [illegible] quam in concione *quarta*, cap. IX, X et XI. quaeque [illegible] continet fata, cum hoc tempore conjuncta, cum antecedentia, tum consequentia, modo in lucem protracta. Primo enim ipsa tempora Maccabaica, eorumque felicitatem et pacem, describit octo primis versiculis cap. IX. Dein in laetissimo fato consequente, Messia scilicet, ejusque regno, delineando versatur, a vers. 9. usque ad 12*mum*. Mox ipse ad fata antecedentia vertit, et heroicam Maccabaeorum virtutem vividissime repraesentat, modumque pandit, quo populus illud prosperitatis culmen adscendit a vers. *13*. ad fin. cap. IX. quod ipsum fusius, quoad omnes circumstantias, exsequitur cap. X. quando alterum etiam casum consequentem, tristissimum illum, quo tota Resp. Judaica pessundata est, describit, et in eo concionem terminat.

§. CCCXLVII. Quo ultimo capite, ut ejus aliquem dem conspectum, ultimum excidium Prophetae sistitur praesens, ipseque, in illa tempora delatus, destructionem, tanquam praesentem, adnunciat, omnesque, magnos parvos, summos infimos, ad planctum vocat et ejulatum, seu eorum gemitus et lamenta vividissime depingit, vers. 1—3. Quando ad causas, modum, et gradum destructionis pergit, inde usque ad fin. cap. Qua pericopa necessitatem et justitiam totalis destructionis ex eo demonstrat, quod conversionis media, quae Deus adhibuerat summa, irritum habuerint effectum; manifesto indicio, insanabilem esse populi corruptionem, et summum adtigisse fastigium. Inter quae media praecipue fuit missio Messiae in mundum, ad Ecclesiam ex Judaeis colligendam, et reliquos officii admonendos, si extrema mala praevenire vellent: quippe a quo Messia, spreto vel admisso, salus vel ruina Reip. erat suspensa. Enarrat itaque 1. illius pastoris, persona ejus adoptata, (propheta enim ipse in scenam producitur, sed tanquam persona scenica Messiam repraesentans; et contigit ipsi haec revelatio in viso ecstatico.) missionem, ejus rationem et necessitatem, a summo periculo

periculo exitii; in quo populus verſabatur, petitam, v. 4—6. 2. muneris ejus adminiſtrationem, ejuſque modum et qualitates v. 7. 3. ejus irritos effectus, in paſtoris repudiationem exeuntes v. 8. 4. publicationem inſtantis ruinae, quam populi pertinacia peperit v. 8—14. denique 5. calamitatis adtributa et conſequentia v. 15—17.

§. CCCXLVIII. *Quintae* concionis, cap. XII et XIII. comprehenſae, ut ex nexu, et continua vocum *illo die* repetitione, manifeſtum eſt, argumentum huc redit. Praemiſſo titulo, *prolatio verbi* ponderoſa, una cum Jehovae loquentis, qua Creatoris et Gubernatoris, apta deſcriptione, Hieroſolymam a vicinis populis undiquaque eſſe oppugnandam et infeſtandam quidem, ſed cum ingente eorum damno, et totali ruina, praedicitur, Judaeorum vero metropolin et Remp. non tantum ab expugnatione et deſtructione fore liberam, ſed et, incredibili heroum virtute animatam, divinitus hoſtes eſſe deleturam, ſtatum ſuum firmaturam, ſuaque pomoeria longe lateque dilataturam eſſe, promittitur, donec Meſſias, cum gratiae beneficiis, ſeſe in medio populi manifeſtaverit. Cujus adventus longe diverſiſſima exhibentur effecta, aliis ſalutaria, aliis, longe maximam partem, perniciosa. Cum enim Meſſias violenta morte ab ipſis e medio tolleretur, pauci, ſpiritu gratiae et poenitentiae excitati, ingente cum triſtitia ſeſe ad ipſum converterent, et in fonte contra peccatum ab ipſo aperto, peccatorum ſuorum reperirent abolitionem, ſeſeque ab omni ſuperſtitione, ejuſque patronis, ſepararent, et judiciis divinis ea ratione eriperentur, licet non ſine multis adflictionibus conſummarentur. Reliqui vero, cum ipſa Republica et Eccleſia, peſſum irent, adeo ut falſi prophetae et doctores, pudore ſuffuſi, ſuis dignitatibus cum ignominia renunciaturi ſint, ſe prophetas fuiſſe non auſi amplius, prae pudore, profiteri. Quam ultimam partem, ad Meſſiae tempora ſpectantem, Propheta in genere proponit c. XII: 10. et ſeq., dein explicatius tradit cap. XIII. *Prior* itaque concionis pars cap.

XII: 1—10. pertinet, ex mea opinione, ad tempora Maccabaica, et fata, quae Messiam antecederent: *posterior* vero partim in genere, partim in specie, qualitates temporis Messiae, et fata Ecclesiae ejus, ac Judaeorum, usque ad ultimum excidium per Romanos repraesentat. Ad quod judicium excisio Messiae, tanquam signum praenuncium, et causa meritoria pertinet c. XIII: 7., et directe v. 8 et 9. ejus capitis.

§. CCCXLIX. Ultimi capitis XIV., quod novam videtur concionem comprehendere, ut vel ex vocula *ecce* colligi potest, argumentum est, Hierosolymae, ab omnibus populis vicinis expugnatae, et hostiliter tractatae, absque tamen, ut urbs, cum omnibus civibus, destrueretur, illustrissima vindicatio, a Deo, cum clarissimis Majestatis Justitiae signis, efficienda, ejusque liberationis modus, et consequentia. *Modus* est in hostium justo bello debellatione situs, sed quae singulari et divina prorsus fieret ratione, hostibus divino terrore perculsis, secum commissis, et ita prostratis. *Consequentia*, hic memorata, continent laetum, pacatum, ac prosperrimum reip. et Ecclesiae statum, in specie verae religionis per Gentes illas propagationem, una cum poena, illis divinitus infligenda, quae se illi religioni non subjicerent. Pertinet quidem, ex mea opinione, haec prophetia directe, et primo sensu, ad Hierosolymam terrestrem, et proprie sic dictam, ac tempora Maccabaica, et Epiphanica, cum haud dubia Hierosolymae, ac temporum illorum, sese offerant criteria, uti in expugnationis et spoliationis descriptione v. 1—5. et ejus exaltatione ac instauratione, v. 10. ubi portae, turres, et torcularia regis expresse memorantur, ipse Juda quoque inter Hierosolymae oppugnatores occurrit, uti tempore Antiochi Epiphanis contigit, populi quoque in *circuitu* adpellantur oppressores, qui eorum vulgatus est apud Zachariam, et alios prophetas, titulus: attamen, ne nimis hyperbolica fiat Prophetae oratio, spiritui prophetico simul obversatam fuisse autumaverim Ecclesiam Christi,

quae

quae Maccabaicam exciperet, et consummaret, in specie tempore ultimo, quod Maccabaici temporis est antitypicum, et extremae ac postremae adflictionis, et gloriosae instaurationis, Ecclesiae tempus; cujus in verbo Prophetico est haud infrequens mentio.

§. CCCL. *Argumentum* libri *Haggai*, de quo paucis absolvam, cum res satis sit liquida, huc redit. Cum praetextum populi, a tempore Templo aedificando minus opportuno petitum, perstrinxisset Propheta, populum ad seriam judicii divini, sibi incumbentis, contemplationem excitat, indeque adhortationem desumit ad Templi aedificationem resumendam, ac perficiendam. Quod opus cum populus, prophetarum concionibus permotus, strenue adgressus esset, animos ei addit Propheta, eumque ulterius excitat, luculento promisso, cum benedictionis et opis Divinae, tum uberioris domus hujus gloriae prae priore, quippe quae ipsius Dei gloria replenda foret suo tempore. Quae duabus ultimis concionibus repetuntur, et confirmantur. *Scopus* concionum in genere est, reduces exhortari ad aedificationem Templi, satis diu remissam, resumendam, et perficiendam. Cui convenienter eo in specie tendunt conciones, ut reduces 1. de opportunitate temporis hoc faciendi convincerentur, cum quod Regis Persarum animus ad eos esset inclinatus, tum judicia divina alias evitari nequeant 2. de felici operis successu, et prospera Templi conditione, suo tempore futura, certiores fierent, opposite ad praejudicia eorum, ex tenui sua conditione, et exilibus Templi primordiis, nata. Quo promissum duplex collineat de favore Dei, et domus illius gloria ac splendore.

§. CCCLI. *Prius* his verbis, obiter illustrandis, c. II: 4, 5. profertur. *Ego vobiscum*, sum, eroque (h. e. quam exile etiam videatur opus Templi, placebit tamen mihi; quam modicae sint vires, opesque vestrae, quanta etiam impedimenta, succedent tamen molimina vestra mea ope, favore, omniaque ex voto fluent, per meam benedictionem.)

nem.) *Verbum hoc, quod fecui vobiscum, cum egressi estis AEgypto* (scilicet, vel *erit vobiscum*, ex superioribus, vel *stabit in medio* vestrum, ex sequentibus. Est enim את הדבר pro nominativo emphatico. Cum autem vox הדבר *verbum* absolute posita, et foedus, et promissum in specie, et verbum hypostaticum, Angelus foederis, esse possit, nihil horum excludendum est. Sensus ergo est, foedus Sinaiticum cum legibus et promissis vim suam inter reduces esse exerciturum, et Angelum foederis ipsis adfuturum) *et spiritus meus stans in medio vestrum* (scilicet *erit*, adeoque stabit, tanquam doctor, sanctificator, et consolator, in medio vestrum, qui efficiet, ut legis studium vigeat, multique instruantur, ac animentur spiritu quoque heroico Vid. Jes. XLVIII: 16. et Zach. IV: 6.) *Posterius* promissum v. 6—9. circa finem reip. Judaicae repraesentandum, infrequentiae et tenuitati domus Jehovae oppositum, habet, domum illam et celebritate, et gloria, ac splendore, aequaturam non tantum, sed et superaturam esse priorem domum, etiam quando in summa fuit sub Salomone et Hizkia gloria. Quod promissum, primo et directo sensu, spectat ad gloriosum ac prosperum Templi, et Reip. ac Ecclesiae Judaicae statum sub Maccabaeis, post gravissimos motus in orbe per judicium Dei suscitatos, et ingentem regnorum ac populorum orbis terrarum inde ortam mutationem: sed mystice, et sensu uberiore, ac penitiore, ac emblematico, ad Christum, ejusque oeconomiam, tanquam scopum et complementum Ecclesiae Maccabaicae. Quae omnia cum nepos meus Cl. Verschuir, in Disputatione Doctorali, menti meae convenienter, praeclare demonstraverit, et illustraverit, nihil hic addam.

§. CCCLII. *Instauratio* civitatis et sacrorum, uno eodemque tempore non est facta, sed variis vicibus, nunc intercepta, nunc resumta, donec sub Artaxerxe fuerit per Ezram, et praecipue per Nehemiam, perfecta. Distingui autem possunt quatuor intervalla, ordine consideranda, et illustranda. *Primum* sese a 1mo Cyri ad 2dum Darii Hystaspis:

pis extendit, Ezr. I—IV. Quo incipiente, reduces operi manus ingente studio, et prospero successu, admoverunt: altare enim mox exstruxerunt, et sacrificia offerre coeperunt, ut Dei gratiam et favorem inplorarent ac inpetrarent, altare vero, non quale Moses et Salomo, erexerunt, sed, quali pro tempore tantum uterentur, ex *lapidibus*, et intus *repletum*, non concavum, fere sicut Ex. XX: 24. Moses ordinaverat, et trans Jordanem exstructum est Deut. XXVII. Celebrarunt quoque festum Tabernaculorum secundum praescriptum Legis: denique, ann. 2*do* reditus, Templi jecerunt fundamenta, inter cantica sacra, secundum ductum Davidis, populo maximam partem jubilante, multis et senioribus, qui prius Templum oculis usurpaverant, plorantibus, quod *aedes haec* in oculis ipsorum videretur כאין *instar nihili*, relate ad priorem, uti Hagg. II: 3. habetur, et Ezr. III: 12. ante vocem בעיניהם *in oculis ipsorum* inseri debet: praevaluerunt tamen jubilationes populi, ita ut ploratus aliorum vix fuerit auditus; uti v. 23 traditur, modo voci קול in primo membro praemittatur מ מקול *prae voce*, littera מ ex concurrentia praecedentis deficiente: sensus est, populum non attendisse, *prae voce jubilationis*, *vocem fletus* etc. Quod non observatum perversam peperit opinionem, apud Jos. Ant. XI: 4. jam obviam, seniorum ejulatum praevaluisse. In hoc opere cum essent reduces, illudque prospere videretur successurum, obstaculum injecerunt novi adcolae Samariae, a rege Assyriae eo translati, qui primum tentarunt adsociationem cum reducibus, praetexentes, se jam diu Deo Israelis quoque religiose serviisse, (hic enim sensus est verborum ipsorum Ezr. IV: 2. *sicut vos quaerimus* religiose *Deum vestrum*, ולא לו *nonne ipsi*, Deo vestro, *sacrificavimus* etc. sic enim legendum, et interrogative capiendum est ולא *et non*, pro *nonne*.) Sed repulsam tulerunt a Judaeis, desiderium adsociationis pro praetextu habentibus, ut eo melius turbarent Judaeos: quo irritati in partes traxerunt consiliarios Cyri, quippe tunc absentis, et aliis inpliciti ne-

gotiis, muneribus corruptos, ac calumniis, quibus Judaeos diffamarunt, excitatos: quo factum est, ut reduces partim perterrefacti, partim etiam studio rerum suarum instaurandarum in torporem conjecti, ab opere Templi urgendo abstinuerint, praetexentes, *tempus non esse*, scilicet commodum et opportunum, *aedem Jehovae aedificandi* Hagg. I: 2. Veram causam, in populi incredulitate, pusillanimitate, pigritia, et propriorum commodorum studio sitam, ut ex Hagg. liquet, silentio involverunt, et ad inportunitatem temporis provocarunt, in suam defensionem, nec sine speciosis rationibus, quas non abs re fuerit exhibuisse, cum ad indolem populi et temporis qualitates cognoscendas faciant.

§. CCCLIII. 1. Prima esse potuit, quod 70 anni, exilio non tantum, sed et destructioni Templi destinati, nondum fuerint inpleti, adeoque Templi aedificatio nec licite, nec cum spe auxilii Divini, suscipienda: cujus rationis haud obscurum in eo est indicium, quod aedis desolatio tot annos duraverit, et illi expresse quoque in concione Zachariae, hoc ipso 2do Darii habita, memorentur Zach, I. Interea verae causae conspectum non fert haec ratio, sed praetextus, quia Deus ann. 70 nusquam Templi destructioni, sed tantum exilio adligavit, Judaei vero ad segnitiem velandam eousque extenderant ipsi, praeterea ipsum illud studium remissum in causa fuit, quare tot annos duravit desolatio. 2. *Secunda* habebat, res reducum adhuc esse tenuiores, opes minores, quam ut splendidum Templum, Veteri simile, construi possit, adeoque praestolandum, donec majoribus abundarent divitiis: quo digitus intenditur Hag. I: 3. ubi sat opum eos habere dicitur ad splendida aedificia propria aedificanda, et clare respicitur cap. II: 3, 8. Erat itaque praetextus, quia opibus non carebant, et tam splendido Templo non erat opus, ut cap. II. declaratur, et ex fundamentis jam jactis patebat. Denique 3. Tertia quoque ratio, Ezr. IV obvia, Reges Persiae nolle Templum aedificatum, sufficiens non erat, et torporem tantum palliabat, quia

quia opus identidem resumere debuerant, et inpedimenta illa tollere, uti vivo Cyro, cujus consiliarios tantum habebant adversantes, in initio poterant, et nunc etiam faciebant, de favore regum Persiae nondum in initio certi, praeterea haec ipsa inpedimenta sint irae Divinae, quod opus negligerent, accepta ferenda, ut Zach. I: 12. innuitur, et eventus comprobavit. Statim enim ac ad opus sese denuo adcinxerunt, animus Regis, per Dei directionem, ad eos fuit inclinatus.

§. CCCLIV. *Secundo* intervallo, a *2do* Darii ad ejus *6tum*, resumta aedificatio, postquam sub ultima Cyri, et tempore Cambysis, edicto ejus esset inpedita, Ezr. IV: 7. feliciter, instigantibus Prophetis Haggaeo et Zacharia, et Zerubbabele ac Josua urgentibus, ac torporem populo excutientibus, Dario denique in eorum favorem flexo, cum Cyri edictum invenisset, omnique ope adjuvante, perfecta est ann. ejus *6to* adeoque spatio 4 annorum Ezr. V et VI. Joseph. quidem Ant. XI: 4. tradit, 7 annos fuisse Templo aedificando inpensos, et anno *9no* Darii completum esse, sed prius tempus sub Cyro includit, et pro ann. *9no* est *6tus* legendus, seu ἕκτῳ pro ἐνάτῳ. Celebrata quoque sunt encoenia Templi cum magno gaudio, ordines Sacerdotum ac Levitarum instaurati sunt, et paschatis festum secundum legem fuit actum. Ceterum, cum regibus Persiae, Cyro et Dario, tanquam adjutoribus populi in Templo aedificando, adjungitur Artaxerxes Ezr. VI: 4. si genuinus sit textus, nec Artaxerxes ab alia manu in eum invectus, Ezra, autor libri, censeri per anticipationem potest ejus hic meminisse, tanquam qui ad ornandam aedem multum contulit, ut c. VII: 27. traditur: quod a verbo שכלל quo utitur c. V: 3. non abhorret, denotat enim, ut כלל Heb., consummationem et coronationem rei perfectae; quae demum sub Artaxerxe Longimano populo contigit. Post Darium utique, in initio Xerxis, si is sit Ahasuerus, Ezr. IV: 6. et in Lib. Estheris memoratus, reduces in magnas angustias, una cum to-

to populo in Regno Persiae, conjecti sunt; uti postea videbimus.

§. CCCLV. *Tertio* intervallo, a *7mo* Artaxerxis ad ejus *20mum* Ezr. VII. ad fin. libri, Ezra, cujus notitiam supra dedi, zelo domus Dei flagrans, et regis favore, plane insigni, gaudens, amplissimo a rege inpetrato edicto, undiquaque ad se evocavit ac congregavit exules, ingentem etiam opum copiam sibi comparavit, seseque ad iter Hierosolymam suscipiendum adcinxit, cum illo comitatu ac divitiis, ann. *7mo* Artaxerxis. Convenerunt in unum ad fluvium Ahavam, ubi in eum intrat Euphrates (quem sensum videntur verba fundere c. VIII: 15. *congregavi eos* ad הנהר *fluvium*, scilicet Euphratem, sic eximie adpellari solitum, *qui intrat* ad *Ahavam*, itidem fluvium, v. 31.) in principio primi mensis anni *7mi* Artaxerxis, unde *12mo* die discesserunt Hierosolymam c. VIII: 31. quo venerunt primo die Mens. *5ti* cap. VII: 9. Traxerunt tantas moras in itinere Babele Hierosolymam, propter hostes et insidiatores, quorum mentio fit c. VIII: 31. quos vitare debebant, cum nullis militibus muniti essent, quippe quos rogare noluit Ezra, Dei auxilio fisus, v. 22. Hierosolymam cum venisset, opes et vasa tradidisset sacerdotibus, totus incubuit moribus reducum, varie corruptis, in primis respectu conjugiorum cum uxoribus gentilium, praecipue Cananaeorum, in lege vetitorum, reformandis; quod magno cum labore feliciter perfecit: uti c. IX et X. narratur.

§. CCCLVI. *Quartum* intervallum a *20mo* Artaxerxis ad ejus *32dum* Neh. V: 14., longe illustrius est per instaurationem murorum Hierosolymae, novorum incolarum in eam translationem, ac abusuum gravium, qui irrepserant, sublationem, autoritate ac industria Nehemiae, de quo supra egi; uti in lib. ejus fuse narratur. Nehemia, de misero Hierosolymae, et muris nudatae, et civium paucitate, laborantis, statu certior factus, eumque coram Rege, dum vi-

num

num ipsi in convivio offerebat, deplorans, regis misericordia commota, et favore inplorato, ab eo veniam non tantum Hierosolymam tendendi, sed et amplissimas inpetravit litteras ad satrapas, vel duces transeuphratenses in commoda sua, iisque munitus Hierosolymam venit, cum insigni ministrorum comitatu.

§. CCCLVII. Statim ac, Mense Nisan, qui primus est anni Judaici, ann. 20*mo* Artaxerxis, Susa profectus Hierosolymam, c. II: 1. eo venisset, muros et portas Hierosolymae, clam civibus, et paucis cum comitibus, adcurate noctu visitavit, ut scissuras et rupturas adcurate cognosceret, instar chirurgi, penicillo vulneratorio vulnera, respectu profunditatis, et periculi, explorantis, (hanc enim potestatem continet verbum שבר c. II: 13. apud Arab.) deprehendit, portas esse et jacere combustas, muros vero, non quidem penitus destructos, sed multis rupturis ac fissuris laceratos, et ad urbem muniendam ineptos; ut ibid. habetur, et v. 17. Quo facto, praefectos et praecipuos civium de eo admonuit, et ad opus reparandum, missione sua et autoritate, a rege concessa, ipsis significata, tanta cum efficacia excitavit, ut omnibus suis viribus se opem laturos esse promiserint; v. 18. ubi phrasis, *confortarunt manus suas* לטובה non est vertenda, ut solet, *ad bonum*, vel *bene faciendum*, sed *valde*, vehementer, summopere: qui usus in טוב, היטיב, מטוב, satis est frequens, licet saepe minus observatus. Quod cum Judaeorum adversarii, Saneballatus, Choronaeus sive Moabita, civis vel praefectus urbis Moabitarum Choronaim, Jes. XV. et Jer. XLVIII. Tobia, servus honorarius regis, Ammonita, et Gesem, Arabs, praefectus regionis in tractu Arabiae, haud procul a Moabitis et Ammonitis, intellexissent, mox in principio Judaeos ab hoc proposito conati sunt deterrere, sub praetextu societatis, ipsis in rebellione contra regem, alias cum successu non facienda, oblatae; uti tempore Zerubbabelis quoque fecerant Samaritani Ezr. IV. Huc enim collineare

autumaverim verba eorum ad Judaeos Neh. II: 19. *quid hoc eſt, quod facitis? an in regem vos rebellatis?* ut ipſis perſuadeant, eos ſolos operi, quod moliebantur, perficiendo non eſſe pares, cum nimis pauci ac debiles ſint, molimen nimis ſit arduum, nec regi Perſarum, contra quem, hoc faciendo, ſeu urbem muniendo, rebellare videbantur, reſiſtere valeant, adeoque eos in ſubſidium vocare debere populos vicinos; ſe itaque ad opem ferendam paratos eſſe, modo admittantur ad ſocietatem cum ipſis ineundam. Emphaſis eſt in pronomine אתם *vos*, qua vos ſolos, tam parvo numero et nullarum virium, denotat. Hunc verborum ſenſum et ſcopum eſſe, reſponſum Judaeorum mihi comprobare videtur, v. 20. ex hac quippe hypotheſi facile explicitu. Dicunt enim 1. ſe nihil temere ſuſcipere, ſed Dei niti auxilio, quippe cujus ſervi ſunt, et ejus operi manus admovent unice, adeoque alterius non indigere auxilio, 2. populis vicinis et alienis nihil eſſe ſortis, aut juris in hac urbe, adeoque ejus aedificationem et munitionem, ad eos nihil adtinere. De rebellione nihil expreſſe proferunt, quia purum putum figmentum erat, in eo etiam conſpicuum inter alia, quod ſervi Jehovae eſſent, ejuſque agerent opus, nec regi in eo ſe opponerent, imo cujus animus in favorem ſuum eſſet a Deo inclinatus.

§. CCCLVIII. Hoſtilibus populis hac ratione repulſis, et ſibi relictis, Judaei, Nehemia operas diſtribuente, et ſingulis ſtationes ſuas adſignante, ingente ſtudio, et unitis viribus, quotquot Hieroſolymis aderant, murorum et portarum reaedificationem, vel inſtaurationem, adgreſſi ſunt, et perfecerunt, uti narratur cap. III. Partes autem urbis deſcribuntur, initio facto a porta gregis ad Templum, ab oriente Hieroſolymae, unde dextrorſum pergitur ad latus ſeptentrionale, inde occidentale, inde auſtrale, ſeu civitatem Davidis, montem Tſionis, denique finitur in eadem porta gregis ad ortum. Deſcriptio eſt notabilis ad partes et portas Hieroſolymae cognoſcendas, et hic illic

mereretur

mereretur illustrari, sed illud non est hujus loci. Absolutum est opus 25*to* die mens. Elul, qui sextus est anni, *post* 52 *dies*, Nehem. VI: 15. Quod breve spatium ne quis miretur, notandum est, murum non fuisse destructum, et de novo aedificatum, sed laceratum tantum, et scissuris foedatum, materiam praeterea fuisse in ruinis muri ac domuum praesentem, aut cura Nehemiae ante advectam, uti lignorum ex *paradiso*, seu arboreto Regis, c. II: 8. denique omnes cives, adeoque magno numero, operi admovisse manus, nec segniter, sed ardente studio, cap. III: 28.

§. CCCLIX. Adversarii eorum, cum viderent opus strenue urgeri, sese in initio risu ac subsannatione tenuerunt contentos, existimantes, opus nec perfici, nec durabile esse, posse, quippe levi opera dissolvendum, c. III: 34.— sed cum eos feliciter in eo continuare, et fere ad finem perduxisse, animadverterant, nemine sese opponente e Persarum regno, in iram concitati sunt, et ipsi sese ad bellum iis inferendum, sed inproviso eos adgrediendum, pararunt, ut ita eos ad incitas redactos, tanquam ebrios vel insanos exagitent, ac ab opere cessare faciant. Hunc enim sensum aptaverim verbis Nehemiae c. IV: 2. minus intellectis, *omnes una conjurarant, ut veniant ad oppugnandam Hierosolymam; et procurent nobis* (pro לו *ipsi* enim leg. est לנו *nobis*; vox enim in textu stare non potest, quia cum Hierosl. construi nequit, genere masc. prohibente, nisi ad עם *populum* referatur) *insanam agitationem:* quem significatum hic admittit vox תועה; cujus rad., ut et sororiae תעה, proprietas est in *agitando*, huc illuc *quatiendo*, inde *errando*, adeo ut certo ac fixo in loco consisti nequeat, instar *ebrii*, vel *insani*, cujus cerebrum est adfectum; sicut Ps. XXVIII: 7. Job. XII: 25. XV: 31. et alibi. Accessit, ad Hierosolymitanos percellendos, ipsos Judaeos, populis illis vicinos, retulisse, hostes in procinctu esse, ut aestus instar, continuis vicibus redeuntis, et intumescentis, invadant, ac in-

ascendent Hierosolymam. Quo verba, v. 6. ultimo membro tendunt, *ex omnibus locis quod contra nos venturi* sint, seu instar aquarum effervescentium et intumescentium, nobis superventuri sint. Qui proprius est significatus, ac frequens usus, verbi שוב. Legi itaque debet non חשבו, quod locum habere nequit, cum verba Judaeorum advenarum ad Hierosolymitanos omnino hic exhibeantur, sed ישבו, uti LXX habuerunt in suo Codice. Nehemia his omnibus minis et relationibus nihil perterritus, praeter ardentes ad Deum preces, prudente consilio cives animavit, ac armavit, ut ad omnem eventum parati sint, operarios militibus cinxit, et ipsis illis injunxit, ut altera quasi manu instrumentum operatorium, in altera missile habeant, turmis quoque ita divisis, ut, ad sonitum buccinae, sibi mutuo succurrere possint, vigilias praeterea nocturnas instituit, denique ipse cum sociis vigilantia, ac custodia, praeivit, dum *vestes non exuerint*, nec alio se sustentaverint alimento, ac *pane* et *aqua*. Quod ultimo membro v. 17., valde inpedito et difficili explicitu, varie subinde et absurde exposito, putem comprehensum esse, vertendo, *cujusque missus* erat panis *et aqua*. Vox שלח peculiarem hic fert significatum, quo *ferculum* mensae, vel munus, uti alias שלוח *missum* Lat. denotat, unde vox שלחן, proprie *missus* ferculorum, ad ipsam *mensam* transfertur; sed et deficit vox לחם *panis*, per duas voces שלחו המים absorpta.

§. CCCLX. Quae omnia, ad hostes delata, eos a proposito Judaeos invadendi absterruerunt, et ad insidias Nehemiae struendas verterunt: uti cap. VI. narratur. Saneballat et Tobia, missis plus una vice litteris et nunciis, ipsum invitarunt, ut secum in aliquo loco secreto consultaret, quia fama erat, eum contra regem rebellare, et regem Judaeorum agere velle, praetextu ipsum juvandi, sed scopo eum occidendi. Quod cum non succederet, Nehemia recusante, subornarunt falsum vatem aliquem Judaeum, ut timorem ipsi, nomine Dei, incutiat, et refugium ad aedem Jehovae

persuadeat,

persuadeat, ut sic ab opere non tantum desistat, sed et, aedem Jehovae temere intrando, peccaret, ac a Deo puniretur, uti v. 13. indicatur. Tandem, cum nec illud procederet, vate etiam, tanquam fingente revelationem divinam, et ab adversariis pecunia corrupto, detecto, uti v. 12. habetur, ita vertendo, et explicando; *et cognovi* (re scilicet accuratius explorata) *ecce non Jehova misit ipsum* (nihil minus quam Jehova; quam emphasin hic, ut alibi, exserit לא *non*, praemissum Jehovae, cum alias postpositum fuisset, si simpliciter diceret, eum a Jehova non fuisse missum) *quum* (id enim hic כי *quia* denotat) *prophetiam effatus est de me; sed Tobia et Saneballat eum mercede conduxerunt* etc. Ad quae omnia media, Judaeis ab opere deterrendis destinata, accessit commercium multorum nobilium quoque inter ipsos Judaeos, qui vel per uxores, vel per pacta jurata, erant Tobiae adsociati, cum ipso per Epistolas, quibus Nehemiae consilia ipsi communicarunt. Quae omnia cum in vanum cecidissent, et opus tandem a Nehemia perfectum vidissent hostes, ab ulteriore conatu videntur abstinuisse, utique timore perculsi, et Deum Judaeis favere, leguntur agnovisse v. 16.

§. CCCLXI. Urbe hac ratione, inter multa pericula, ab hostibus extraneis et intestinis injecta, munita, et hostium infestationibus finitis, instituta mox videtur solennis dedicatio, antequam reliqua ad statum populi ordinandum fuerunt a Nehemia suscepta. c. VII. et seq. narrata. Dedicatio autem alieno loco c. XII. in peculiari schedula, libro Nehemiae ab aliena manu inserta, occurrit, Nehemiae tamen verbis narrata. Pericopam ejus cap. 1—26., et 44—46. non esse a Nehemia profectam, sed ab alio, longe recentiore, qui Darii Codomanni tempora adtigit, quod jam est observatum, duae mihi persuadent rationes, *una*, quod recensio Pontificum sese usque ad Jaddum porrigat v. 11, 12. et Darii Codomanni mentio fiat v. 22. ubi notari obiter velim, vel pro על מלכות legendum esse עד מלכות *us-*

que ad regnum Darii, sicut mox v. 23. עד ימי *usque ad tempus Jochananis*, vel addi debere ספר, ut sit על ספר *super libro regni Darii*, adeoque cum כתובים *scripti* construatur, sicut mox v. 23., quum indicatur, catalogum Levitarum illorum, et sacerdotum, insertum fuisse *commentariis* regni Darii, sicut alter catalogus fuit libro *annalium* inscriptus: *altera* ratio est, quod de Nehemia hic in tertia persona agatur, cum alias *prima* semper utatur Nehemia in libro suo; sicut mox in historia dedicationis Urbis, v. 27 et seq. Quae ratio etiam evincit, pericopam, historiae dedicationis subnexam, v. 44—47 ab alia esse manu. Desumta vero fuit dedicationis narratio ex schedula aliqua Nehemiae, in libro ejus non obvia, sed alibi inventa, et hic inserta, loco licet alieno, instar adpendicis libri. Unde est, quod tempus dedicationis in incerto sit; sed videtur contigisse mox post absolutum opus instaurationis murorum, et portarum, cap. VI. utique commodius mihi non occurrit, nec videtur dedicatio, opere finito, diu dilata. Peracta est dedicatio summa cum laetitia populi, Hierosolymam undiquaque convocati, inter sacra cantica ac instrumenta musica, per publicam processionem super muro, singulari exemplo, factam a duobus Choris, ad occasum urbis consistentibus, faciebus ad Templum versis, indeque sese dividentibus, ita ut *unus* ad dextrum latus, *alter* ad sinistrum processerit; uti vers. 31 et 38 traditur, ubi pro voce ותהלכת et *processiones* substitui, vel subjungi debet, v. 31 אחת הלכת *una ibat*, sicut v. 38, ubi pro למואל manifeste leg. לשמאל ad *sinistrum*, uti ex v. 31 patet, sicut littera צ etiam excidit, c. IX: 17 in במרים pro במצרים *in AEgypto*. Prior chorus, ad dextrum latus flexus, circuit urbem superiorem, seu civitatem Davidis, ad australe latus urbis, et substitit coram Templo ad ortum. Alter ad Septentrionem sese vertit, et ad latus Septentrionale urbis procedens, ad eundem locum coram Templo venit, seseque ibi priori choro junxit. Quae processio eo etiam notabilis est nomine, quod situs locorum

et

et portarum Hierosolymae patescat, de quo plura hic non licet dicere.

§. CCCLXII. Quibus omnibus peractis, Nehemia rerum ordinationi, et morum reformationi, incubuit; num vero Susam ante petierit, ad Regi successum operis nunciandum, et licentiam reditus, ad res instaurandas, inpetrandam, nec adfirmare, nec negare ausim, cum ejus mentio non occurrat, nec tamen desint rationes, quae probabile faciunt, sed illud tanti non est. Recenseamus paucis quae a Nehemia hanc in rem sunt peracta. 1. Querelis inopum, de multiplice oppressione per creditorum exactiones duras, quibus non tantum gravem exercebant foenerationem, sed et eo nomine fraudulenter, et perfide, in miserabilem servitutem eos traxerant, ad ipsum delatis, effecit sua autoritate, ac increpatoria oratione, exemplo etiam suo confirmata, ut illa cessaverit, et inopes sublevati fuerint cap. V. Quem casum cum in Comm. ad Mal. II: 10, ubi ad eum respicitur, satis illustraverim, hic nihil aliud observabo, quam illustre exemplum, et probi ac patriae amantis animi, et liberalitatis Nehemiae; ad quod provocat. De liberalitate in primis testatur, quod v. 18. habetur, ubi 150 viros exules, et in patriam reversos, propriis sumtibus, ad mensam suam admissos, sustentasse refert, his verbis, ut legi et exponi debent: *et quod fuit* (in mensa mea) *factum est* (*mihi*, meo sumtu, sive addatur לי mihi, sive suppleatur, potuit enim per praeced. ליום facile excidere) *unoquoque*, scilicet *die*, *bos unus*, *minores pecudes sex pingues*, *et aves parabantur mihi* (seu de meo) *et intra decem dies*, (spatio decem dierum) *omni* (scilicet *die* בכל, *omni* construi utique cum *vino* nequit, sed debet cum יום *die*, sive ex praeced. repetatur, sive addatur, per יין *vinum* facile absorptum) *vinum in abundantia* etc. Ceterum, licet casus hic narretur durante adhuc opere raedificationis, dubium tamen mihi non est, quin aliquandiu post contigerit, adeoque hic non suo loco, sed alieno, memoretur. Cum enim, suum proferens exemplum,

declarat, ſe, ex quo ducatus populi ſibi commiſſus eſt, a 20*mo* Artaxerxis ad 32*dum*, per 14 annos, alimenta Duci competentia non ſumſiſſe, manifeſtum eſſe reor, circa finem prioris periodi praefecturae ejus accidiſſe, quod hic de Nehemia narratur.

§. CCCLXIII. Cum cuſtodiae urbis proſpexiſſet, et praefectum ei inpoſuiſſet Chananiam, *arcis*, ſeu civitatis Davidis, Tſionis, jam principem virum, fidum, et ſtrenuum, ad urbem civibus replendam, quippe qui, pro ejus amplitudine, parvo nimis erant numero, et domus adhuc jacebant deſolatae, animum adplicuit, cap. VII. poſtquam ex libro cenſus reducum, in principio reditus facti, Ezr. II. numerum eorum cognoviſſet, uti eodem cap. VII traditur. Convocato itaque populo ex omnibus locis Cananaeae Hieroſolymam, legem publice ab Ezra et ſociis praelegi ac exponi fecit, feſto Tabernaculorum ſolenniter quoque celebrato, c. VIII, dein oratione ad Deum, die jejunii, expreſſe indicti, habita, pia illa et efficace, foedus cum Deo pangi curavit, et ſcribi ac obſignari a Principibus, Levitis, et Sacerdotibus, omnium nomine, ſub auſpiciis ſuis, c. IX et X. quo foederis leges exſtant, recenſitae. Verba c. X: 1 et 2 ita vertenda ſunt et capienda. *Et in omni hoc* (ſeu propter hoc, h. e. hoc in ſtatu, et ut votorum, in precibus expreſſorum, fieremus compotes) *pepigimus firmam conſtitutionem, ac ſcripſimus*, (foedere inito nos obſtrinximus firmiſſime, ſimul ſcripto, quae facienda ſuſcepimus, conſignavimus) *et ſuper obligatione noſtra principes noſtri, levitae noſtri, ſacerdotes noſtri* (ſignaculo inpreſſo confirmarunt illi omnia, obſignationi praefecti, qui omnium id fecerunt nomine) *et ſuper ſignatis Nehemias Tirſchata* etc. (iis omnibus, qui ſua inpreſſerunt ſigna, ſeu fuerunt ſignati, praefectus fuit Nehemias, autor et director totius negotii, qui primus etiam ſubſignavit.) Quibus peractis primores primum induxit, ad domos Hieroſolymis exſtruendas, et incolendas, quos alii ſponte ſecuti ſunt, dein, ſorte ducta,

decima

decima Judaeorum pars fuit obligata ad idem faciendum cap. XI.

§. CCCLXIV. Urbe hac ratione munita, domibus instructa, et civibus repleta, populo quoque legis notitia, per solennem ejus praelectionem, inbuto, foedere ad legis exactam observantiam populo constricto, denique duris exactoribus, et foeneratoribus inopum repressis; verbo, omnibus rebus ad Civitatis et Ecclesiae instaurationem ordinatis, Nehemia, 12 annorum spatio, ipsi a Rege concesso cap. V: 14. expleto, ad Regem ann. ejus 32*do* reversus, c. XIII: 6. cum aliquandiu ibi fuisset moratus, incertum quanto tempore, (cum לקץ ימים *ad finem* dierum in genere dicatur novam a rege accepisse Hierosolymam repetendi veniam,) pravosque mores denuo in Judaeos, etiam ordinis sacerdotalis viros, irrepsisse, intellexisset, novo accensus zelo, eo, rege permittente, rediit, eosque feliciter sua autoritate emendavit: uti cap. XIII: 1. narratur. Quod pro *quinto* instaurationis intervallo haberi potest. Eliasib, ut pravos eos mores verbo recenseam, Pontifex magnum cubiculum in atriis Templi, proventibus sacris adservandis destinatum, propinquo alicui Tobiae concesserat inhabitandum c. XIII: 4. his verbis, obiter exponendis, quia minus expedita sunt; *et antea* (לפני enim est pro לפנים *antea*, littera ם per concurrentiam sequentis litterae deficiente, ut alibi) *ab hoc* (insigni scilicet, digito monstrando, *quam* emphasin, ut constat, praefert subinde vocula זה *hic*) *Eliasibo sacerdote* (summo הכהן eximie dicto, et eo nomine noto, ut recte jam est observatum) *datus est* (seu constitutus, tanquam dominus et habitator, loco hoc ipsi ab Eliasibo concesso) *in conclavi aedis Dei nostri propinquus Tobiae* (h. e. conclave hoc datum est alicui, intima necessitudine conjuncto Tobiae, idque in gratiam Tobiae; quare v. 7. ipsi factum esse dicitur, et v. 8. *domus* ejus adpellatur; de quo vocis קרוב usu nemini non constat) Praeterea Levitis denegatae sunt, et inhibitae, *decimae*, quare et ipsi Templum

deſeruerant, et ſacra ceſſaverant: Sabbatum quoque per commercia et opera ruſtica profanari ſolebat: conjugia denique, lege vetita, cum gentilibus vigebant rurſus. Imo aliquis filiorum Jojadae, filii Eliaſibi Pontificis, gener factus erat Saneballati Horonitae: quem expulit Nehemia. Quod factum male cum ſimili Manaſſis apud Joſ. confunditur; ut poſtea patebit. Ceterum viam ad hanc emendationem paraverat jam, et opem Nehemiae tulit ſtrenuam, Malachias, ſeu Ezra, cujus altera et poſterior concio, cap. II. et ſeq. comprehenſa, contra ipſa illa crimina habita eſt tempore intermedio, ſeu paulo ante ſecundum Nehemiae adventum, ut ex collatione ejus ac Neh. XIII: 4. clare pateſcit, prior vero concio cap. I. recte adſignatur tempori, quo Ezra venit Hieroſolymam, ann. *7mo* Artaxerxis, Vid. Comm. noſter ad Mal. in Prolegom.

§. CCCLXV. Danda nunc eſt *ſtatus* Judaeorum, in Cananaea degentium, cum civilis, tum Eccleſiaſtici, ſeu religioſi, deſcriptio. Quod ad formam *regiminis* adtinet; ſumma rerum gubernatio in principio fuit penes Ethnarchas, a Regibus Perſarum conſtitutos, Satrapis Tranſ-euphratenſibus obnoxios, quorum duo, in hiſtoria noti, fuerunt Zerubbabel et Nehemia, de quibus ſupra egi; viri praeclari, et rerum inſtauratores feliciſſimi. De intermediis nihil conſtat; niſi quod aliquos fuiſſe colligi poſſit ex Neh. V: 15. et Mal. II: 8. quia in Zerubb. et Nehemiam, quae ibi traduntur, non convenire videntur. Extraordinariis hiſce Ethnarchis ſucceſſerunt, poſt Nehemiam, ſummi pontifices, penes quos ab eo tempore fuit, et per ſequentia tempora manſit, ſuprema, in civitate aeque ac Eccleſia, poteſtas; uti recte advertit Phaletranus *de ſceptro ablato* in collectione Graeviana, cujus ſupra memini; de quo plura dixi in vita Joſuae Pontificis. Praeterea poſt Ethnarchas memorantur *Capita* patrum, ſeu principes Tribuum, 2 Chron. V: 2. etiam חורים Ezr. VII, IX. et Neh. IV. adpellati, vel a *candido* pectore, vel a *candente*, ſeu ignito et nobili mentis in-

petu

petu, Vid. Schult. in Clav. Radix enim denotat *caluit*, efferbuit, incanduit. Erant praeterea inferiores in singulis urbibus Magistratus Ezr. IX. *Seniores* etiam dicti c. X. *praefectus* quoque Hierosolymae a Nehemia constitutus Neh. XI. Denique Judices Ezr. X. in caussis judicialibus. Tandem mentio fit totius *coetus* populi Ezr. X. quae Neh. V: 7. *coetus condictus magnus;* alias synedrium magnum, adpellatur.

§. CCCLXVI. Operae pretium est inquisivisse in Status civilis qualitates, relate ad *libertatem* et *prosperitatem*. Judaeos *liberum*, et sui juris, non fuisse populum, durante regno Persarum, facile constat 1. ex Ethnarcharum subjectione Satrapis Persarum, trans fluvium Euphratem Neh. II. et quod Ethnarchae fuerint a Regibus constituti, uti in Zerubb. et Nehemia adparet, 2. ex tributis, quae regibus extraneis pendere debebant; quorum tria memorantur genera, distinctis nominibus expressa Ezr. IV: 13. Quae sunt מנדה dimensum liquidorum, sed in primis aridorum de ponderibus, et mensuris, בלו *detritio*, consumtio, de rebus itaque, in genere quae consumuntur, et teruntur, denique, הלך vectigal itinerantium, portorium exeuntium et intrantium. Denique 3. e testimonio notabili Nehemiae ipsius cap. IX: 36, 37. quo in precibus, nomine populi ad Deum fusis, confitetur, Judaeos esse *servos*, et copiosum esse de terra Judaeorum *proventum regum*, eosque pro arbitrio *dominari corporibus*, et *pecudibus* eorum. Addit, populum in *magna* et *stringente angustia*, fuisse scilicet et esse, digitum ad manifesta et multiplicia pericula et anxietates intendens, quibus et antea, uti sub Xerxe, seu Ahasuero, in principio regni ejus, Ezr. IV. et in lib. Esther, fuit inplicitus et expositus, et proxime suo tempore, ab hostibus extraneis vicinis, adeo ut, quod Dan. IX: 25. praedictum est, fuerit exacte inpletum. Nec tamen aeque dura semper sub Persarum regibus Judaeorum servitus fuit, sed, pro indole eorum, varia, subinde etiam

triſtior conditio et periculoſior. Sub Cambyſe inpedita fuit edicto regis rerum inſtauratio et Templi aedificatio, et ipſi arctiori ſervituti addicti ſunt. Dario Hyſt. regnante laetior ipſis adfulſit fortuna; in initiis Xerxis in praeſentiſſimum, per Hamanis conſpirationem in eos, inciderunt excidii totalis diſcrimen, ſed feliciter per Mordachaeum liberati ſunt et Eſtherem, de quo mox; dein ſub Artaxerxe Longimano, tempore Ezrae ac Nehemiae, proſpere, etiam magis libere, egerunt, ut ex ſupra dictis patet. Habuerunt etiam tunc proprios judices, aliquale quoque jus poenae capitalis, utique excommunicationis plenariae, mulctae bonorum, et vinculorum Ezr. VII: 26. Nec tamen magni momenti eorum fuit aut potentia, aut opum copia, adeo ut vicinis populis adhuc fuerint deſpectui: qui languidos eos adpellarunt Neh. III: 34. et irriſerunt v. 36.

§. CCCLXVII. Denique graviorem paſſi ſunt adflictionem ſub Artaxerxe Ocho per Bagoſum, ſupremum ejus ducem, qui Templum profanavit, et novum Judaeis inpoſuit tributum, ſatis grave, quo, antequam quotidianas offerrent hoſtias, in ſingulos agnos e publico 50 drachmas pendere debebant. Joſ. Ant. l. XI: 7. qui addit, Judaeos per 7 ann. fuiſſe ab eo infeſtatos. Hierichunte quoque expugnata, Judaeos multos captivos abduxit, partim in AEgyptum, partim in Hyrcaniam, uti Joſ. contra App. l. I. ex Hecataeo refert. Cauſam, vel occaſionem, praebuit nefanda caedes Joſuae, cui Bagoſus pontificatum promiſerat, a fratre Johanne, propterea irato, in ipſo Templo inter ſacra, perpetrata; quam ultum ivit Bagoſus, et Judaeos ſevere tractavit. Durante itaque regno Perſarum Judaei in ſervili, et minus proſpera, conditione fuerunt: quare illud cum *monte* comparatur, coram Zerubbabele, populum repraeſentante, complanando Zach. IV. quod incepit aliquatenus vivo Zerubbabele, cum regnum illud ſe aedificationi Templi non amplius oppoſuit, quin Judaeis in rerum

inſtau-

instauratione succurrit, ac quasi se submisit, sed plenius, cum per Graecos est destructum.

§. CCCLXVIII. Respectu status *Ecclesiastici*, vel religiosi, Judaei sese in patria haud infelicitér habuerunt. 1. Ordo personarum sacrarum, Pontificum, Sacerdotum et Levitarum, Cantorum, et aliorum, ad Templum pertinentium, obtinuit. Pontificum quoque successio legitima; qui hoc intervallo recensentur Neh. XII. ordine, sed annis non additis, sex, Josua, Jojakim, Eliasib, Jojada, Jonathan, aut Jannaeus sive Johannes, denique Jaddua. Quorum primus et ultimus celebriores fuerunt, Josua in principio, de quo dixi, et Jaddua in fine intervalli, sub Alex. M., de quo postea, tertius Eliasib sese maculavit, tempore secundi adventus Nehemiae, ut modo narravi, quintus denique caede fratris in Templo infamem sese praestitit, et judicium Dei, teste quoque Jos. l. c. in populum per Bagosum provocavit: tres primi spatium usque ad 33*tium* Artaxerxis, sub quo Nehemia vixit, repleverunt et ultra, reliqui tres usque ad Alex. M. 2. Liberum et legitimum religionis Mosaicae exercitium in Templo locum habuit; corruptelis quoque, quae ex commercio cum gentilibus irrepserant, e medio sublatis per Ezram et Nehemiam. 3. Floruerunt quoque, et Ecclesiam honorarunt, illustres Prophetae, Haggai, Zacharias, et Malachias; de quibus supra dixi, nec defuerunt adhuc alii non nominati, Nehem. VI. et Zach. VII. 4. Incepit quoque Legis publica praelectio ac interpretatio, longe frequentior, quam Moses praeceperat, et, relate ad tempora praecedentia, plane nova. Moses singulis septenniis, tempore festi Tabernaculorum, tantum injunxerat Deut. XXXI. sed nunc incepit continua, antea plane sub Judicibus et Regibus neglecta erat, nunc studiose facta. Unde progressu temporis ortae sunt Synagogae, quarum primae occurrunt lineae Neh. VIII. Lex enim publice fuit coram populo, in unum congregato, sub dio, ab Ezra, in editiore loco stante, praelecta, praemissa benedictione Dei et precatione,

cui populus voce *amen*, et gestu adorantis, succinuit: secuta mox est pericopae praelectae translatio in linguam Chaldaicam, populo tunc notiorem, et expositio, a viris, qui Ezrae adsistebant, et מבינים *distincte intelligere facientes*, propterea adpellati sunt. Factum illud est primo die Mens. 7mi, et sequentibus continuatum, durante etiam festo Tabernaculorum. Quae religiosa exercitia eadem sunt, ac quae in Synagogis obtinent. Num vero ea ab eo tempore sine interruptione continuarint, non constat; sed occasionem tamen Synagogarum postea erigendarum dederunt. De quo vid. Cl. Vitringa de Synag. Vet.

§. CCCLXIX. 5. Praeter studium legis, ab Ezra introductum, *Canon*, sic dictus, seu catalogus librorum sacrorum V. T., censetur ab eo confectus. Quod nec omnibus suis partibus verum est, cum ad ejus et Nehemiae libros, Estheris, et prophetarum ejus temporis, extendi nequeat, nec certo innixum est fundamento: cum nusquam ejus reperiatur mentio. Attamen, cum tempore Sirachi, qui sub Ptolemaeo Euergete II*do* vixisse censetur, vel potius avi ejus, cujus liber est, quem Sirach Gr. vertit, qui Ptolemaeo Epiph., paulo ante Antiochum Epiph. fuisset aequalis, librorum sacrorum, uti 12 prophetarum, praeter libros legis, mentio fiat tanquam receptorum, Sirach. XLIX. imo Librorum V. T. versio Graeca jam ante facta sit, si non omnium, saltem Legis et aliorum, nec collectionis librorum aut aptior autor, aut commodius tempus, sese offerat, opinionem de canone librorum Legis, et multorum aliorum, nec tamen omnium, probabilem esse censuerim; absque ut pro certo venditare ausim. 6. Longe minoris facio traditionem Judaicam de sic dicta *Synagoga Magna*; ex 120 viris, peritis ac legis studiosis, constante, ejusdem temporis, quorum primus fuisset Ezra, et postremus Simeon Justus, Pontifex, canonis Script. V. T. non tantum, sed et notarum marginalium, ac punctorum vocalium Hebr., ut vocantur, autoribus. Caret enim omni fundamento, et autorem

torem habet recentiorem R. Eleazarem in *capitulis Patrum*; quem alii sunt secuti: nulla ejus mentio fit in libris Ezrae aut Nehemiae, apud Jos. quoque nulla, nequidem in Chronico Jud. *Seder Olam*: nec spatium temporis, inter Ezram et Simeonem Justum, ann. 25 post Alex. M. Pontificem, quod est 250 annorum, patitur, ut viri illi coaetanei statuantur; nisi quis cum Judaeis absurde, et ridicule, velit, Darium esse Hystaspis, quem Alex. M. devicit, Simeonem vero eundem ac Jaddum, regnumque Persicum tantum 52 durasse annos. Praeterea notas illas Masorethicas, ac puncta vocalia, recentiora quoque esse inventa, vulgatior jam est Doctiorum sententia. Illud tantum admitti posset, quod ansam fingendi Synagogam talem praebere potuit, viguisse successionem aliquam virorum, ab Ezra usque ad Simeonem Justum, qui legis et traditionum studio fuerunt celebriores: nec desunt inter Judaeos, qui eos successive, per 8 aetates, vixisse volunt, uti habet R. David Ganz. in צמח דוד. Plura qui velit de hac Judaeorum traditione, adeat, praeter L. Empereur ad Jachaid. comment. ad Dan., J. Buxtorf in *Tiberiade*; qui Judaeorum exhibet testimonia. 7. Denique, quod Judaei sub Templo *secundo* defecisse tradunt *arcam* cum propitiatorio, et Cherubinis, *schechinam*, seu inhabitationem Dei super arca, *ignem* sacrum, *Urim* et *Tummim*, denique *spiritum* propheticum, eaque ratione longe fuisse hoc Templum priore inferius, non nisi ex parte, et cum temperamento, admittendum censuerim. De quo consuli potest Bernard. ad Jos. Ant. l. III. et Carpzovius ad Goodwin. Mos. et Aaron, nec res tanti est, ut moram nobis injiciat. De spiritu Proph. postea, suo loco, quaedam monebo. Oraculum Urim et Tummim jam diu ante destructum Templum siluit, fabula de *arca*, a Jeremia occultata 2 Macc. II. ex male intellecto loco Jer. III: 17.— orta est.

§. CCCLXX. Festino ad statum populi interiorem, seu *moralem*, respectu virtutum et vitiorum, paucis depingendum,

dum, ex libris Historicis et Propheticis hujus intervalli, supra recensitis. Ubi ante omnia, in laudem ejus, notari meretur, idololatriam gentilem, populique inclinationem ad eam, quae antea tantopere dominata erat, et a qua nullis abstrahi poterat mediis, penitus post exilium, et reditum in Patriam, fuisse exstirpatam, ita ut ab ea fuerint Judaei alienissimi, nec unquam caput exseruerit: uti testatissimum est. Cujus ratio, quoad media, recte a continua Legis lectione et institutione, quae ab hoc tempore viguit, repetitur; multum etiam eo tribuente, ut videtur, singulari judicio destructae Hieros., et exilii populi propter idololatriam, nec non subjectione regno Persico, a recepta idololatria alieniore. In principio reditus, studium religionis, et praeceptorum Mosaicorum, viguit insigne, et in religionis exercitio se exseruit: sed, cum populus, de magnificorum promissorum, reducibus factorum, inplemento mox futuro, spem foverat, uti Ps. CXXVI. quoque innuitur, interea sese cum rebus tenuibus, multisque molestiis ac obstaculis, difficulter superandis, colluctari videret, rebus propriis magis, quam Dei et religionis, promovendis incumbere, et torpore corripi coepit; ut ex Hagg. et Zach. patet. Deinde eo, per varia Dei judicia ac prophetarum monita, excusso, Templo aedificando, ac rebus instaurandis studiose incubuerunt: sed haud diu post, cum rebus adhuc minus florentibus uterentur, occupavit populum, et sacerdotes, aliqua alia corruptela, in sacrorum contaminatione per prava sacrificia; uti ex Mal. I. patet: concio enim, ibi memorata, ab Ezra habita est ante adventum Nehemiae, ut in Comment. ad Mal. docui. Irrepserant praeterea conjugia cum alienigenis, contra legem; ut ex lib. Ezr. patet. Quibus per Ezram aliquatenus emendatis, populus novum induit per Nehemiam vigorem, rebus instaurandis seriam dedit operam, abusus multiplices correxit, seseque ad foederis legalis observantiam solenniter obstrinxit, ut ex historia *duodecennis* morae Nehemiae in Judaea elucescit.

Sed

Sed nec iſte laudabilis ſtatus diu duravit. Prolapſus enim, Nehemia abſente, eſt in graviora vitia, qualia fuerunt illicita conjugia, divortia temeraria, ſabbathi violatio, decimarum, Levitis debitarum, inhibitio, indeque orta religionis publicae ceſſatio; quibus obicem ponere conatus eſt Nehemia, altera vice in Judaeam reverſus. Acceſſerunt denique expoſtulationes populi cum Deo, ſive inprobae, ſuper ſervili et inproſpera conditione ſua, et felici populorum vicinorum, tanquam indicio favoris Dei erga inprobos, ſive inportunae, et ex diffidentia ortae, ſuper piorum et inpiorum diſcrimine, in ſorte, ipſis congrua, non conſpicuo: quarum *illae* ab inprobis, *hae* a probioris animi viris, profectae fuerunt inter Judaeos, et a Malachia exhibentur ac refutantur, *illae* c. II: 17.—III:—12., *hae* c. III: 13. ad fin. lib. de quo Vid. Comm. noſter ad Mal., hic tetigiſſe ſufficerit.

§. CCCLXXI. Supereſt de ſtatu et fatis Iſraelitarum et Judaeorum, in terris peregrinis degentium, aliquid obſervemus. Manſiſſe plures in Aſſyria, Media, Babylonia, AEgypto, et aliis regionibus, utique hoc intervallo, ex libris Ezrae, Nehem., et Eſther. manifeſtum eſt; praeterea exhortationes in libris Jerem. ac Zach. obviae, quibus excitantur ad patriam repetendam, pro hypotheſi habent. Citabo nunc tantum duo loca, unum ex Jer. XXXI: 21, 22. alterum ex Zach. II: 10. Prior locus eo eſt notabilior, quod inde pateat, multos in terris peregrinis manſiſſe, alios, quod idololatriae nondum penitus renunciaverant, alios, quod commodius viverent in exilio ac lautius, et de patriae ſtatu minus recte ſentirent: ut in Comm. ad Jer. obſervavi. Joſ. Antiq. XI: 5. tradit, *decem tribus uſque in hodiernum diem loca ultra Euphratem colere, infinita hominum millia, nec numeranda.* Iſraelitae, ſicut regnum, ita et nomen, a Judaeis diverſum, perdiderunt, omnes a Juda adpellati Judaei, ut Joſ. Ant. XI: 5. etiam obſervavit, ac cum Judaeis in unum rurſus populum coaluerunt, adeo etiam, ut quot-

quot cum gentibus non fuerunt commixti, et idololatriae nuncium miſerunt, legem Moſis, quantum in terra peregrina fieri poterat, obſervarint, ſuamque communionem cum Judaeis in patria, reſpectu religionis ritualis, et Hieroſolymae ejus ſedis, identidem variis modis teſtati fuerint, et exercuerint: ſicut haud uno loco in verbo prophetico fuit praedictum, ex gr. Jer. L: 4, 5. Tſeph. III: 10. loco notabili, de quo mentem explicui in *methodo prophetica:* reapſe quoque per legatos, et dona Hieroſolymam miſſa, praeſtitum legimus, uti Zach. VI: 9— et VII: 2. Poſteriore loco dicitur *miſiſſe* (ex Babylonia nimirum, vel loco exilii) vel *Bethelem* (principem civitatis Nichmalotarſcham) *Saretzerem*, et *Regimmelech*, et *viros* ejus (ſcilicet legatos, a Bethele principe miſſos) vel Bethelem, Saretzerem et Regimmelech, viroſque ejus, (tanquam legantes ſcilicet *aliquos*, tanquam legatos, per ellipſin) *ad ſupplicandum vultum Domini*, hoc eſt, ad Jehovam, externo Symbolo in Templo praeſentem, ibi ſacrificiis, aliiſque religioſis ritibus, colendum, et ejus favorem demerendum, ſimul ad ſacerdotes et prophetas conſulendum etc.

§. CCCLXXII. Ad ſtatum et fata Judaeorum, quo nomine Iſraelitas, ſeu omnium tribuum, complector, in terris peregrinis hoc intervallo, pertinet ſingularis caſus, primum triſtis et ſummi diſcriminis, dein laetus et proſper totius populi, per omnes provincias regni Perſici, ſub Ahaſuero aliquo, prior per Hamanum, poſterior, per Eſtherem et Mordachaeum, conciliatus. Cujus hiſtoria in lib. Eſtheris proſtat, quique nemini non ex ejus lectione notus eſt, aut eſſe poteſt, de cujus veritate dubitare non licet, cum nihil contineat a probabilitate, aut poſſibilitate, moribuſque Perſarum, alienum, praeterea a Judaeis per omnia tempora liber tanquam genuinus, et caſus, tanquam verus, fuerit agnitus, feſtumque Purim in ejus memoriam celebratum; ut ex libris Maccab. et Joſepho conſtat, de quo hic fuſius diſputare nihil adtinet, factum quoque eſt ab aliis. De Ahaſue-

ro,

ro, et tempore, quo historia contigit, cum postea sim acturus, hic summatim eam tradam et illustrabo. Status periculosissimus, in quem Judaei per totum regnum Persiae inciderunt, in eo fuit situs, quod edicto regis, primo Mense Nisan, ann. 12*mi* regis, per omnes provincias regni misso, permissum, quin jussum, fuerit, omnes Judaeos, sine sexus discrimine et aetatis, occidere, ac ad internecionem delere, eorumque bona diripere, uno eodemque die, 13*tio* mensis 12*mi*, qui est Adar; quem sors, ab Hamane instituta, designaverat, tanquam ipsi et proposito faustum, ac ut exsecutioni mandetur opportunum. Quod Esth. III: 7. his verbis, minus recte intelligi solitis, traditur: *mense primo, qui est mensis Nisan, anno duodecimo regis Ahasueri, signavit Pur, hoc est sors, coram Hamane de die in diem,* et *de mense in mensem*, signavit, inquam, Pur duodecimum (scilicet et mensem et diem) *qui mensis est Adar:* quorum sensus est, sortem opportunum tempus, quo decretum Hamanis cum successu sit exsecutioni mandandum, fixisse et signasse *duodecimum* mensem Adar, et diem ejus 12*mum*, sequente exsequendum. Verbum הפיל divite sensu dicit *adsignavit*, et phrasis הפיל פור est, *sors* ipsa definivit, seu sortitione instituta; cohaeret cum vocibus שנים עשר *duodecimum* in fin. vers. et tempus sorte definitum exprimit, ut sensus sit: *sors signavit duodecimum*, scilicet mensem; ut ex praeced. ac seq. sponte fluit: intermediae autem voces significant, sortitionem per singulos menses et dies ivisse, sed nullum signasse, nisi *duodecimum*, seu ultimum mensem. Missae autem fuerunt litterae, annulo regis signatae, ad omnes satrapas, duces, ac primores populorum singulorum, jam mox *primo* mense, postquam sors 12*mum* signasset, quo jussum efficeretur, adeo ut inter missas litteras, et diem exsecutionis, *undecim* menses interfuerint, eo scopo, ut tempore intermedio omnia ad hanc lanienam praepararentur; sed Deo etiam rem ita dirigente, ut res innotesceret, et tempus esset Judaeis sibi prospiciendi: ut eventus docuit.

§. CCCLXXIII. Autor edicti fuit Haman, primarius regni administer, regis consiliarius intimus, et in summa apud ipsum gratia; sed, cujus gentis, non constat, adpellatur quidem *filius Medataei* Agagita c. III: 1. et X: 24. sed inde pro certo nescio an colligi possit, ipsum fuisse Amalekitam, de stirpe regia *Agagi*, eorum regis, eo nomine noti 1 Sam. XV. licet forte non sit inprobabile; cum Paraphr. Chald. *de stirpe Agag* habeat, et Jos. Ant. XI: 6. eum Amalekitam adpellet; sicut itaque Darius *Medus* dicitur, quod sit e semine regio Medorum, ut supra habuimus, Persa quoque pro rege Persarum Cyro sumitur in Hist. Bel et Dracon., libro apocrypho, et apud Dionem Chrys. orat. III. et, quod ad rem magis facit, *David*, quia ex ejus semine, et *Israel* ac *Jemini*, ex Israelis et Benjaminis semine, ita ipse *Agagita* potuit adpellari. Accedit, inde facilius exponi posse, quare hic homo tanto in gentem Judaicam flagraverit odio, cum infestiorem hostem per omnia tempora non habuerit populus Judaeus, et Amalekitae quoque prae aliis fuerint devoti, ac pene deleti a Judaeis, ut ex Exod. XVII. Num. XXIV: 20. 1 Sam. XV. et aliis locis constat. Sed nomen האגגי *Agagita* simul pro epitheto haberi potest, quo homo elatus, superbus, ferox, opibus et viribus illustris, raptor et oppressor aliorum, sed singulari judicio prostratus, designatur, qualis vere fuit et expertus est Haman, ansa arrepta, sive a Gyge Lydorum rege, sive Gigantum historia vel fabula, utique *Gigas*, et robustus, ac Deorum oppugnator, idem sonant; unde γίγας est Hes. δυνάστης, ἰσχυρός, ὑπερφυής, sive ab Amalekitarum facinore et fato respectu Israelitarum: quo omnino sensu adhibetur nomen Agag, Num. XXIV: 7. *sublimior erit rex Israelis* מאגג *prae Agago:* nisi ibi rectius leg. מאד *valde.* Robur addit, quod Gr. versio Esth. III: 1. habeat Βουγαῖος h. e. ferox, et superbus, ac jactator: quam lectionem non sollicitaverim, potius adfectam esse lectionem c. IX: 24. crediderim, ex autore additamentorum Esther. ortam: ubi Haman dicitur Macedonius.

Quae

Quae opinio forte invaleſcere coepit, quo tempore prophetia Ezechiel. de *Gog* et *Magog* adplicari coepit ad Syro-Macedones, tempore *Antiochi* Epiphanis; ad quos etiam vere, primo ſenſu, pertinet.

§. CCCLXXIV. Sed quid adeo hunc aulicum in Judaeos irritavit? contemtus Mordachaei, qui ſe coram ipſo cum reliquis principibus proſternere, tanquam coram *rege* ipſo, pertinaciter recuſavit, ipſi bilem moviſſe quidem traditur, et anſam praebuiſſe necem ejus quaerendi, eo magis, quod Mordachaeus in aula quoque regis verſatus, et honoratioribus miniſtris regis accenſitus fuerit, et ipſi invidiam creare potuerit, maxime ſi ipſi de arcta neceſſitudine Mordachaei cum Eſthera aliquid ſuboluerit, quod fieri potuit. Utique Mordachaeus in *porta* regis, cum reliquis miniſtris honoratioribus, locum habuit, c. III: 2. et IV: 2. Eſther quoque nomine ejus regi ſignificaverat, duos eunuchos in ejus caedem conſpiraſſe c. II: 22. Quod vero totius populi Judaei excidium, una cum Mordachaei, voluerit, illud non tam ab ira ejus in aemulum ſuum, licet non ſit excludendum, repetendum videtur, quam ab inveterato odio gentis ſuae in Judaeos, ſi Amalekita fuit, et vindictae de ipſis, a quibus deleti erant olim, ſumendae cupiditate, quo adfectu, in primis inter Orientales, nihil eſt vehementius et durabilius, ab aetate in aetatem ſeſe extendente. Addi poteſt ſpoliorum aviditas; cum *bona* eorum voluerit ſibi rapere c. III: 13.

§. CCCLXXV. Tam praeſentis totius gentis ſuae diſcriminis nuncio ad Mordachaeum adlato, ipſe confugit, ad illud praeveniendum, ad Eſtherem, dilectam regis conjugem, neptim ſuam; ejuſque interceſſione ac ope periculum feliciter avertit, ac in caput Hamanis, ac filiorum, et omnium hoſtium Judaeorum, recidere fecit, ſibique ſummam regis gratiam conciliavit. Quae ſingularis rerum cataſtrophe noſtram meretur adtentionem. Mordachaeus fuit Benjaminita, cum Jechonia in exilium a Nebucadn. deportatus, ſive

ipse, sive in majoribus, de quo postea, c. II: 5. Susis autem degens in aulam regis Ahasueri fuit adductus, et inter praecipuos ejus ministros locum accepit, mox post Estherem, avunculi ejus filiam, parentibus orbam, et ab ipso pro filia habitam, in thorum regis, repudiata Vasti, adsumtam; uti c. I et II narratur: deinde ob bene merita in regem, cujus vitam contra duorum Eunuchorum conspirationem sua diligentia conservaverat, majorem ejus gratiam nactus per Estherem, quae regem de eo certiorem fecerat; sed simul nonnullorum invidiam sibi concitaverat. Displicuerat scilicet nonnullis aulicis, ut occasionem et rationem conspirationis obiter tradam, quod Esther fuerit facta regina, praeteritis aliis puellis, quibus favebant, eo etiam magis, quod fuerit, et gentis et originis respectu, ignota, denique Mordachaeum, virum Judaeum, ad tantam evexerat dignitatem, ut tanquam primarius aulicus in palatio regis versari potuerit. Hinc ortum est, quod, post ipsum festum nuptiale, effecerint, ut nova fuerit facta virginum congregatio, eo scopo, ut vel aemulam Estherae adjungerent, vel Regem inpellerent ad Estherem quoque repudiandam: qua spe cum exciderant, duo aulici vitae regis fuerunt insidiati; sed, a Mordachaeo detecti, mortis poenam luerunt. Qua ratione Esther regis amorem sibi magis conciliavit, et Mordachaei honor ac gratia crevit. Quae omnia ex pericopa cap. II. 19—23. erui possunt, et clavim praebent eam recte intelligendi. Ex hac enim hypothesi recte explicatur, quid sibi altera virginum velit congregatio v. 19. non regis, sed aulicorum, *consilio* instituta, idque post festum nuptiale, nec non quo duo isti versus 19 et 20 tendant, quod interpretes expedire non potuerunt.

§. CCCLXXVI. Quo rerum statu Haman in supremo dignitatis fastigio, prae reliquis principibus, incertum qua de causa, evectus, tanquam prorex, seu vicarius regis, et ab omnibus, jussu regis, more Persico, per *adorationem*, in signum submissionis, honoratus, solo Mordachaeo recusante, odium

odium in eum, et in totam ejus gentem, concepit, adeo ut a Rege potestatem acceperit gentem illam delendi, ut modo narravi, et exposui. Quid vero Mordachaeum inpulerit ad honorem illum Hamani denegandum, silet quidem historia, sed conjiciendum tamen praebet, Mordachaeum sibi, qua Judaeo, id non licere, opinatum fuisse. Cum enim ministri aulici, postquam Mordachaeum frustra ad id faciendum incitassent, legantur Hamani illud eo scopo significasse, ut explorarent, num Mordachaeus sese contra Hamanem tueretur, per rationem, quod *Judaeum* se esse dixisset c. III: 4. haud obscure indicatur, eum, qua *Judaeum*, sibi ab ista adoratione abstinendum esse censuisse; non itaque ex odio in gentem Amalekitarum, si vel inde fuisset Haman, nec ex aemulatione, aut invidia, sicut nonnulli opinantur, sed ex principio religionis; quod Judaeo sese coram homine prosternere, qui gestus adorationis videbatur, fas non sit: forte nec coram ipso rege solitus erat illud facere; rege Judaeum excusante propter religionem. Recte an male ita judicaverit Mordachaeus, nunc non disputo, nec etiam num prudentiae litaverit. Utique si praevidere potuisset, Hamanem furorem in totam gentem Judaicam propterea effusurum esse, aut regem ad eam delendam permovere potuisse, ab inprudentia excusandus vix foret: quemadmodum etiam, postquam factum intellexit, summa fuit adfectus tristitia, et anxietate.

§. CCCLXXVII. Succurrit tandem Esther, et periculum ipsi, et populo Judaeo, inminens advertit, excitata, et quasi adjurata, a Mordachaeo; qui, cum ipsi, praeter alias rationes moventes, a crimine, quo sese coram Deo reum faceret, si tergiversaretur regem adire, et a judicio divino, ideo sibi et domui suae infligendo, petitas, et hanc legatur protulisse c. IV: 12. quod *in domo regis* (בית enim ibi est pro בבית, littera praef. ב per sequentem deficiente) *non sit eripienda*, sed eandem sortem *cum omnibus Judaeis subitura*, si Hamanis consilia effectum sortiantur; significari mihi videtur,

Hamanem inter eos fuisse aulicos, quibus Estheris nuptiae cum rege aegre fuerunt: de quo ad cap. II: 19.— modo quid monui, praeterea nonnullis jam suspicionem fuisse ortam, Estherem, genus suum propterea tam studiose occultasse, quod *Judaea* esset; indeque etiam rationem esse derivandam, quod Mordachaeo, qui se *Judaeum* jam nonnullis declaraverat, tantopere faveret. Addi forte potest, Hamanis artibus adscribendum esse, quod Esther per totum Mensem fuerit a Rege neglecta, uti c. IV: 11. traditur. Esther itaque his permota rationibus, et animata, aditum ad regem, licet non requisita, adeoque cum periculo vitae, promisit, et, praemisso populi jejunio, ac supplicatione opis divinae, suscepit, felice cum successu, qui de singulari Dei directione quoque testatur; quippe cui tribuendum censuerim, quod statim ac se coram rege, ab eo non requisita, stiterit, gratiam ejus sibi conciliaverit, eo etiam gradu, quod regem sibi plane ad omnem petitionem consequendam devinxerit; non obstante, quod petitionem non mox, sed altero demum convivio, a se instructo, regi significaverit, denique, quod singulari casu Mordachaeus paulo ante fuerit a Rege, per ipsum Hamanem, summo honore publice adfectus. Quae omnia, nisi talis directio divina admittatur, vix explicari possunt, et pro veritate haberi historica, sed, ea posita, faciles nanciscuntur explicatus. Nec ea hypothesis longe quaesita aut paradoxa est, cum jejunia et supplicationes Estheris, Mordachaei, ac totius populi Judaei, praecesserint, et auxilium Dei in hostibus superandis quoque conspicuum fuerit, ac ab Esthere et Mordachaeo, in festo in ejus memoriam instituto, agnitum.

§. CCCLXXVIII. Singularia, quae in hac catastrophe sese offerunt, ut ea paucis, una cum mediis humanis adhibitis, recenseam et illustrem, fuerunt in primis sequentia. 1. *Primum* est, quod Esther, diu a rege neglecta, sese habitu regio (scilicet et vestis, et coronae, cujus mentio est c. II: 17. respectu. Quod c. V: 1. *induere regnum* singulari exprimitur

exprimitur phraſi, pro ſibi inſignia regni adplicare) ad portam regii cubiculi, ubi jam throno inſidebat, ad audientiam illis, quos admittere volebat, praebendam, ſeſe ſponte, et non a Rege rogata, aut audientia petita, oſtentaverit regi, et ſumma cum gratia, porrecto ſceptro, Majeſtatis inſigni, et favoris ſingularis indicio, fuerit admiſſa: adeo etiam ut qualemcunque ejus petitionem, quam grandem etiam, uſque ad *dimidium regni*, rex ei promiſerit inplendam: uti cap. V. narratur. 2. *Secundum* eſt, quod petierit et inpetraverit, ut rex cum Hamane ad convivium ſuum accederet, ſibique tunc liceret petitionem exponere, praeterea primo die id non fecerit, ſed ſequentem definiverit, bona cum regis gratia: ib. 4.— Ratio, quare Eſther in ſecreto, et non publico, loco petitionem declarare voluit, et quidem tempore convivii, a ſe parati, rege et Hamane tantum praeſentibus, inde videtur petenda, quod, et regis adfectum erga ſe ante tentare, nec Hamanis animum a ſe abalienare, praeterea Hamani tempus et occaſionem ſeſe muniendi, ac Eſtheris conſilium eludendi, eripere voluerit. Quod vero non mox primo die epuli, ſed ſequente, id fecerit, inde forte derivandum eſt, quod *occaſionem* Mordachaeum Regi commendandi, et Hamanem proſtituendi, quaeſiverit, antequam poſtulatum ſuum auſa fuerit exprimere. Colluſiſſe mihi videtur Eſther cum eunuchis ſuis, et regis cubiculariis, eoſque in partes ſuas traxiſſe; habuit utique eos ſibi faventes; uti ex c. IV: 5. et VII: 9. conjicere licet, adeoque iis in mandatis dediſſe, ut nocte, qua, rege vigilante, annales regni ſolebant praelegi, pericopam eligerent, quae de conſpiratione eunuchorum in regem, a Mordachaeo detecta, agit; ut regi ſummum illud beneficium Mordachaei in memoriam revocaretur: ſicut per Dei directionem ea ipſa nocte contigit cap. VI. Num in priore convivio animum ſuum, clam Hamane, quoque explicuerit Regi, eumque jam tunc in Hamanem concitaverit, ut cum Eſthere totam illam ſcenam, quae ſecuta eſt, ſubor-

… venit, dicere non ha-
… introducatur ejus rei
… alterum exspecta-
… Annalium regni

… ea ipsa nocte rex
…, uti moris erat,
…, et eo ipso mane
… voluerit, idque per
… aulae praesens ade-
… regis, patibulo, eum
… cap. VI. Circumductus
…, indutus vestem, non
… quidem Rex gerere sole-
… in capite habente (coronam
…, sed equi fuisse inpositam,
… exigere videtur) et proclamatum
… regem. Quo facto
… regis, tanquam primarius ejus
… ac moerore obrutus in domum
… conjugi ac amicis narravit; a quibus
… Mordechaeum non praevaliturum,
… ipsi succumbere debuerit, v. 13.
…: *si e semine Judaeorum est*
…, ut ipse professus est, c. III: 4. et ex
…, quo eum adorare noluit, pro-
… *quo cadere coepisti* (seu, qui tibi
… et tanquam prorex a te ipso per ur-
…, circumductus est, manifesto uti-
… tuum apud Regem successurum,)
… nec ipsum, quod decrevisti, pro-
… obtinebis, aut effectui dabis, quod con-
… Judaeos, moliris, imo non solum
… *cades coram ipso.* (penitus pro-
… ita dirigente) Sinistrum hoc augu-
rium

rium sapientes consiliarii ejus, non sine ratione, in eo fundarunt, quod *Judaeus* sit Mordachaeus, 1. quia fieri non poterat, quin ipse, ad supremam evectus dignitatem in regno, infensissimum suum, et populi sui, adversarium sit omnibus oppugnaturus viribus, et prava ejus molimina facturus irrita: quod aeque facile poterit, ac quod Haman, regis favore gavisus, fecit. 2. Singularis iste casus elevationis Mordachaei, et gloriosae circumvectionis per ipsum Hamanem, qui moliminis ejus exsecutionem interceperat, eo ipso quoque tempore factus, quo Mordachaeum suspendere, et Judaeos perdere, constituerat Haman, prudentibus rerum aestimatoribus eam facile injicere poterat cogitationem, ingentem rerum ante fores esse mutationem. Addere 3. liceat, consiliarios forte de Estheris relatione ad Mordachaeum, et ejus populum, aliquid rescivisse; non obstante, quod Esther aliquandiu genus suum occultaverit: de quo aliquid modo monui.

§. CCCLXXX. Quibus ex voto feliciter peractis, difficile non fuit Estherae Hamanem perdere, et ejus moliminibus obicem ponere: sicut eventus mox docuit. Esther, altero die inter epulandum, regi, jam plane in favorem suum inclinato, non sine commoto adfectu, declaravit, se nihil aliud, quam suam et populi perniciem deprecari, cum non ad servitutem, quam tulisset, sed ad exterminium populus secum esset venditus, in summum quoque, et contumeliosum, regis et regni damnum, c. VII: 3, 4. cujus pericopae ultimum membrum cum initio v. 4*ti*, non cum proxime praecedente, construendum, et ita vertendum ac intelligendum est, *quia coarctator*, vel *stringens angustia* (vox enim הצר utrumque admittit sensum, nec multum interest, licet *coarctatoris* videatur praeferendus, cum Haman mox eo insigniatur titulo) *non aequatur damno ignominioso ac petulanti regis:* vox נזק graviorem proprie continet injuriam, cum insultatione conjunctam, adeoque ignominiam et damnum regis inde oriturum, quod tam copiosus populus per totum

 regnum,

regnum, simul omni parte innocens, deleretur. Quo audito rex, cum, Hamanem ejus sceleris autorem esse, intellexisset, ira tumens, e triclinio in hortum discessit, Haman ad genua Estheris in lecto provolutus est, ut veniam inploraret; rex eo in statu eum deprehendens, ac pro violatore pudicitiae reginae habens, adeoque Majestatis reo, (reginam quippe vel propius adire capitale erat apud Persas) mox ad supplicium mortis condemnavit, et eodem suspendio, quod Mordachaeo, referente eunucho aliquo, qui aderat, paraverat, e vivis auferri jussit, sicut mox factum est. Quae regis irati praecipitantia, rege quidem indigna, sed Judaeis salutaris fuit, cum caeteroquin, si dilata fuisset sententia, regis animus, facile mutabilis, in favorem flecti potuisset, maxime cum Haman tam numerosa sobole, tantaque amicorum turma, esset stipatus, etiam in aula, qui Mordachaei dignitatem lividis adspiciebant oculis, essent.

§. CCCLXXXI. Hocce tam acerrimo hoste e medio sublato, et rege penitus Estherae devoto, facile intelligitur, cuncta ab ea dependisse, eique ex voto succedere debuisse; sed cum edictum regis de Judaeis delendis revocari non posset, pro more Persarum, nihil supererat, quam ut alio modo saluti Judaeorum consuleretur. Novum itaque edictum a Mordachaeo, cui, Estheris ope, summa potestas et dignitas, praeter insignia regia, cum annulo regis, quem, Hamani detractum, Rex dedit Mordachaeo, (hic enim sensus est verborum c. VII: 2. quae verti debent: *amovit rex annulum suum, quem a se recedere fecerat*, scilicet Hamani dando, *ab Hamane* etc.) erat concessa, pro lubitu formatum, ac annulo regis signatum, fuit mense *tertio*, per omnes provincias, aeque ac prius ab Hamane, missum, quo Judaeis plena fuit data potestas hostibus suis resistendi, seseque vindicandi; non itaque quosvis obvios necandi et spoliandi, sed eos tantum, qui Judaeos invadebant, vi prioris edicti, uti ex cap. VIII: 11. manifestum est: nec aliter instituerunt Judaei; ubique enim additur, eos vim vi repulisse,

nec

nec alios per provincias ab iis occisos esse, quam qui ipsos hostiliter invaserunt, uti ex gr. c. IX: 1, 2, 16. Cum itaque c. IX: 2. habetur nemo עמד בפניהם, illud cum Lat. Interprete non est vertendum, ausus *fuit ipsis resistere*, ut ex dictis patet, sed nemo *substitit*, seu *firmiter stetit*, in oppugnandis Judaeis, adeo ut omnes eorum hostes succubuerint, et superati fuerint, qui eos hostiliter, edicto Hamanis muniti, invaserunt. Quo sensu phrasis sumitur Jos. X: 8. XXI: 43. XXIII: 9. et alibi.

§. CCCLXXXII. Fuit itaque bellum illud in regno Persarum, per omnes provincias, intestinum, ex oppositis edictis, per infelicem istius regni conditionem, ortum, vero suo conspectu, ut ejus aliquam dem notitiam, ne quis perversum, et Judaeis nimis injuriosum, ferat de eo judicium, 1. a parte Judaeorum defensivum, sed ab altera offensivum; adeoque a Judaeis juste susceptum; nec contra alios, quam qui eorum neci imminebant, aut bonis inhiabant: nec tam cum Persis, quam peregrinis, et, ut videtur, antiquis Judaeorum hostibus, per provincias regni Persici sparsis, ex gr. Amalekitis, Arabibus Scenitis et latrocinalibus, Idumaeis, Moabitis, Ammonitis, aliisque similibus. Praefecti utique provinciarum, satrapae, duces, et principes Persarum, tantum abest, ut illis nocuerint, ut iis opem tulerint, uti c. IX: 3. traditur, majestatem tremendam Mordachaei reveriti. Quo etiam sensu capiendum censuerim, quod c. VIII: 17. *multi* e populis terrae dicantur מתיהדים *Judaizantes*, non quod religionem eorum adoptaverint, sicut passim putatur, et Jos. Antiq. l. XI. c. 6. circa finem etiam tradit, licet tales forte quoque inter eos aliqui fuerint, sed Judaeis tantum faverint, seseque iis, vel vere, vel ficte, quod a conjug. Hitph. non abhorret, submiserint: cui interpretationi robur addit, quod verbum nimis generale sit, quam ut ad religionem restringi possit, praeterea c. IX: 3. eos *sustulisse* et adjuvisse tantum dicantur, denique reverentiae et metui Judaeorum id acceptum feratur.

§. CCCLXXXIII. 2. Bellum illud Judaeis prospere cessisse, ex dictis facile praesumitur, cum multi, in primis magnates, ipsis ubique opem tulerint, reverentia Mordachaei omnium animos occupaverit, et ex posteriore edicto omnes, quid regi sit acceptius, clare perspexerint. De quo historia etiam testatur. Clade, quam Judaei passi sunt, silentio involuta, quia forte non adeo magna fuit, hostium caedes memoratur longe maxima. Susis enim in ipsa urbe regia, primo *quingenti* leguntur caesi, sed *septuaginta quinque millia* in regni provinciis c. IX: 6, 15, 16. nisi in numeros aliquod mendum irrepserit, quod facile fit, et hic variet lectio: versio enim Gr. tantum postremo versu 16 *quindecim* habet *millia*. 3. Denique bellum, ut ex caesorum multitudine patet, fuit quidem cruentum, sed a parte Judaeorum a rapiendi, et se ditandi, aviditate alienum: additur enim ubique eos a spoliis abstinuisse, licet per edictum fuerit ipsis concessum. Nescio etiam, num non nimis saevierint Judaei, et vindictae cupiditati quoque litaverint, suspensio utique 10 filiorum Hamanis Estherae libidini accepta non tantum ferenda est, sed et *trecentorum* adhuc civium ipsius urbis regiae caedes c. IX: 13, 14.

§. CCCLXXXIV. Mirabilis haec catastrophe, sicut nunc festum, summa laetitia peragendum, peperit, ita Estheris, tanquam reginae, et Mordachaei, vicarii regis, jussu, ac instituto, illud in perpetuum, per omnia tempora celebrandum, produxit; non tam quod Judaei, in Cananaea degentes, obligati fuerint ad illud, tanquam festum religiosum, per solam Estheris et Mordachaei autoritatem faciendum, summa enim rerum erat ibi penes Pontificem, non obstante dependentia eorum a Regibus Persarum, quam quod sponte sua in illud, tanquam genti gloriosum, et utile, consenserint: licet ejus rei nulla fuerit mentio facta. Aliud fuisset, si ipse rex per publicum illud jussisset edictum; quod factum non legitur, sed Estheris ac Mordachaei tantum nomine illud Judaeis fuit praescriptum, non regis annulo signatum.

Cete-

Ceterum, festum illud *Purim*, uti a sorte, ab Hamane in perniciem Judaeorum adhibita, adpellatur, voce Persica, celebratum tunc fuit *duobus* diebus, 14*to* et 15*to* mens. 12 Adar, quia per provincias bellum fuit uno die 13*tio* finitum, ita ut 14*to* laetitiae indulserint, sed Susis 14*to* adhuc viguit vindicta Estheris in urbis cives: ut modo vidimus; quare die 15*to* demum laeti ibi coeperunt agere, uti c. IX: 17— traditur. Sensus enim est, omnia, v. 16. narrata, fuisse peracta die 13*tio* mensis, ita ut *quieverint*, et laete egerint die 14*to*, scilicet in provinciis, opposite ad Susanos, qui die 14*to* adhuc nonnullos Susis trucidarunt, et 15*to* demum laetitiae indulserunt. Prius v. 17*mi* membrum est cum v. 16 connectendum. Plura de hoc festo, et modo celebrationis ejus, nihil adtinet hic in medium adduxisse.

§. CCCLXXXV. Eo jam in hujus intervalli historia pervenimus, ut historiam sacram cum exotica conferamus, illamque ex hac illustremus. Quo pertinet, ut Reges Persarum, quorum mentio in libr. Ezrae, Nehem. et Estheris fit, in lucem protrahamus. Occurrunt autem sequentes, Darius, sub quo Templum est aedificatum, et Artaxerxes, sub quo Hierosolyma est munita ac instaurata, dein Artachsasta, qui opus Templi inpedivit Ezr. IV: 7. Ahasuerus, qui Judaeos in principio in augustias redegit Ezr. IV: 6. et sub quo casus, primo tristis, dein laetus, modo descriptus, contigit, in lib. Esther. De Dario et Artaxerxe duae vigent sententiae, quarum altera habet, eos fuisse Hystaspis, et Longimanum, altera Darium Nothum et Artaxerx. Mnemon. Prior nobis omnino videtur verior, ob has rationes, quas jam, post alios, inprimis Petavium et J. Vorstium, produxit et ursit C. Vitringa Proleg. ad Zachar. quare paucis absolvam. Praeterquam quod ab omni abhorreat probabili, Judaeos reduces per ann. 120, quot a Cyro ad Darium Nothum fluxerunt, caruisse Templo, sede religionis legalis, 1. Longaevitas nimia foret tribuenda Zerubbabeli et Josuae, enormis plane senioribus, qui prius Templum ocu-

lis usurpaverunt: *priores* enim, jam justae aetatis, cum populum ex exilio deduxerunt, et vegetae adhuc, cum Templum consummatum est, ut ex Hag. II. et Zach. III: et IV. colligere licet, annos jam habuissent, si Darius secundus intelligatur, 147, et *posteriores*, qui tempore prioris Templi jam adultioris aetatis fuerint necesse est, cum illud viderint in splendore suo, Ezr. I. et Hagg. II, jam adtigissent ann. 190. ut ex chronologia, supra tradita, in oculos incurrit. Quod argumentum, a longaevitate petitum, ne in nostram sententiam cum specie retorqueatur, ut fit, ex aetate Nehemiae, nimia quoque, si nostra hypothesis obtineat, quia in libro ejus cap. XII. genealogia Pontificum contexitur usque ad *Jaddum*, qui in tempus Alex. M. incidit, notari velim, quod supra, suo loco, jam memoravi, et demonstravi, pericopam illam non esse a Nehemia profectam, sed ab alio autore ejus libro insertam: quod J. Vossius Chron. S. c. X. quoque jam dudum observavit.

§. CCCLXXXVI. 2. Anni 70 Zach. I et VII. tanquam eo tempore inpleti, adeoque non exilii Babyl., dudum finiti, sed Templi, adhuc desolati, de quo supra quoque egi, in nostram recte, sed adversam nullo modo, quadrant. Anni enim a destructo Templo ad *secundum* Darii Hystaspis fluxerunt praecise 70; sed ad Darium Nothum 169, ut chronologia Persica docet. Denique 3. sex Pontifices fuerunt, Neh. XII. a *primo* Cyri ad Alex. M., inter quos anni istius intervalli sunt dividendi, Eliasib, ordine *tertius*, fuit tempore prioris adventus Nehemiae, ann. 20*mo* Artaxerxis, et deinceps, imo posteriore etiam adhuc c. XIII: 4, 8. Admissa sententia de Artaxerxe Mnemone, *tribus* primis Pontificibus dandi sunt anni 166, et tribus posterioribus tantum anni 43. Quae partitio, ut in oculos incurrit, nimis est inaequalis, nec ferenda, minus in legitima successione Patris et filii, sed ex nostra hypothesi recte sese habet, ab initio enim Cyri ad Artax. Longim. 32*dum* sunt ann. 105, qui tribus prioribus dandi sunt: et toti-
dem

dem fere posterioribus; quae longe concinnior est distributio.

§. CCCLXXXVII. Sed qui tunc erunt Artachſaſta, et Ahaſuerus, Ezr. IV. ante Darium memorati, qui Templi aedificationem inpediverunt? Adverſa ſententia facile Xerxen et Artax. Longim. profert, noſtra videtur eos monſtrare non poſſe. Sed in *Artachſaſta* v. 7. plane non haereo, cum, quod jam occupatum eſt, eſſe poſſit *Tanoaxares*, qui, abſente Cambyſe, regnum gubernavit, quo nomine dictus fuit ſecundus filius Cyri, frater Cambyſis, dein, eo occiſo, Magus, ejus perſonam mentitus: nec multum differunt nomina; ſicut enim *tanam*, ita *artas* denotat, teſte etiam Heſ. in Lex., *magnum* et *illuſtrem;* nec *axares* et *Xerxes* multum differunt, ut facile patet. Forte *Ahaſuerus* majorem adfert difficultatem, quod utique faceret, ſi ante Darium locum teneret, alius enim eſſe nequit ac Xerxes, ſi vel nominum tantum ratio habeatur: אחשורוש κυαξαρης, et Ξερξης eadem ſunt nomina, et ἀρήιον *martium bellatorem*, ut tradit Herodot. c. VI., denotant. Vid. etiam Hyde relig. Vet. Perſ. c. 2. et Reland. ling. Perſ. Eundem quoque eſſe maritum Eſtheris, mox probabile faciam. Unde ſimul patet, ab eo non abhorrere, quod de ipſo traditur, loco cit. In *principio* enim regni Xerxis, ſeu Ahaſueri Eſtheris, adverſarii Judaeorum hoſtile ſcriptum contra eos publicare potuerunt, ut Regem in Hieroſolymitanos exacerbarent, ſicut poſtea in omnes Judaeos, nec aliud hic memoratur. Quod vero illud Artaxerxis, ſive Tanoaxaris, infeſtationi praemittatur, illud vel per anticipationem, ſatis uſitatam, facile exponitur. Occaſione mentionis adverſariorum operis Templi uſque ad Darium, inſerit autor alium Judaeorum hoſtem, nulla Templi aedificationis inhibitae facta mentione, ſed ſcripti tantum hoſtilis: praemiſit vero illud Artaxerxis molimini, licet ſecutum ſit, quia de Artaxerxe hic tantum agere, et plura narrare voluit: qualia non deficiunt exempla alia. Praeterea, ſecundum ſeriem

narrationis, connecti debet verſ. iſte versus cum praecedente, adeoque capi de hoſtili inpetu, qui poſt Darium Hyſtaſp. contigit: adeoque ſub Xerxe. Quo obiter memorato, Hiſtoricus enarrat, quid reſpectu Templi acciderit ante Darium. Forte quoque verſ. iſte fuit primum in margine poſitus a ſcriba, librum hunc recenſente, ut indicaret, adverſariis Judaeorum quoque accenſendum eſſe Ahaſuerum, licet in Templum nihil fuerit molitus.

§. CCCLXXXVIII. Pergo itaque ad eum e libro Eſtheris monſtrandum; adeoque ad controverſiam de Ahaſuero, marito Eſtheris, quae Doctos vehementer diviſit. Ne Marſhamum et Vignolium memorem, quorum *ille* Cyaxarem Aſtyagis, non Medici, ſed Medo-Perſici, filium cenſet eſſe Ahaſuerum, quod regnum totum eſt fictum, ut C. Vitringa in Obſ. Sacris jam demonſtravit, *hic* vero Cyaxarem Medum, patrem Aſtyagis, repugnante metropoli regni Ahaſueri *Suſa*, cum Ecbatana fuerit Medici regni ſedes, et *Suſa* tempore Danielis Babyloniis adhuc ſubjecta Dan. VIII, nec non amplitudine ejus, ab India ad AEthyopiam, ne alia proferam, Viri Docti, qui inter reges Perſiae quaerunt Ahaſuerum, alii Darium Hyſtaſpis, ut Uſſerius, alii Xerxen, ut Scaliger, alii Artaxerxen Longimanum, ut, poſt Joſeph., Petavius, alii Ochum, ut Cappellus, et Simſon, pro Ahaſuero habent. De qua quaeſtione, ut rectius judicetur, characteres regis et regni ex libro Eſther. ante ſunt eruendi, et pro norma judicii ponendi. Ad regis indolem et ſtatum pertinet, eum hic repraeſentari valde varium, ſaevum et inprudentem, ſimul duas, unam poſt alteram, habentem uxores. Ad regnum ſpectat, quod ad minimum 12 ann. duraverit c. III: 7. metropolis fuerit Suſa, ſeſe longe lateque porrexerit, ab India ad AEthyopiam, et inſulas maris Mediterranei, tributum inpoſuerit populis, mores et leges Perſarum ac Medorum in eo viguerint, Judaei primum in ſummis ibi fuerint anguſtiis, dein vindicati et potentes facti. Ad hos, et alios, adtendenti characteres, cuivis ex

lectione

lectione libri obvios, nulla probabilior ea Scaligeri videtur sententia, quam propterea praetulerim, eo etiam magis, quod Ezr. IV. in principio regni ejus legantur quoque infestati, et Judaei sub Xerxis successore, Artaxerxe Longim., in florente fuerint gratia regis, ut ex Ezrae et Nehemiae historia patet. Quod ex hac catastrophe Judaeorum per Estherem faciles nanciscitur explicatus. Nomina utique recte conveniunt, ut supra jam notavi; nec uxorum nomina abhorrent, Xerxis enim *Amestris* appellatur apud Herodot, q. d. matrem *Estherem*, nec quod reginae ibid. inputatur, eam bis septem illustres Persas defodi curasse in honorem Dei, quem sub inferis colebat, ab Esthere adeo alienum est, cum Hamanem, ejusque 10 filios, ac 300 Susae cives neci dederit, et Deo, Gentibus ignoto, quasi devoverit: denique splendidum ac sumtuosum Xerxis convivium, in historia etiam memoratum, ann. 2*do* vel 3*tio* regni, ne memorem, Xerxes est, qui tributum in specie *insulis* maris inposuit. De quo legi meretur Lessaschierus in opusculis part. II. Praeiverat Xerxi, in tributo nationibus subjectis inponendo, Darius Hystasp., pater ejus, inde κάπηλος *caupo* vel institor dictus, secundum Herod. l. III. Vid. et Poliaen. Stratag. l. VII. sed *insulis* maris illud injunxit Xerxes, Strab. l. XV.

§. CCCLXXXIX. Sed duo maxime sunt, quae huic sententiae obstare videntur, verbo tollenda. Quod enim Ahasuerus ante Cambysen ponatur Ezr. IV. illud jam supra occupavi: quodque Amestrin Herodotus tradat filiam fuisse Othanis, satrapae et ducis Persarum, minoris faciendum est, cum iste error facile ab eo committi potuerit, quia Esther genus suum occultavit, et ea cum priore Xerxis uxore confundi potuit. Unum eorum, quae obstare dixi, est, quod cum bello Xerxis cum Graecis vix consistere queant ea, quae in lib. Estheris memorantur: sed ei occurritur, observando, in principio regni convivium fuisse celebratum, ac uxorum factam mutationem; fatum vero Judaeorum in-

 cepisse

cepisse ann. 12*mo* regni. Intermedium tempus expeditioni, in Graecos peragendae, sufficit, incepit enim anno ejus 6*to*, vel, quod Abramus et Jungman. volunt, 7*mo*, et biennio fere finita est. Altera difficultas ex nimia Mordachaei aetate, si tempore Xerxis vixerit, nata, eo nititur sublesto fundamento, quod cum Jechonia censeatur in exilium a Nebucadnezare abductus, Esth. II: 6. Potest enim aeque facile de majoribus ejus intelligi, ac de Ipso; ita ut sensus sit, non ipsum tunc esse deportatum, sed ad eam pertinere captivitatem, seu turmam, quae tempore Jechoniae est abducta; adeoque eum tunc in parentibus vel majoribus fuisse Babelem translatum: ne dicam, referri posse relativum אשר *qui* abductus est, ad proxime praecedentem Kisch Jemanitam, unum e majoribus ejus: sicut 1 Chron. IX: 16. et alibi fit.

§. CCCXC. Tractatione intervalli absoluta, antequam ad sequens et ultimum transeam, a scopo non erit alienum, illustris oraculi, ad Danielem hoc intervallo per Angelum delati c. IX: 24. quo *tempus* Messiae manifestandi, quod hic adsumere licet, definitur, demonstrasse, et illustrasse epocham, posteaquam generalem ejus intellectum paucis dedero. Cum dictum fuisset, 70 septimanis expletis, luculenta in populum Dei conferenda esse bona spiritualia et euangelica, per Messiam adferenda, v. 24. quod sine demonstratione ac explicatione, quippe non hujus loci, quoque supponere fas est; septimanae illae, respectu terminorum *a quo* et *ad quem*, et rerum repraesentandarum, distinctius, et per partes, exponuntur. 1. Terminus *a quo* ponitur in publicatione edicti de reaedificanda Hierosolyma, ac instauranda. 2. Dein septimanae in duo dispescuntur intervalla, 69 hebdomadum, et *unius*, quae 70*ma* est; et quid in illis, et post, accidet, traditur. *α*. Septimanae 69 rursus in duas partes, unam 7, alteram 62 hebdomadum, dividuntur, et *a*. traditur spatio 7 illarum reaedificandas esse plateas ac fossas Hierosolymae, adeoque urbem aedificiis ornandam,

dam, muro cingendam, et civitatem ordinandam esse, sed in *angustia* temporum, adeoque inter varia pericula, et incommoda alia, durante adhuc multiplice pressura et adflictione. De cujus inplemento ex supra dictis constat. Voces enim 7 *hebdomadibus*, vel ex praecedente sunt repetendae, vel censeri debent loco motae, ac huic pericopae, de instauranda Hierosolyma, praemittendae, ita ut sermo hac ratione decurrat: *Ab exitu verbi de reaedificanda Hierosolyma septimanae septem, quibus reaedificabitur platea et fossa, sed in angustia temporum, et septimanae sexaginta duae usque ad Messiam antecessorem* etc. *b.* additur, post illas 62 septimanas, scilicet, quae post 7 modo memoratas fluerent, Messiam esse *exscindendum, absque ut aliqua sit in eo iniquitas* (id enim denotat ואין לו pro אין אין לו *nulla ipsi iniquitas*, uti Jes. LIII: 9.) et quidem ab ipsa *civitate sancta*, seu ejus primoribus et incolis; uti ex seq. patet, ubi mox traditur, eam propterea esse funditus delendam a *populo*, scilicet, uti alibi vox עם populus quoque sumitur, militari, *ducis*, sive ipsius Messiae, necem suam per exercitum illum vindicantis, quippe qui modo Messias נגיד *antecessor* adpellatus erat, sive inperatoris extranei, *qui venit*, nimirum hostiliter: sequitur invasionis eventus *et finis*, ejus *plenissima inundatio* (instar torrentis, rapidissime fluentis, ac inundantis, ita ut sulcos post se relinquat: quae propria est verbi שטף potestas,) *nam ad finem usque erit bellum: decreta est* vastitas plenissima.

§. CCCXCI. *β.* Quae cum ad ultimam septimanam, post 69 hebdomadas, ut modo dictum erat, pertineant, ejus mox adcuratior datur notitia vers. 27. ubi praedicitur 1. tota illa hebdomade, vel spatio 7 annorum, *pactum*, eximie sic dictum, novum itaque illud, non legale, sed gratiae, esse praevaliturum, solide roborandum per Messiam ducem, partim ipsum, doctrina et morte ejus, partim medio legatorum et Apostolorum ejus, 2. *medio* hebdomadis abolendum esse cultum religiosum *sacrificiorum* et *munerum* per

ipsum illum ducem, qui morte sua illud efficiet, uti Paulus docet, Col. II: 14, 15. loco notabili. 3. Denique, post illud tempus plenarium urbi sanctae, et oeconomiae legali, inferendam esse desolationem per *alam*, seu exercitum, *abominationum*, scilicet Romanorum, his verbis, *et* (deinceps,) *adscendet* (על enim verbum est pro עלה, et hostilem invasionem, instar fluminis supra ripas intumescentis, denotat) *ala abominationum vastans* (exercitus Romanorum, in signis militaribus *abominabile* idololatricum praeferens) *idque usque ad perfectam desolationem: nam definita* (scilicet sententia judicialis decretoria et irrevocabilis, uti חרוץ sumitur Jes. X: 23. XXVIII: 22. Job. XIV: 5.) *destillabit*, (seu guttatim effundetur, per varios gradus) *super stupentem* (proprie *sideratum*, tanquam urente ac pestifero adflatu, inde obstupefactum, ac in mentis adtonitae horrorem defixum, populum urbis sanctae, v. 26.)

§. CCCXCII. Secundum hanc explicationem, cum Messias dux sit Dominus noster Jesus Christus, qui in fine 69nae septimanae in medio populi comparuit, 30 annos natus, et medio 70mae occisus est, adeoque triennio post, inquirendum est, num chronologiae illud conveniat. Quo fini terminus *a quo* recte figendus, et, quantum spatium contineant 70 septimanae, definiendum est. Sententia vulgata habet, septimanas annorum intelligi, et quidem solarium, non lunarium, adeoque 70 septimanas efficere annos 490: terminum a quo esse 20*mum* Artax. Longimani, non 7*mum*, uti nonnullis placet, quia edictum de urbe aedificanda et instauranda, ejusque effectum, non tempori adventus Ezrae, ann. 7*mo* Regis, sed unice Nehemiae, ann. 20*mo* ejus, convenit: uti ab aliis jam comprobatum est. Secundum hanc hypothesin itaque oportet fluxerint 490 anni usque ad triennium post mortem Jesu Christi, adeoque 483 usque ad manifestationem ejus tanquam Messiae, seu antecessoris, anno ejus 30*mo*. Sed hic sese haud levis offert difficultas, ex comparatione cum historia exotica. Ann. enim 20*mus* Artax.

Artax. Longim. haberi ſolet pro anno Per. Jul. 4269. et annus Chriſti 30*mus* pro ejuſdem Per. Jul. 4742; inter quos terminos anni tantum ſunt 473 vel 474, cum 483 eſſe debeant. Deficiunt itaque 9 anni; ad quos inveniendos varia incedunt via viri Docti. Sunt, ut unam alteramve hypotheſin proferam, qui Artaxerxen volunt cum Patre regnaſſe 10 annos; Nehemiae autem in libro annos ejus ſupputari ab epocha regni ejus cum Patre, qui ergo catalogo annorum 490 ſunt addendi. Sed haec ſententia, quam tenuerunt Petavius, Vorſtius et alii, jam diſcuſſa eſt a Pererio ad Dan., et refutata ab Ez. Spanhemio ad Julian., Huetio Dem. Eu., et Prideaux; nec ſe tueri poteſt, cum fundamento careat illa adſociatio, nec Nehem. inde cenſeri poteſt, ſi vel obtinuiſſet, annos numeraſſe. Aliis placet, Xerxen 10 ann. minus, et Artaxerxen totidem diutius regnaſſe, quam vulgo iis tribui ſolet. Themiſtocles enim venit in Perſiam, regnante jam Artaxerxe, anno, ut putatur, 1*mo* Ol. LXXVII. Per. Jul. 4242; ſed mors Artax. Longimani adnexa eſt, ſecundum Thucyd., ann. 7*mo* belli Peloponneſ., qui eſt 4*tus* Ol. LXXXVIII. Per. Jul. 4289. Unde colligitur, Artaxerxi 50, et Xerxi tantum 13, competere annos. Vid. C. Vitringa Obſ. ſ. l. VI. poſt Uſſerium in Ann. Sed nec haec opinio difficultate caret, cum Canon Ptolem. Xerxi det 21 ann., et reliqui Hiſt. conſentiant. Potuit itaque Themiſtocles paulo ſerius veniſſe in Perſiam, quam tradit Thucyd. Alii denique ann. 490, ſolares quidem, ſed dierum tantum 360, intelligunt, qui antiquis temporibus, ut ex hiſtoria Diluvii ſuo loco demonſtravi, in uſu fuerunt, et apud Prophetas, ac in Apoc. adhiberi ſolent, Vid. Heuniſchius in Clav. Apocal. Quo admiſſo, intervallum non erit ann. 490 ſolarium vulgatorum, ſed fere 483. Quae forte opinio videtur probabilior, ſed ego nihil definiverim, nec tam paucorum annorum defectus tanti eſt faciendus; cum facile hic illic aliquis error in temporum ſupputatione committi poſſit.

TERTIUM INTERVALLUM
AB
ALEXANDRO M.
AD
JUDAM MACCABAEUM
ANN. 163.

§. CCCXCIII. IN historia *tertii* intervalli, ab Alexandro M. ad Judam Maccabaeum, pro more, praemittam notitiam summariam regni Alexandri M., et regnorum inde ortorum, post mortem ejus, in primis Lagidarum in AEgypto, et Seleucidarum in Syria, seu Syro-Macedonum; quia eorum ad populum Judaeorum fuit major relatio. Alexander, a rebus gestis *Magnus* adpellatus, novae Monarchiae, sic dictae, in Oriente, ordine *quartae*, conditor, Jovis Olympii, re cum Olympia matre sub specie draconis habita, fictus, sed Philippi, 15*ti* regis Macedoniae, sub quo regnum illud caput erexit, verus filius, ex Olympia natus ann. 1*mo* Olymp. CVI. ipso illo die, quo Templum Dianae Ephesinae conflagravit, Patri, a conspiratoribus occiso, successit Olymp. CXI., statu regni Macedoniae turbido, ac periculoso, Atheniensibus cum Attalo in Asia in illud conspirantibus, ac Barbaris nationibus ab eo deficientibus. Statim ac regnum capessivisset, parricidis Patris punitis, motus in Graecia sedavit;

davit, barbaros populos usque ad Istrum compescuit et subjugavit, denique Thebanos, iterum rebellantes, vel prae metu Persis faventes, severe punivit, summa usus crudelitate Diod. Sic. l. XVIII. ac Arrian. Exp. Alex. l. I. Quibus ann. 1*mo* regni praeclare peractis, Dux a Graecis jam creatus est, ad Persis bellum inferendum, praetextu injuriae, ab ipsis acceptae per Darium, et Xerxen, vindicandae, de quo exposui Diss. III*tia* ad Dan. sed re vera ad eos domandos, ac regnum Graecorum longe lateque amplificandum, ut eventus docuit.

§. CCCXCIV. Hac dignitate et potestate summa ornatus, mox, nulla facta mora, aemulis regni trucidatis, et patrimonio distributo, movit contra Persas, et Asiam intravit cum exercitu exiguo, sed selecto, 35000 peditum, et 5000 equitum, ann. 2*do* regni, fuditque in Mysia, ad Granicum fluvium, longe maximum Persarum exercitum sub strenuo duce Memnone, omnemque oram maritimam ad Ciliciam usque occupavit, deinde, ann. Imperii 3*tio*, gravi morbo superato, ipsum Darium Codomannum, ad Issum fluvium, in angustiis Ciliciae, quae Persas inpediverunt copias explicare, ex 600 millibus constantes. Praestitit hic sese erga uxorem, et familiam, Darii castum et benevolum: epitaphium mortuis erectum exhibuit Cyrill. Alex. ad Zach. VI. Mox ann. 4*to* Syriam victor petiit, Sidonem occupavit, et Tyrum insularem, aditum ad sacra Herculi facienda ipsi negantem, vi expugnavit, simul caedibus replevit; *exceptis, qui in Templa confugerant, omnes interfici, ignemque tectis injici* jussit: si fides sit habenda Curtio l. IV. qui addit, *duo millia, in quibus occidendis defecerat rabies, crucibus adfixos, per ingens littoris spatium pependisse.* Tradit etiam Diod. Sic. l. XVII. *omnes juvenes* fuisse *suspendio necatos;* et Arrian. l. II. 30 *millia venundata* fuisse. Quae notanda sunt ad Prophet. Jes. et Ezech., etiam Zach. IX: 4. inplementum demonstrandum. Ezech. vaticinium de Tyro, c. XXVI—XXVIII. utriusque Tyri, insularis et continen-

tis, illius per Alex. M., hujus per Nebucadnez., excidium, una cum ejus consequentibus, vivis depingit coloribus; uti in Comm. ad Ezech. fuse exposui. Cum autem tempore obsidionis Tyri subsidia ipsi miserint Samaritani, sed negaverint Hierosolymitani, *illis* sese faventem praestitit, nec tamen eos adiit, multo minus Templum aedificandi potestatem dedit, quod alibi tradit Jos., est enim illud antiquius, ut postea patebit, sed *his* iratum; adeo ut recta tetenderit Hierosolymam, ad eam puniendam, sed, ira in itinere per Jaddum Pontificem, ei obviam euntem, placata, urbem amice intravit, et Deo ibi supplicavit. De quo casu postea differam uberius. Hinc Gazam petiit, et expugnavit, post duorum mensium obsidionem, incolas vero partim interfecit, partim in servitutem redegit; nova colonia in urbem deducta. Arrian. l. II. Qua ratione impleri coepit prophetia Zach. c. IX: 5. Dein AEgyptum, ann. *5to* regni, adgressus, eam sine vi subegit totam; quando Alexandriam condidit, et Jovis Hammonis oraculum consuluit, ejusque filius haberi voluit. Denique eodem anno in Asiam, trajecto Euphrate, regressus, Darium, majoribus, quam antea, copiis instructum, tertia et ultima vice debellavit, praelio habito decretorio ad Gaugamela in Assyria, etiam ab Arbela, illustriore urbe, denominato. Tandem Arbelam intravit, Darii thesauros spoliavit, inde Babylonem, Susas, et postremo Persepolin, Persarum metropolin: quando Darius fatum invenit, ut in ejus vita narravi, et Regnum Persicum finitum est.

§. CCCXCV. Gessit sese ab eo tempore Monarcham Orientis, et regno longe lateque extendendo incubuit, sed simul vestitum ac mores Persarum induit, ac in eorum fastum, temulentiam, et crudelitatem, degeneravit. Ann. *1mo* Hircaniam subegit, et cum Thalestri, Amazonum regina, tredecim dies consuevisse narratur: ann. *2do* Bactrianos et Sogdianos, inexpugnabili *Petra* Sogdiana etiam occupata. Dedit quoque tunc temeritatis et tyrannidis exemplum in Cliti,

amici

amici ejus, et Callisthenis Philosophi, caede, *illius*, quia Philippum, patrem ejus, et Parmeniones, quos Alex. occiderat, inpensius laudabat, *hujus*, quod ipsum, quia Jovis filius dici volebat, objurgasset. Dein ann. *3tio*, in Indiam movens, Taxilen et Porum, Indorum reges, alterum gloria nominis, alterum armis superavit, sed utrique regnum reddidit, urbesque condidit Niciam et Bucephalam, in honorem equi sui Bucephali, quem in pugna cum Poro perdiderat. Denique ann. *4to* Susas repetiit, inde Ecbatanas, et Cossaeorum gentem insuperabilem subegit; quando ann. *5to* Babylonem tetendit, et ann. *6to* legatos omnium fere gentium excepit, bellumque transferre in Africam, et Europam, in primis Italiam, cogitavit; Babylonem quoque instaurare, ac sedem rursus regni facere, in animo habuit, sed brevi e vita abreptus est, anno aetatis *33tio*, cum, qua Monarcha, regnasset, vel *octo* ann. ut Canon Ptolem. habet, si a praelio ad Issum supputatio fiat, vel, si a Dario subacto et mortuo, ann. 6., ab initio autem regni Macedonici ann. 12 et Mens. 17. Periit autem vel potione medicata, ut tunc et postea multis fuit creditum, vel nimio potu, indeque orta febri; ut Historici, Arrian., Plut. et alii testantur. Quo de quicquid sit, ratum manet, cornu illud excelsum recte dici posse in summo suo vigore *fractum esse*, ut Dan. VIII. habetur.

§. CCCXCVI. Sed in ipso non tantum, verum in domo etiam ejus, intra sedecim a morte ejus annos tota exstirpata, inplementum accepit; ut ad Dan. Diss. III. in fin. observavi: ubi etiam quae de *quarto* regno in viso Nebucadn. c. II. ac Danielis c. VII, l. c. VIII. traduntur, ad Alexandrinum regnum pertinere, et ei exacte convenire, fusius demonstravi, et exposui; quae hic non sunt repetenda. Egi quoque ibi, suis locis, de summa ejus rapiditate, ac celeritate, incredibili audacia in obstaculis spernendis ac superandis, de crudelitate in devictos populos, ipsos subinde socios, de intoleranda ejus ambitione, gloriae studio, et superbia, adeo

rem, eadem partitio in Triparadiso, urbe superioris Syriae, ann. Per. Jul. 4393 confirmata est, cum hac variatione, quod Provinciae fuerint Eumeni ademtae, et *Nicanori* datae, *Seleucus* quoque Nicator, antea praeteritus, Babyloniae acceperit praefecturam, Antigono denique belli contra Eumenem cura demandata. Bello deinde inter foederatos, qui erant Cassander, Lysimachus, Ptolemaeus et Seleucus, ac Antigonum, ejusque Filium Demetrium, varia fortuna, sed Antigono iniquiore, gesto, paceque facta, ann. Per. Jul. 4403., distributio hanc in formam redacta est, ut Cassander supremus Europae dux esset, donec Alexander, Rhoxanis ex Alex. M. filius, adoleverit, Lysimachus teneret Thraciam, Ptolemaeus AEgyptum, cum vicinis in Libya et Arabia urbibus, Antigonus totam Asiam, Graeciae vero urbes forent liberae.

§. CCCXCVIII. Deinde, Olympiade, matre Alexandri, quae Aridaeum, una cum uxore Eurydice, e medio sustulerat, duobusque Alex. M. filiis, Hercule ex Barsine, et Alexandro ex Rhoxane, per Cassandrum obtruncatis, adeoque Alexand. M. domo penitus deleta, et novo exorto bello inter Cassandrum, Lysimachum, Ptolemaeum, et Seleucum foederatos, ab una parte, et Antigonum ac Demetrium, ejus filium, ab altera, Antigonus, postquam Demetrius Ptolemaeum ingente clade adfecerat, et Cyprum ei eripuerat, hoc rerum successu elatus, primus sumsit diadema, et Demetrio quoque imposuit. Quod cum foederati mox imitarentur, sex Reges subito in scenam prodierunt, Antigonus, Demetrius, Ptolemaeus, Lysimachus, Cassander, et ultimus Seleucus, qui per Orientem ditionis suae pomoeria jam dilataverat. Contigit illud ann. Per. Jul. 4408 ante aer. Vulg. Christ. 304, sic *quinque* orta sunt regna, Macedonicum, Thraciae, Asiaticum, AEgyptiacum, et Babylonicum: sed quae brevi primo ad *quatuor*, Asiatico exstincto, dein ad *tria* majora durabiliora, Thracico etiam deleto, redacta sunt. Bello enim superiore majoribus viribus renovato, et praelio de-

decretorio apud Ipsum in Phrygia commisso, Antigonus debellatus, et regnum ejus est exstinctum ann. P. J. 4413, nova etiam, quae *quarta* et ultima fuit, instituta divisio, qua Ptolemaeus regnum retinuit, adjuncta Coelesyria, Phoenicia, et Judaea; Lysimachus, praeter Thraciam, accepit Bithyniam, aliasque regiones ad latus Asiaticum Hellesponti et Bosphori; Cassander Macedoniam et Graeciam, Seleucus denique reliqua Asiae, qui tunc celebre illud Regnum Syro-Macedonicum condidit. Denique, cum Demetrius, regionibus, quas in Asia adhuc tenebat, relictis, et Macedonia occupata, Asiam invadere, et regnum paternum recuperare, adgrederetur, novi belli, sed sibi fatalis, cum Lysimacho, Ptolemaeo, et Seleuco foederatis, semina jecit. Regnum enim Macedoniae Pyrrhus, Epirotarum rex, qui se foederatis adjunxerat, occupavit, et ipse ab Agathocle, filio Lysimachi, ad incitas redactus, fuga sibi consuluit, et Seleuco se tradidit: quo finis fuit regno ejus in Asia inpositus. Tandem, bello inter Lysimachum, qui, Pyrrho ejecto e Macedonia, illam sibi subjecerat, et Seleucum, conflato, Lysimachus vitam perdidit ac regnum, in pugna decretoria in Phrygia, ann. P. Jul. 4433.

§. CCCXCIX. Emerserunt itaque e continuis hisce bellorum fluctibus, per Alexandri M. duces concitatis, quorum historia aliunde petenda est, *tria* majora, et durabiliora, regna, *Macedonicum*, quod, post Seleucum, tenuit Ptolemaeus Ceraunus, et dein in domo Demetrii aliquandiu substitit, *Syro-Macedonicum*, a Seleuco Nicatore conditum, et *AEgyptiacum*, quod Ptolemaeus Lagi fundavit, et ad posteros transtulit. Quorum duorum posteriorum historiam summatim tradam, Macedonico, parum ad scopum faciente, omisso, postquam, ad intellectum visorum Dan. emblematicorum, c. II, VII et VIII., regna alia, ex Alexandrino, vel post illud orta, partim eodem tempore, partim paulo post, digito tantum monstravero; cum paulo fusius ea in Diss. V. ad Dan. jam recensuerim; 1 *Primum* est Mediae Atropatiae,

ciae, ut ordinem temporis observem, ab Atropate, Medorum praefecto in bello Darii cum Alex. M., dein in prima regni divisione satrapa, sed in secunda neglecto, regni minoris Mediae conditore, sic adpellatae. Cujus notitia haurienda est ex Polyb. lib. V et Strab. l. XI. 2. *Secundum* est Ponti, a Mithridate, ortu Persa, cujus majores sub Persis dominatum in Ponto tenuerant titulo satraparum, conditum, anno aer. Seleuc. VII. postquam ab Antigono, sub quo militaverat in bello ejus cum Eumene, et in cujus odium dein inciderat, ad necem quaereretur, et in Pontum aufugisset. De Ponti regibus, eorumque successione, vid. Reinef. Ep. 21, et 23 Rupert. ad Flor. l. III. Ez. Spanhem. Num. Diss. VII. Vaillant in Achaemenidarum inperio. 3. *Tertium* est Cappadociae, sic proprie dictae, alias magnae adpellatae, structum ab Ariarathe *IIdo*, post Perdiccae et Eumenis mortem, cum Antigonus, et Seleucus essent bello inpliciti, profligato Amynta, duce Macedonum. De quo vid. Diod. Sic. in Eclogis, et Strab. l. XI. ac XI. Hac ratione utramque Cappadociam, alteram Ponticam, alteram hanc, seu magnam, Macedones, Persis ereptam, e duabus Satrapiis, ut antea fuerunt, passi sunt volentes nolentes in *duo regna* mutari, ut Strab. l. XII. tradit.

§. CCCC. 4. *Quartum* est Bithyniae, a Zipoete conditum, cujus majores principatum ibi quidem tenuerant, sed ipse regnum erexit, et ad posteros transtulit, quo anno Demetrius excidit regno Macedonico, Vid. Excerpta Memnonis apud Phot. Bibl. cod. 224. 5. *Quintum* est *Pergamenum*, a Philetaero conditum, sub finem Lysimachi et Seleuci Nicatoris, Ipse, Tianus, ex obscuro genere, et casu Eunuchus, vir strenuus et fidelis, a Lysimacho custos thesaurorum in arce Pergamena constitutus, cum sibi, ob familiarem cum Agathocle, filio Lysimachi, a Patre occiso, amicitiam, metueret, bello inter Lysimachum et Seleucum orto, arcem sibi vindicavit, ac potentis et diuturni regni fundamenta jecit. Vid. ex Veteribus Strab. l. XII. et XIII. Pausan. in Atti-

cis, et Appian. in Syr., ex recentioribus Rupert. ad *Besold.* et Ez. Spanhem. Num. Diss. IX. 6. *Sextum* est Bactrianum, a Graecis, qui superiores satrapias tenebant, et a Macedonibus, mortuo Alex. M., defecerant, quidem occupatum, et possessum, sed dein a Theodoto firmatum ac amplificatum sub Antiocho Theo. Vid. Strab. l. XI et XV. ac Just. l. XLI. qui illud *opulentissimum mille urbium inperium* adpellat.

§. CCCCI. Praeter haec regna, quae sese in amplissimo regno Alexandrino, post ejus mortem, ostentarunt, alia citius, alia tardius, fuerunt duo alia, potentissima et diuturna, alterum *Indicum*, a Sandrocotto, tempore Seleuci Nicatoris, conditum, cui omnes trans Indum regiones fuerunt subjectae, Vid. Appian. in Syr., Strab. l. XV et Justin. l. XV: alterum *Parthicum*, cujus fundamenta quidem jacta sunt ab Arsace, tempore Antiochi Thei, sed quod sub Seleuco Callinico exstructum ac firmatum est. De quo leg. Vales. ad Ammian. Marcell. l. XXIII Rupert. ad Besold., et quos citavit Fabricius ad Dion. Cass. lib. XL. Quorum duorum regnorum ratio non est habenda in visis Dan. exponendis; non *Indici*, partim quod nimis remotum sit *ad*, vel *extra*, terminos inperii Alexandrini, partim non tam occupata fuerit aliqua Indiae pars, et regno adjuncta, quam victoriose peragrata ab Alex. M., qui Taxili quoque et Poro regna reliquit; *Parthici* quoque non, quod non tantum nimis sero fuerit ortum, sed in primis alium gerat conspectum, quam scopus et natura visorum Dan. postulat. De quo Vid. Diss. V. ad Dan. §. XII., ubi etiam 10 Reges, per 10 cornua *quartae* bestiae expictos, exhibui §. XVII. Antigonum et Demetrium in Asia, Lysimachum in Thracia, Cassandrum in Macedonia, Ptolemaeum Lagi in AEgypto, Philaeterum in Asia Pergamena, Sipoeten in Bithynia, Mithridatem in Ponto, Ariarathem in Cappadocia, et Atropatem in Media Atropatia: quorum *tres* regna ad Posteros non propogarunt, quippe per Seleucum Nicatora debellati,

sicut

ſicut *parvum cornu* inter memorata elatum *tria* eradicaſſe dicitur, de quo mox.

§. CCCCII. Luſtremus nunc oculo fugitivo ſucceſſionem, et fata, ac geſta, regnorum AEgypti, ſeu Lagidarum, Dan. XI. *Auſtri*, et Syro-Macedonum, ſeu Seleucidarum, apud Dan. *Septentrionis*, quorum arctior fuit ad populum Judaeum relatio, et notitia ad intellectum prophetiarum Danielis neceſſaria, adeoque noſtri fori. De regno Syriaco antequam agam, varia ejus nomina, magis minuſve propria, ſeu Symbolica, quibus in verbo Prophetico venit, in primis relate ad populum Judaeum, non abs re fuerit paucis exhibuiſſe. Praeter *ſeptentrionis* regnum Dan. XI., cujus memini, adpellatur *Javanis*, ſeu Graecorum, Joel. IV: 6., Zach. IX: 13. Quo nomine inſigniti ſunt primum Athenienſes, a Javane, filio Japheti Gen. X., dein omnes Graeci; quo ſenſu orientalibus maxime in uſu fuit; *Barbari* enim, notante alibi Scholiaſte Ariſtophanis, omnes Graecos vocant Ἰάονας, nomina Heb. יון et Graec. Ἰων eadem ſunt. Sic et Ezech. XXVII: 13. Jeſ. LXVI: 19. et Dan. X: 20. XI: 2. in ſpecie denique, et reſtricte, Syro-Macedones, uti in locis Joel. et Zach., modo citatis, et apud Judaeos paſſim, qui regnum Syriae adpellare ſolent regnum *Javan*, quod nomen nummi, in memoriam liberationis Maccabaicae cuſi, quoque praeferunt. Cujus adpellationis ratio ſeſe facile prodit, cum Seleucidae ſeſe ſolos Alexandri M. ſucceſſores haberi voluerint, illorumque inperium potentiſſimum fuerit ac latiſſimum, prae omnibus ex Alexandri regno ortis, de quo poſtea. Praeterea regni *Aſſyriaci* epitheton etiam gerit, uti Jeſ. XI: 16. XIX: 23. XXVII: 13. Mich. V: 4. et Zach. X: 10, 11. Stylo enim prophetico nomen *Aſſur*, quod proprium eſt regni Aſſyriaci veteris, ad ea denotanda regna tranſfertur, quae illis in regionibus poſtea ſunt condita, ut Babylonicum, Perſicum; ita ut ipſe Darius dicatur rex Aſſur Ezr. VI: 22, denique Syro-Macedonicum, cujus etiam prima ſedes fuit Babylon, quod-

que omnes terras supra Euphratem et Tigrin, usque ad Indum, habuit subjectas, nec antiquo Assyriaco, in populo Judaeo oppugnando, fuit dissimile.

§. CCCCIII. Aptatur etiam ipsi, sed magis figurate ac Symbolice, nomen *Edomi*, Jes. XXXIV et LXIII., ubi de Syro-Macedonibus, utique primo sensu, agitur; significat autem illud nomen, cum adlusione ad אדום *rubrum*, populum sanguinarium, pollutum sanguine confessorum veritatis, simul, singulari Dei judicio, sanguine et caede replendum. Quod in Syro-Macedones, tempore Antiochi Epiphanis, et successorum, exacte quadrat. Denique *Gogi* et *Magogi* titulus iis datus est Ezech. XXXVIII et XXXIX., ut opinor, et pluribus exsecutus sum in comment. MSS. ad Ezechielem. Mesech et Tubal, populi vicini, ibi memorati, sunt, ut Bochartus in Phaleg. l. III: c. 3 et 12. demonstravit, adcolae Ponti Euxini ad ortum, et ubi ad austrum flectitur, *terra* itaque Magog et ibi inter Pontum et mare Caspium est collocanda, sive Caucaso ad austrum subjecta, ubi etiam Gogarene, Iberiae pars, trans fluvium Cyrum. Vid. Bochart. l. cit. cap. 13. nomine ducto a filio Japheti, *Magog* dicto Gen. X: 2. Cum vero *Gog* dicatur *Princeps* terrae Magog (ראש *caput* ibi est princeps vel Rex terrae Magog, et Dux ac Inperator populorum Mesech et Tubal) probabile mihi sit, nomen Principis ab ea terra fuisse ductum, sive istius regionis Principibus fuerit commune, ut Pharao AEgypti, sive hoc nomen ei fuerit a Propheta inditum, ad Regem Magogi designandum; ansa etiam inde arrepta, quod nomen Gog, nec inter Judaeos, nec alios inter populos, ignotum fuerit. De Gyge, regni Lydorum raptore, de Gugga inter Libyas Africae apud Plautum in Phoen. act. V. Scen: 2. ex MSS. Lambini,

Facies quidem edepol Punica est, gugga est homo

de rege AEthiopum Gigone apud Stephanum Byzant. in voce, aliisque ut taceam, Rex Scytharum, Herodoto μαδύης dictus, idem est ac Magog; ipsum nomen *gigas* pro homine procero,

cero, et robusto, ejusdem forte est originis; utique Ogyges, maximus Gigas, et antiquissimus ille Thebarum Boeotiae rex, idem est, vel vicinum, nomen. Ipsum nomen Minervae, quo Cadmus eam insignivit, ὄγγα apud Hesych. inde etiam derivari potest, quod etiam in ὄγκα vertitur a rad ענק, quasi dicas *longicollium*. Vid. Cl. Valckenaer. ad Euripid. p. 752. Inter Judaeorum hostes acerrimos Amalekitas, Regibus eorum videtur commune nomen fuisse *Agag*, Num. XXV: 1. 1 Sam. XV: 8. Haman etiam *Agagita* Esth. III: 1. adpellatur. Habent vero radices גג et ענק vicinam originem in *procera*, *erectaque protensione* sitam. Radices vero גג, אגג, גוג, etiam מוג, מגג, unde מגוג *Magog*, apud Arabes superstites, videntur sororiae, et originalem potestatem habere in *tumore*, tumida protensione, erectione, et expansione, unde aestuationis, undationis, discursationis, longe lateque diffusae, et similes notiones fluxerunt: et hinc etiam *tecti* notio apud Hebraeos, in גג *tecto*, quatenus quid in altum evectum est et expansum. Unde גוג *Gog* hominem designare potest tumidum, elatum, illustrem, simul sese longe lateque expandentem, et omnia pervadentem, et מגוג *Magog* populum similis generis, simul quaquaversum discursantem, sicut יגוג Arab. dicitur, qui huc illuc discurrit: quales sunt Arabes Scenitae, et Scythae quoque, qui nomine Gog et Magog etiam veniunt apud Arab. in specie extremi Orientis, sive extra Imaum. Vid. Golius in אגג, et M. Paulus Venetus de region. Orient. l. I. c. 64. Occurrit etiam apud Dion. Cass. l. XXXVI. rex Iberorum *Artokes*, ex ἄρτι valde *magnifico*, et ωκ, quod idem est nomen ac ὠγ, et γωγ; sicut in Artaxerxes ex *arti* et *Xerxes*.

§. CCCCIV. Pandamus nunc rationes, quare Syro-Macedones hoc epitheto fuerint a Propheta insigniti? mitto, digitum censeri posse intendi ad terram Macedoniae, quae olim dicta fuit μακετία, *Macetia*, unde Macedones adpellati sunt *Macetii*, Vid. Bochart. Phal. III: 5. κ autem et γ

 passim

passim permutantur: uti καρμανιοι Herodot. l. I. dicuntur γερμανιοι, adeo ut Magog et Maket parum differant; quod in nomine Mygdoniae tractu vicino, et parte Macedoniae, clarius conspicitur: unde etiam regio Mesopotamena a Macedonibus est Mygdonia adpellata, et Nisibis nomen traxit Antiochiae Mygdoniae. Memoratur etiam γιγωνος urbs, vel castellum, inter Macedoniam et Thraciam, apud Thucyd. l. I. c. 61. prope Potidaeam: cujus etiam meminit Herodot. l. VII. 123. Vid. et Stephan. Byzant. in voce. Sed, propiores et certiores ut proferam rationes, 1. Scytharum, ex ipsis illis oris Septentrionalibus, irruptionem in Asiam, Syriam, et Palaestinam sub Cyaxare, Medorum Rege, haud diu ante tempora Ezechielis Prophetae, eo cum effectu, ut Asia per 28 annos potiti sint, adtendi velim. Quo Jer. VI: 15. quoque respici, ad eum locum observavi. Hos, vel horum similes, istarumque regionum, ac Asiae, possessores iterum in haec loca inpetum facturos esse, licet infeliciore successu, ut significaretur, Propheta iisdem eos insignivit nominibus. Nec desunt alia, praeter nomina, indicia, ad eos digitum hic intendi; uti ex. gr. in verbo שׁובב *redire facere* c. XXXIX: 2. et loco sepulturae prope Genesareth c. XXXIX: 14. inde adpellato, sicut a prima Scytharum invasione urbs *Scythopolis*, ibi sita, nomen censetur traxisse.

§. CCCCV. 2. Secundam rationem inde petere liceat, quod Gogi, vel simili, nomine ac epitheto videantur insigniti homines elati, robusti, feroces, opibus et viribus illustres, raptores, et oppressores aliorum, sed singularibus judiciis divinis prostrati et deleti: sive ansam praebuerit Gyges Lydorum, unde Gygis opes et potentia in vulgus emanarunt, vid. Grotius ad locum Ezechielis, sive Gigantum historia, vel fabula. Utique Gigas, et robustus, ac Deorum oppugnator, idem sonant: unde γιγας est Hesychio δυνάστης, ἰσχυρὸς, ὑπερφυής, et γιγαντια dicta Lycia, incolae ejus *gigantes*, eodem teste, Hercules quoque AEgyptius ibid. γιγων,

secundum

ſecundum nonnullos, vel Bacchus: ſive denique Amalekitarum facinus, reſpectu Iſraelitarum, eo fatum, quorum Reges Agagi nomine noti ſunt. Quo ſenſu Num. XXIV: 7. dicitur, *ſublimior erit rex Iſraelis Agago*, ubi LXXI et Samar. habent *Gog*. Sed ipſum illud nomen Gog, ut modo notavi, eo ducit. Quae omnia quam apte in Syro-Macedones, in ſpecie Antiochum Epiphanem quadrant, facile intelligitur; ſed et nihil a Stylo Prophetico, quo nomina Symbolica ſatis uſitata ſunt, alienum habent. Vid., Vitringa ad Jeſ. LXIII. et Comment. noſter ad Pſ. LXVIII: 15. ubi Hieroſolyma adpellatur *Tſalmon*, et ad Jer. XXV: 26. ubi Babel adpellatur *Seſach*.

§. CCCCVI. 3. Tertiam, et adfinem, addo rationem, a convenientia inter Scythas et Syro-Macedones, horumque inperio uſque ad Magogitas porrecto, petitam, adeo ut, ſicut in verbo Prophetico nomine Aſſyriorum veniant Judaeorum hoſtes, quod eorum terras poſſideant, iiſque haud abſimiles fuerint, etiam ipſi Syro-Macedones, ut modo obſervavi, ita quoque Magogitarum nomine inſigniri potuerint. Inperium itaque *Magogi* adpellatur *α.* quia eouſque ſeſe verſus ſeptentrionem porrexit, ut mox patebit. Nec eſt inſolens, regnum ab extremo aliquo limite adpellari, ita ut totum regnum ad illum terminum uſque comprehendatur, ſic ex. gr. Hermonis nomine tota terra Iſraelitica ad Tſionem uſque continetur Pſ. CXXXIII., ut in Comment. docui, nomine etiam Gileadi et Libani Zach. X: 10. *β.* Quia ſimile eſt et originis et qualitatum reſpectu. 1. Origine ſunt Syro-Macedones, aeque ac Magoges, Japhetitae Gen. X. peregrini quoque, et barbari, lingua, vitae inſtituto, et moribus, qui e longinquis terris in has venerunt regiones, Vid. Jer. VI: 15. etc. 2. Quod ad qualitates et actiones adtinet, *a.* hi populi ſecum habuerunt commune, quod validi et bellicoſi fuerint, ſemperque in armis, ſicuti de Macedonibus, maxime a tempore Philippi, Alexandri, et ſucceſſorum, de quibus hic agitur, aeque ac de Scythis, eſt vulgatiſſimum,

 b. quod

h. quod adfine est, et hinc sequitur, utrique se in aliorum terras quaquaversum diffundere, eosque occupare ac diripere, soliti fuerunt; quod ipsa nomina Gog et Magog, ut modo vidimus, ducunt: et Moschos ac Tibarenos *terrorem* quaquaversum circumtulisse, expresse dicitur Ezech. XXXII: 26. Nec abhorrent nomina משך et תובל *Mesech* et *Tubal*. Prius enim exercitus contracti, collecti, robusti et praeponderantis, quaquaversum discurrentis, et in continuo motu, praebet imaginem, et posterius, a יבל, de militum eductione, incessu vehementiore, etiam deductione pompatica et triumphali, adhibetur. *c.* Denique, utrique fuerunt, seseque praestiterunt erga devictos populos, saevos et crudeles. Scythae ab inhumanitate satis noti sunt, et de Syro-Macedonibus, in primis Seleucidis, respectu Judaeorum, res est testatissima. Vid. Dissert. nostrae ad Danielem.

§. CCCCVII. Quartam rationem forte repetere licet a sensu hujus vaticinii *allegorico-Prophetico*, quo ad populos barbaros in angulis terrae, Ecclesiam Christianam ultimo tempore invasuros, Apoc. XX. refertur. Per quos Scythae Septentrionales et Orientales, inter quos sunt Gog et Magog dicti, intelligi queunt. Vid. Medus ad Apoc. p. 105 et Asseman. Bibl. Orient. tom. III. p. I. p. 322 et p. II. p. 436, ubi per Gog et Magog designari docet utramque Tartariam, quae antiquae Scythiae, intra et extra Imaum, respondet. Hos itaque populos, ut una comprehenderet Propheta, sensu mystico illo, censeri potest Syro-Macedones hoc potius, quam alio titulo, insigniisse.

§. CCCCVIII. Regni SYRIACI, ut ad illud, his praemissis, veniam describendum, cujus historia petenda est ex Strabone, Appiano in Syr., Pausania in Att., Justino et Josepho, ne alios memorem, conditor *Seleucus*, filius Antiochi Macedonis, inter duces Philippi, patris Alex. M., jam celebris, et Laodices, cum anchora nautica femori inpressa, ut traditur, natus, quam nummi ejus etiam prae-

ferunt,

ferunt, ut observavit Ez. Spanhem., *de usu* etc. Num. Diss. VII. ex parvis initiis ad summum gloriae, et potentiae, fastigium adscendit, prae reliquis Alex. M. ducibus, et successoribus; adeo ut cum *parvo* cornu, in altum evecto, post tria eradicata, comparatus fuerit Dan. VII: 8. ut exposui Diss. V. ad Dan., ubi, qua ratione per gradus excreverit, et supra alios eminuerit, ac amplissimum condiderit regnum, enarravi: quare summa tantum hic perstringam capita. In *prima* divisione regni Alexandrini, cujus supra memini, Seleucus nullam accepit, ut reliqui, praefecturam, sed praefectus tantum equitum sodalium factus, vel confirmatus est; *secunda* vero divisione Babyloniae praefectura potitus est, sed qua per Antigonum, Asiam sibi subjicientem, privatus est, et ad Ptolemaeum Lagi confugere coactus. Bello deinde Ducum foederatorum, Ptolemaei, Lysimachi, Cassandri, cum Antigono et Demetrio exorto, ann. Per. Jul. 4400, Seleucus cum parva militum manu, a Ptolemaeo impetrata, in Babyloniam profectus, eam sibi adseruit, et a Demetrio sibi mox ereptam recuperavit: in cujus possessione ab eo tempore mansit, ita ut Babylonii inde aeram inceperint Seleucidarum. Sumsit quoque haud diu post, ad exemplum reliquorum Ducum, sed ultimus, titulum Regis, nec tamen et tunc cum reliquis comparandus; nondum enim Syriam habuit, nec Rex Syro-Macedonum fuit; quod, Antigono devicto, demum factum est, quando sese supra reliquos reges, ut *parvum* cornu apud Dan. supra reliqua, efferre coepit, simul, longe amplissimum et eminentissimum condidit Regnum, tribus regibus cum regnis e medio sublatis, uti de parvo cornu, quo *tria* eradicata sunt, apud Dan. traditur: qui sunt Antigonus, Demetrius et Lysimachus; ab ipso potissimum, seu in ejus gratiam et commodum, debellati: uti Diss. cit. §. XX. ostendi; quod hic, brevitatis causa, non repeto.

§. CCCCIX, Praetulit vero tunc, quod de parvo cornu Dan. VII: 20 dicitur, *majorem speciem*, quam reliqui reges

regni Alexandri, cum, quod amplissimum, et potentissimum, a gloriosissimo rege conditum, prae reliquis fuerit regnum ejus, tum, quod Seleucidae sese prae reliquis pro genuinis Alex. M. successoribus gesserint, ita ut excelsum illud *Hirci*, seu regni Macedonici, *cornu*, in eo censeri aliqua ratione potuerit resuscitatum. Accedit, ipsum Seleucum quasi alterum Alex. M. sese praestitisse, per efficaciam *suam inpenetrabilem*, et *victoriarum celebritatem*, unde *Nicatoris* nomen ipsi adhaesit, ut Ammian. Marcell. l. XIV et XXIII. adnotat, ac App. in Syr. confirmat, qui addit, ipsi per exercitum fuisse adclamatum, *regi post Alexandrum maximo.* De amplitudine regni ejus, prae reliquis, clare testantur App. in Syr. et Arrian. exped. Alex. quorum verba l. c. exhibui, ubi etiam observavi, Seleucidas sese solos fere genuinos Alex. M. successores jactare fuisse solitos, in Nummis quoque Seleuci Nicatoris crebro comparere *caput leonino rictu armatum*, et *Jovis effigiem*, insignia Alexandri et Macedodonum, denique regni *Graeci* titulum ejus regno esse proprium apud Judaeos. Addatur, ipsi quoque, quod de parvo cornu habetur, Dan. VII: 20. *oculos* et *os magna loquens*, recte competere, licet illud in specie et eximie in Antiocho Epiphane sese exseruerit, ut postea adparebit. Dicitur utique Appiano Alex. in Syr. *insidiosos oculos in gentes vicinas habens*, *viribus potens ad rogandum*, *et vi persuasoria pollens alios sibi adjungendi.* Fuit quoque, sicut *prudentia* insignis, ita *superbia* tumidus, quatenus prae reliquis de regno Alexandrino, in suo renovato, gloriatus fuit, divinos quoque honores sibi adrogavit, legemque tulit, teste App., *semper aequum esse*, *quod Regibus placet.* Denique, sicut regnum reddidit amplissimum, ita etiam illud ornavit ac munivit, celebrioribus urbibus conditis, quarum aliquas a Patre, matre, conjuge, ac se ipso, denominavit, uti Antiochiam, Laodiceam, Apameam, et Seleuciam, sed et alias plurimas, quas recenset App. in Syr., Graecis nominibus insignitas, nonnullis ab urbibus Macedoniae et Thessaliae petitis. Prae-

cipua, et metropolis regni, fuit Antiochia ad *Orontem* dicta, quia fluvio illi adjacebat, etiam ad *Daphnem*, ubi lucum plantaverat Seleucus, et in eo Templum condiderat, Apollini et Dianae sacrum, ac asyli praerogativa donatum, haud procul Antiochia, sed quibusvis voluptatibus, ac libidinibus, ibi exerceri solitis, dein factum infamem. Praeter Antiochiam celebris in primis fuit Seleucia, metropolis regni ultra Euphratem, sicut Antiochia erat cis eum, 13 horis Babylone distans, ad occasum Euphratis, eo etiam nomine notanda, quod per eam progressu temporis Babylon fuerit civibus, eo se recipientibus, exhausta. Denique omitti non debet, quod hic verbo tantum notabo, Judaeos Babylonios fuisse a Seleuco in urbes suas invitatos ac translatos, multisque privilegiis honoratos: uti Jos. Ant. XII. et contra Ap. l. II. tradit.

§. CCCCX. Quibus gloriose peractis, adjecit tandem illustrem victoriam de Lysimacho, rege quoque tunc Macedoniae, reportatam in Phrygia, qua Lysimachus periit, et ejus regnum accessit Seleuco; quod cum sibi vindicare adgrederetur, a Ptolemaeo Cerauno, filio Ptolemaei Lagi, fratre Lysandrae, uxoris Agathoclis, filii Lysimachi, a Patre occisi, et regnum Macedoniae tunc ambiente, multis ab eo beneficiis adfecto, nefarie et dolose in itinere versus Macedoniam interfectus est, postquam, teste Dexippo, 32 annos regnasset, sed secundum Appian. 42, si lectio non sit adfecta, quod non est inprobabile. Successit filius *Antiochus Soter*, titulo a Jove *Sotere*, seu *servatore*, ac sospitatore, petito, sic adulatorie adpellatus, Seleuci ex Apamea filius, et Stratonices, Demetrii Poliorcetae, regis Macedoniae, filiae, et Seleuci quoque uxoris, maritus, Seleuco ipso prae mira indulgentia concedente, factus, sed nihil tanto inperio, aut Patre, dignum praestitit. Necem Patris quidem vindicare adgressus est a Ptolemaeo Cerauno, sed placatus sese vertit contra Antigonum Gonatam, Demetrii filium, sed brevi periit, cum moveret contra Gallos, qui in

 Asiam

Asiam irruperant, ac Bithyniam jam occupaverant, *inde* dictam Gallo-Graeciam, insidiis exceptus, cum exercitu, postquam virtutis bellicae specimina dedisset, ut tradit Memnon in Excerpt. De Gallorum vero eruptionibus in Graeciam, Thraciam, et Asiam Vid. Idem Memnon apud Phot., Pausan. in Phocicis, Diod. Sic. in Eclogis, Strab. l. IV. praeter Liv. l. XXXVIII et Just. l. XXIV.

§. CCCCXI. Successit Ipsi, post 19 ann. regnum, *Antiochus*, *Theos*, seu Deus, adpellatus, primum a Milesiis, quod eos a Tyranno Limareto liberaverat, de quo Dei cognomine plura dabit Ez. Spanhem. Num. Diss. VII., filius Soteris ex Stratonice. Cujus regnum non eo solum nomine est memorabile, quod regnum Parthicum fuerit conditum sub eo, ut supra notavi, et Bactriani, ac orientis populi alii, ut Historici tradunt, a regno Seleucidarum defecerint, verum in primis, quod concertationum utriusque regni aemuli, Lagidarum et Seleucidarum, praecipue de Coelesyria et Palaestina, origo sit repetenda a fatali conjugio Antiochi et Berenices, filiae Ptolemaei Philadelphi, pacis quidem firmandae ergo inito, sed caede Berenices cum filio, per alteram uxorem Antiochi Laodicen, primo repudiatam, dein resumtam, procurata, indeque orta nece ipsius Antiochi, multorum utriusque regni bellorum, et tristium fatorum, causa facta. Quod Dan. XI: 6. clare fuit praedictum, adeoque ad ejus intellectum nostra in primis animadversione dignum. Sensus verborum huc redit. Reges Aquilonis et Austri, seu Seleucidae et Lagidae, Syromacedonum et AEgypti, sive ut bellum finiant, sive ut illud praeveniant, et stabili jungantur amicitia, inibunt societatem, foedusque pangent: in cujus confirmationem filia Regis Austri dabitur uxor Regi Septentrionis. Sed hoc longe secus cadet, ac diuturni et gravioris belli semen fiet. Filia enim illa, uxor Regis facta, statum suum non tuebitur, nec ipse Rex Aquilonis firmo stabit talo. Illa enim cum comitibus et parvulo suo filio, in spem regni nato, cumque ipso forta-

litio,

litio, quo sese difficillimo illo tempore defendebat, in manus hostium incidet, et peribit. Comparemus cum hac paraphrasi, quam in Comm. ad Dan. illustravi, historiam, ut prophetiae exactum elucescat inplementum. Bellum inter Ptolemaeum Philadelphi, Austri regem, et Antiochum Deum, ut vel finiretur, vel praecaveretur, quod Prophetia in medio reliquit, et Historia quoque non decidit, de quo l. cit. egi, arctam societatem inierunt, et ad eam firmandam Antiochus, uxore sua, simul sorore, Laodice repudiata, duxit Berenicen, Philadelphi filiam, multa dote locupletatam a Patre, sed Laodice, ab Antiocho, ejus amore capto, denuo adsumta, et in pristina collocata dignitate, maritum veneno necavit, filium Seleucum in throno collocavit, Berenici denique cum Filio ejus struxit insidias. Quas ut evitaret Berenice, sese cum filio et comitibus in munitissimam recepit arcem, simul *asyli* praerogativa praeditam, si, quod Justinus tradit, fuerit *Daphne*, suburbium Antiochiae; ubi cum capi non posset, dolo et sub specie foederis, juramento firmati, sese in manus Seleuci una cum filio et sociis tradidit. Quo facto, Seleucus omnibus intulit necem, simul diuturni, quin perpetui fere, belli inter Reges Septentrionis et Austri, fundamenta jecit. Vid. Appian. in Syr. Justin. l. XXVII. Poliaenus Strateg. l. VIII. et Hieron. ad Dan. Regnavit Antiochus ann. 15.

§. CCCCXII. Successit *Seleucus*, filius ejus ex Laodice, ut modo retuli, ac titulo *Callinici*, seu victoriosi, et Nicatoris, insignitus, non tam κατ' ἀντίφρασιν, nullas enim habuit victorias, quam quia Seleucidae sese traduces Herculis, eo titulo ornari soliti, jactitabant; ut Ez. Spanhem. Num. l. c. jam notavit. Sub quo regnum Syriacum valde concussum et labefactatum est, per Ptolemaeum Euergeten primo, dein per fratrem ejus Antiochum Hieracem, denique regna, Parthicum et Bactrianum, condita. Ptolemaeus, AEgypti rex, Euergetes dictus, ut necem sororis suae Berenices, cujus modo memini, ulcisceretur, vel, quia *sub specie sororiae ulti-*

onis inhiabat Asiae, quae Justini verba sunt, regnum ejus ingente cum exercitu irrupit, totumque fere occupavit, ac spoliavit, sine multo opere, ac brevi tempore, populis ubique a Seleuco ad eum deficientibus; *tantum enim vel illi* (Seleuco) verba sunt Justini, *odium parricidiale scelus*, *vel huic* (Ptolemaeo) *favorem indigne peremtae mors sororis adtulerat*. Quo facto domum, cum obsidibus et inmenso spolio, reversus Ptolemaeus, potestatem suam in regnum Syriacum nonnullis annis tuitus est. Tentavit quidem Seleucus, bellum Ptolemaeo inferens, regnum ejus invadere, eique vices rependere, sed *victus paelio*, *trepidus Antiochiam*, ut Justinus ait, *confugit*. Vid. praeter Justinum, Appian. in Syr. et *monumentum* illud celebre *Adulitanum*, quo Euergetis expeditiones conservatae sunt, apud Cosmam Indicopl. in collect. nov. Montefalconii tom. II. Meminerunt quoque hujus expeditionis Euergetis, praeter Hieron. ad *Dan.*, Polybius Hist. l. V. Poliaenus Stratag. l. VIII. et Jos. contra Ap. l. II. Inpletum itaque plenissime est vaticinium Dan. XI: 7—9. ut in Comm. docui et exposui. Ceterum num Laodiceen, inprobam illam reginam, quoque occiderit, quod App. tradit, non adfirmaverim, cum Plutarcho et in primis Phylarcho apud Athen. videatur adversari, de quo ibid. §. 22 plura protuli. Tenuit quoque diu *Syriam*, *Ciliciam amico suo Antiocho gubernandam tradidit*, verba sunt Hieronymi, *et Xanthippo*, *alteri duci*, *provincias trans Euphraten*. Imo Seleuciam *urbem regiam*, et *universi ferme inperii communem penatium sedem*, tempore adhuc Antiochi M., in potestate Lagidarum fuisse, eorum praesidiis firmatam, tradit Polyb. Denique ab Antiocho Hierace, fratre suo, bello petitus, vicit et fugavit quidem eum, sed et ipse, contra Arsacen, regni Parthici conditorem, movens, altera vice ab ipso victus ac captus est; et brevi post equo praecipitatus obiit: Vid. Justin. et Posidonius apud Athen. l. IV. Regnavit ann. 20.

§. CCCCXIII. Excepit ipsum filius, natu major, *Seleucus*, cui

cui cognomen *Ceravni* datum eſt, qui titulus, celeritatem et vim, omnia vaſtantem, exprimens, Seleuco Nicatori peculiari de ratione adhaeſerat, quia *fulminis* augurium ipſum in condenda Seleucia erat ſecutum, uti Ez. Spanhem. Num. l. c. obſervat. Praeſtiterat etiam Nicator ſeſe eo titulo dignum, ſed nihil minus hic Seleucus, nec ingenio nec virtute bellica valens, nihilque nomine dignum gerens: Acheo, Andromachi filio, nepote ejus, viro ſtrenuo, ſtatum regni tuente. Cum vero Attalus, Pergamenorum rex, Aſiam minorem, ab Helleſponto ad Taurum, occupaverat, Seleucus, ſub Achei auſpiciis, quidem contra eum ſuſcepit expeditionem, ſed nihil effecit, brevi etiam veneno e medio ſublatus eſt a duobus ejus ducibus, ann. regni 3*tio*. Vindicavit quidem hanc necem Acheus, ſtatum regni quoque contra Attalum recte tuitus eſt, ſed coronam ipſi ab exercitu oblatam recuſavit, ac Antiocho, filio juniori Seleuci Callinici, tradidit: qui itaque ſucceſſit.

§. CCCCXIV. *Antiochus initio quidem rerum maximarum capax viſus eſt*, ut verba Polyb. in Excerpt. Vales. praemittam, *et ad perficiendum id, quod ſemel ſuſcepiſſet, ſingulari audacia praeditus, ſed in ipſo progreſſu aetatis longe tum ſe ipſo, tum externorum hominum exſpectatione, inferior.* Regnum Syro-Macedonicum quippe priſtinae, quin majori, dignitati ac potentiae reſtituit, ſed deinceps amore virginis captus, factus eſt ignavus, milites quoque otio et luxu fregit, ut ex Liv. l. XXXVI. et aliis conſtat, quando per Romanos regnum ejus valde eſt limitatum ac debilitatum. *Prioris* periodi glorioſae reſpectu figurari meruit per *cornu* alterum; prius enim eſt Seleucus Nicator, regni Syriaci, *auſtrum* et *ortum* verſus, omnia proſternens. Dan. VIII: 9. ſed *occaſus* nulla facta mentione; quatenus felices fuerunt; et glorioſae, ejus expeditiones contra populos orientales, et in AEgyptios, auſtrum verſus, unde elogium *Magni* accepit, ſed in Aſiam minorem, Thraciam, et Graeciam infelici, et ignominioſo, foedatae exitu per Romanos, ſicut Dan.

XI: 10—19. respectu utriusque periodi distincte fuit praedictum. De quo prolixe disserui in Diss. V. ad Dan. visa, et comm. ad Dan. XI. quare paucis defungar. Antiochus M. *superiorum regionum satrapias inperio suo adjecit*, verbis utor Polyb. l. XI., ut generalem regis et regni in priore periodo conspectum praemittam, *urbes maritimas*, et *omnes cis Taurum Dynastas subjecit*, *postremo*, *perculsis audacia et gnavitate sua omnibus subditis*, *non mediocriter stabilivit regnum*, *imo effecit*, *expeditione sua in Bactros*, *ut non solum Asiae*, *verum etiam Europae*, *populis inperio dignus censeretur*. Vid. etiam App. in Syr., ubi Antiochi praeclara facinora, quibus regnum Syriacum restituit, summatim exhibet: sic et Liv. l. XXXVIII. eum adpellat *regem opulentissimum orbis terrarum*; Nepos quoque de Regibus, *omnium ejus temporis potentissimum*. Antiochus, posteaquam Pergamenos ad proprii regni terminos per Acheum, ipse tunc adhuc juvenis, redegisset, Molonem et Alexandrum satrapas, illum Mediae, hunc Persiae, in regem rebelles, compressisset, arma contra Ptolemaeos, reges AEgypti, primo Philopatorem, dein Epiphanem, eo scopo vertit, ut regnum Syriae, cujus partem adhuc tenebant Ptolemaei, sibi totum redderet, praeterea Coelesyriam et Palaestinam, Ptolemaeis adhuc subjectam, regno suo adjungeret. Quae expeditiones primae et ultimae fuerunt prosperrimae, sed intermedia fatalis; et ordine ac perspicue descriptae sunt in vaticinio Dan. XI: 10—19. ut in Comm. exposui, et ex historia illustravi. Tres quidem suscepit expeditiones contra Philopatorem, Euergetis successorem, in Coelesyriam et Palaestinam, sed *prima* in fumum abiit per Theodotum AEtolum, illis regionibus, nomine Ptolemaei, praefectum; quare in vaticinio, tanquam parvi momenti, omissa est. Duae reliquae, vers. 10. sunt memoratae. *Secunda*, quae cum effectu *prima* est, post Molonem et Alexandrum Satrapas subactos, et Seleuciam, regi AEgypti ereptam, ac regno Syriae restitutam, ex voto successit. Theodoto enim a rege AEgypti, cujus

cujus luxum et mollitiem ferre amplius non poterat, deficiente, et Ptolemaidem ac Tyrum Antiocho tradente, reliquas Coelesyriae ac Palaestinae urbes maritimas, seu sponte deditas, seu expugnatas, brevi in potestatem redegit usque ad Doram, prope Carmelum; quam expugnare non potuit. Destitit etiam tunc a coepto, et inducias 4 mens. fecit cum Ptolemaeo, regnumque repetiit. Quo tempore intermedio de jure utriusque regni in Coelesyriam et Palaestinam disceptatum cum frustra esset, *tertiam*, vere cum effectu *secundam*, suscepit Antiochus, aeque prospere, quatenus Galilaeam et Peraeam subjugavit, ac ad Gazam usque, etiam expugnatam, omnia suae fecit ditionis. Vid. Polyb. l. V.

§. CCCCXV. Ptolemaeus hostili hac Antiochi invasione, et rapido progressu excitatus, torpore ac mollitie excussa, regno egressus, et *magno conducto in Graecia exercitu*, verba sunt Justini, *secundum praelium fecit, spoliassetque regno Antiochum, si fortunam virtute juvasset.* Praelio hoc ad Raphiam, inter Rinocoruram et Gazam, habito, Antiochus, insigni clade adfectus, in regnum reversus, pacem cum Ptolemaeo fecit, eique Coelesyriam ac Palaestinam reddidit, sesequre contra Acheum, qui, sibi insidias strui ab Antiocho intelligens, se regem creari passus erat, et Antiocho inminebat, movit, eumque dolo in manus accepit, ac occidit. Quo periculosissimo hoste liberatus, regiones orientis, quae a regno Syriae defecerant, recuperare adgressus est. Bello itaque petiit Arsacen, filium conditoris regni Parthorum, ejusdem nominis, Regem Parthorum, qui Mediam occupaverant, sed de successu desperans pacem cum eo fecit, concessa ipsi Parthia et Hyrcania, sub conditione, ut opem sibi ferret in reliquis regionibus, quae defecerant, subigendis. Hinc sese vertit contra Euthidemum, regem Bactriae, sed et cum ipso brevi pacem fecit, filio ejus quoque filiam suam dedit uxorem, et nomen regis ipsi reliquit. Deinde cum rege Indiae foedere renovato, et variis regionibus peragratis, omnibusque rebus magna pruden-

tia ubique in ordinem redactis, ingente Elephantorum copia acquiſita, rediit, poſt ſeptem annorum ſpatium expeditioni inſumtum, Antiochiam, ac celeberrimum nactus eſt nomen.

§. CCCCXVI. Cum hac ratione regnum, longe lateque diffuſum, ac firmiſſimum, reddidiſſet, magnamque ſibi conciliaſſet famam, animum rurſus adplicuit ad Coeleſyriam, Phoeniciam, et Palaeſtinam, regno ſuo adjungendam, ſimul vires regni AEgyptiaci penitus frangendas, quin in illud ipſum manus injiciendas. Quod cum, ſtatu regni AEgyptiaci plane conturbato, et infirmato per luxum et otium, nec non per regem minorennem Ptolemaeum Epiphanem, quatuor annorum puerum, qui Philopatori defuncto recens ſucceſſerat, non videretur difficile factu, ea occaſione mox adrepta, et foedere cum Philippo, Macedoniae rege, pacto, de regni AEgyptiaci provinciis unitis viribus oppugnandis, et occupatis inter ſe dividendis, Antiochus *primam* rurſus in Coeleſyriam ac Palaeſtinam ſuſcepit expeditionem, quam brevi tempore occupavit, deinde, *ſecunda* expeditione, Scopa, AEgyptiorum Duce, qui eas regiones receperat, ad Panium, prope fontes Jordanis, profligato, omnes illas terras ſibi in perpetuum ſubjecit; ſed quas deinceps dotis inſtar, cum filia Cleopatra, reddidit Ptolemaeo Epiphani, ut eo praetextu, et filiae ope, AEgyptum ſui faceret juris, ac ſibi in bello cum Romanis, quod jam in animo habebat, adjungeret, teſte Appian., erat enim regnum AEgypti ſub tutela Romanorum. Qua ſpe dein dejectus, arma vertit in Europam, belloque cum Romanis inplicitus, infelici fortuna uſus eſt, magna etiam regni parte orbatus. Quam hiſtoriam, ex Polyb., Livio, et Juſtino, repetendam, pericopa prophetica Dan. XI: 13—18 ordine depingit, ut in Comm. adſtruxi et fuſius expoſui, et ex hiſtoria illuſtravi. Quae hic non repetam. Tantum memorabo, Antiochum, rebus cum Epiphane peractis, reſumſiſſe expeditiones in Thraciam ac Graeciam, praetextu libertatis iis adſerendae, ſed vere,

ut sibi eas subjiceret; easque infelicissime successisse. Victus enim et profligatus a Romanis, primum duce M. Acilio, vel Attilio, Glabrione, ad Thermopylas in Graecia, dein, ducibus Scipionibus, in Asia circa Magnesiam ad Sipylum montem, infamem pacem facere coactus est, Graecia non tantum et Thracia mulctatus, sed et Asia Minore, regno ejus intra Taurum montem concluso, et gravi onerato tributo. Quam notabilem posterioris periodi ejus historiam, ex App. in Syr., Liv. l. XXXVI.; Justin. l. XXXI. Plut. in Catone, M. Floro l. II. et aliis notam, Dan. c. XI. 18. his verbis praedixit, *et iterum vertet faciem ad Insulas, capietque multas, et sistet opprobrium ejus ipsi Dux decisor* etc. seu Inperator Romanus, ut in Comm. exposui.

§. CCCCXVII. Tandem, cum gravi tributo esset a Romanis oneratus, seu inopia pecuniae compulsus, seu avaritia sollicitatus, ultimas regni in oriente partes penetravit, ac Elymaeos adgressus est, et Jovis Elymaei, ut Justinus habet, vel, ut Diod. Sic., *Beli*, quod idem Numen est, Templum spoliavit, quando, *concursu insularium*, ut Justinus, vel a *finitimis barbaris*, ut Strabo l. XVI., cum militia est *interfectus*; quo inpletum est, quod Dan. XI: 19. de ipso fuit praedictum, *et retroaget vultum suum ad perfugia suae terrae, et offendet et cadet*. De quo in Comm. dixi uberius. Regnavit ann. 36, et successorem habuit Filium *Seleucum*, Patri dilectum, et propterea dictum *Philopatora*; principem ignavum, avarum, et nulla re clarum; qui *otiosus et infirmus*, teste App. Alex., regnavit, nullis bellis, nullis concertationibus cum rege Austri, de Coelesyria et Judaea, inplicitus, denique miseram quoque sortem, post inglorium regnum in fine, sicut Pater, adeptus. Insurrexit enim in eum, tributis colligendis, et thesauro regio, praefectus, Heliodorus, regni invasor, et occultis insidiis eum nefarie trucidavit, ut App. memoriae prodidit. Quod ipsum Dan. XI: 20. praedictum fuit, his verbis, uti vertenda sunt: *et stabit contra stolonem ejus*, (filium Antiochi M.) *transire*

faciens exactor Majestatem regni etc. (scilicet Majestatem regiam in stirpe ejus delens.) De quo pluribus in Comm. exposui. Praefuit tantum 11, vel 12 ann. Invaserat quidem hic ipse Heliodorus, rege occiso, regnum, sed ab Eumene et Attalo, Pergamenorum regibus, expulsus est, et Antiochus Epiphanes in throno collocatus, ut refert App. Quo retuli in Comm. et exposui verba v. 21. et *stabit contra stolonem ejus* (scilicet alterum Antiochi M. filium, ut et ei eripiatur regnum, sicut Seleuco contigerat) *ignominiose tractatus*, nec *dabunt ei decus regni* etc. (scilicet ipse ille, Heliodorus, qui, contumeliose rejectus, Majestatem regni nullo modo consequetur) Sensus ex mea opinione huc redit. Idem ille *exactor* iterum contra alium ejusdem regis septentrionis, Antiochi M., filium se obfirmabit, sed longe alio eventu, non enim nunc *transire faciens decus regni*, sed ipse, contumeliose rejectus, Majestatem regni non consequetur. Veniet enim ipse *stolo*, seu filius, in opulentam fortunam, et regnum, difficillimo licet tempore, vaferrimis etiam artibus, reddet quam firmissimum. Hac ratione *Antiochus*, jam in itinere, Roma, ubi obsidem degerat, dimissus, Syriam versus, ope Pergamenorum, qui ipsum sibi devincire, et regno Syriae succurrere, voluerunt, ad regnum pervenit, et pronis est a populo receptus animis, quare ἐπιφανὴς *Epiphanes*, seu *Deus praesens*, cognominatus est, quod, *peregrinis regnum usurpantibus*, quae Appiani verba sunt, *avitae ditionis adsertor exortus suis adluxerit*. Unde patet, quam male prius v. 21. membrum, modo memoratum, ad eum referri soleat. De quo abunde disserui in Comm. ad Dan. Sensum vero tituli *Epiphanis* esse, quem dedi, intellecto nomine Θεὸς *Dei*, dudum a doctis, Ez. Spanhemio Num. Diss. VII. Vaillant Hist. Regum Syr., et H. Valesio ad Eus. H. E. l. II. observatum et adstructum est. Praestitit sese in regno varium, ita ut *quaedam ejus facta*, teste Diod. Sic. in Excerpt. Valesii, *et consilia, prorsus regia fuerint, atque admiratione digna, quaedam contra abjecta adeo et vilia,*

ita, ut ab omnibus sPernerentur; quorum nonnulla specimina ibid. profert, ut et Polyb. in excerpt. Valef. qui eum propteria ἐπιμανῆ *insanum* fuisse dictum refert: praeterea *vaferrimum* fuisse, gesta in AEgypt., crudelem ac saevum tyrannum, facinora in Judaeos, comprobant, qualem fuisse tradit quoque Ammian Marcell. l. XXII. opum denique et divitiarum corrasorem, spreta Deorum reverentia, fana ab ipso spoliata satis arguunt. Quae omnia ex Dan. visis c. VI et VIII. de *parvo cornu*, et nuda prophetia c. XI: 22—39., ubi de ipso prolixe agitur, comprobantur; sicut in Dissert. et Comm. fusius exposui.

§. CCCCXVIII. Expeditiones ejus in AEgyptum, quae, praeter persecutionem et adflictionem Judaeorum, de quo postea suo loco, praecipuam historiae ejus partem faciunt, fuerunt non *tres*, ut putatur, sed *duae*, distincte enarrandae. In priore expeditione, ann. aer. Seleuc. 142. suscepta, ut recte advertit Jungman. ad Dan. l. I. sect. 2. et Dan. XI: 25. praedicta, Antiochus ab AEgyptiis irritatus, quod Coelesyriam repetere, et manu vindicare, voluerint Eulalius et Leneus, regis minorennis tutores, et regni administratores, nulla facta mora, in ipsam AEgyptum validis cum copiis tanto irruit successu, ut exercitum AEgyptiacum, valde copiosum, prostraverit, Regique ignavo, Ptolemaeo Philometori, tantum incusserit terrorem, ut sese ipsi cum regno tradiderit. Quae historia repetenda est ex Polybio Excerpt. Legat., Diod. Sic. Excerpt. Valef., Liv. l. XLII. 1 Macc. I: et 2 Macc. V: 1., Josepho Ant. XII. et Porphyrio apud Hieron. ad Dan. Quo facto, cum Alexandrini Ptolemaeum Euergeten, fratrem regis, ipsi deposito sufficerent, cujus rei etiam meminit Porphyrius in Graecis Eusebianis Scaligeri, et praedictio exstat Dan. XI: 25, 26. his verbis, male separatis, *quia cogitabunt contra ipsum cogitationes, et qui delicatam ejus farturam comedunt ipsum confringent*; ut in Comm. docui, nova Antiocho nata occasione regnum AEgypti rapiendi, praetextu Philometorem, quippe

pe quem in clientelam susceperat, restituendi, illud mox magno inpetu est adgressus, nec sine successu in initio: copias enim navales Alexandrinorum fudit, Memphi sedes fixit, seseque AEgypti Dominum gessit; denique Alexandriam, quae sola restabat, obsidione cinxit. Sed, cum eam expugnare non posset, foedere fraudulento cum Philometore pacto, et rebus AEgypti dispositis, inde discessit: quando Philometor, ab Antiocho deficiens, cum fratre et Alexandrinis est reconciliatus. Quam historiam ex Polybio, Livio, Justino, et Porphyrio, supra citatis, repetendam, Daniel ibid. v. 26 et 27. praenunciavit: pertinent enim verba non ad praelium cum Philometore, sed ad bellum cum Euergete, alias Physcone; ut ad l. c. docui. Rebus hac ratione in AEgypto dispositis, et foedere cum Philometore inito contra Alexandrinos, ac fratrem Ptolemaeum minorem, ut fratres sese mutuo bello adtererent, Syriam repetiit Antiochus, multis ditatus spoliis: sed in itinere per Judaeam, maligno et avaro adfectui litans, Hierosolymam invasit, adflixit, et spoliavit; uti v. 28. praedictum exstat. Antiochum, moenibus Alexandriae frustra tentatis, et bello relicto Philometori, quocum foedus pepigerat, Syriam versus tetendisse, antequam coactus fuerit a Romanis AEgyptum relinquere, ex Livio l. XLV. et aliis, clarissimum est. Mentio quoque reditus ejus, et adflictionis Judaeorum tunc factae, 1 Macc. I: 20. ubi epocha figitur in ann. aer. Seleuc. 143 cui Jos. Ant. XIII. consentit. Quid vero occasionem violentae invasionis Hieros. praebuerit, quidve ibi patraverit, ex Jos. l. c. eruendum est, et postea proferam.

§. CCCCXIX. Antiochus in patriam redux, cum audivisset, fratres secum esse reconciliatos, et una regnare Alexandriae, spe itaque, quam de illis, se invicem debilitaturis, conceperat, frustratus, denuo movit in AEgyptum, ut eos ambo oppugnaret, et regnum AEgypti sibi vindicaret, sed quod ipsi pessime cessit. Legati enim Romanorum,

rum, quorum primus erat Popilius Laenas, qui ad Leusinem, quatuor milliaria distantem Alexandria, occurrerunt, jusseruntque, nomine populi Romani, ut discederet, cumque responsum vellet differendum, circulo circum scripto postularunt, ut intra eum maneret, donec responsum tulerit: qua fractus audacia, et metu perculsus, se obsecuturum dixit, et e vestigio inde discessit. Vid. praeter Jos. Ant. XII. Valer. Max. l. VI. Vellej. Pater. c. I. Polybius excerpt. legat. Liv. XLV. App. Syr. Just. XXXIV. et Porphyr. apud Hieron. Quod ann. aer. Sel. 44to accidisse recte demonstravit Jungman. ad Dan. l. cit.; et eo referendum esse Dan. XI: 29, 30. in Comm. exposui. Ceterum vulgata habet opinio, in verbis Dan. *non erit sicut prius ita et posterius* praecipue fundata, hanc *tertiam* fuisse Epiphanis in AEgyptum expeditionem, *priore* in duas divisa. Sed nusquam duplicis ante hanc, *alterius* ad AEgyptum superandam, *alterius* ad Philometorem sedi suae restituendum, occurrit mentio apud probatum Historicum; contra, narrantur omnia, quae ante hanc ultimam acciderunt, una serie, possuntque etiam recte in unam eandemque expeditionem conferri, ut Valef. ad Excerpt. Diodori, et Jungman. ad Dan. jam viderunt. *Primae* quoque expeditioni, qua AEgyptum percussit, diserte subjungitur prima Judaeorum vexatio 1 Macc. I: 20. Adpellat quidem autor 2 Macc. V: 1. *secundam* expeditionem, sed ultimam omnino in oculis habuit, ut ex calamitate eam secuta, et ibi memorata, elucescit. Eadem quidem mala sunt, quae autor 1*mi* lib. Maccab. primae subjungit expeditioni, sed duae diversae infestationes ab autore permistae sunt. Nec Dan. XI. plures duabus expeditiones memorantur, ut in Comm. fusius exsecutus sum: quod hic non est repetendum: tantum obiter observo, phrasin, *non sicut prius, ita et posterius*, simpliciter stylo Hebraeo denotare, posteriorem fore priore longe infeliciorem expeditionem, ut l. c. demonstravi.

§. CCCCXX. AEgypto egressus, qua ratione furorem in Judaeos effuderit, primum ipse, dein per duces et milites, cum postea sit enarrandi locus, hic non abs re fuerit observasse, quod ad indolem ejus, et rationem, quae ipsum ad Judaeorum religionem exstirpandam movit, cognoscendam facit, simul faciliorem intellectum pericopae Dan. XI: 37. praebet, Antiochum, insignem fallendi artificem, in Deorum cultu specie sese antea praebuisse splendidum, de quo notabilis exstat Livii l. XLI. et Polyb. apud Athen. l. V. locus, post infestationes Judaeorum, eorumque religionis oppugnationem, larvam deposuisse, et Numinum venerationem nullo apud se loco esse clarissime demonstrasse. De quo Propheta, in omnibus accuratus, per ipsum narrationis propheticae ordinem, nos admonuit, et Historia testatur: uti in Comm. ad Dan. XI: 37.— fuse explanavi: quare paucis defungar. Voluit quidem, ut ad Graecorum religionem totus suus orbis sese conformaret, 1 Macc. I: 41, 43. simulacro quoque Jovis Olympii in Templo Hierosol. erecto, ib. 54. et 2 Macc. VI: 2. Sed hic purus erat praetextus, sola Judaeorum Remp. destruendi occasio, vera ratio erat superbia, et dominandi libido, ac avaritia regis, uti ad Dan. XI: 24, 28 et 30. demonstravi. Antiochum, ut illud unum memorem, *pecuniis indigentem, transgressum foedera Judaeorum, et spoliasse Templum, auro argentoque plenum*, historicos Gentiles testari adserit Jos. contra Apion. l. II., nominatis quoque scriptoribus. De Templis plurimis ab ipso spoliatis testimonium quoque perhibet Polyb. apud Athen. l. V. cujus illustre specimen in ludis, ad Daphnem ab ipso exhibitis, memoriae prodidit Polyb. ibid., addens regis scopum fuisse, AEmilium Paulum, Romanorum Imperatorem, *largitionibus, operumque magnitudine, antecellere*. Alia, ex Comm. ad Dan. petenda, mitto, et ad ultimum sacrilegii facinus, ipsi exitiale, pergo. Opum, temere et ambitiose dissipatarum, penuria pressus, ad solitas artes Templorum spoliandorum sese recipiens, movit cum

exercitu

exercitu in Persiden, seu Elymaida, Templum Dianae vel Veneris, divitiis refertissimum, spoliaturus: sed, a sacerdotibus ac civibus fortiter repulsus, pedem cum clade ac ignominia retulit, ac in itinere, teterrima plaga inflicta divinitus, infelicem animam multos inter cruciatus efflavit, posteaquam felicissimum Maccabaeorum successum, et sacra a Juda instaurata, audivisset. Quam historiam non Judaei tantum, sed et Gentiles referunt scriptores, non nisi in parvi momenti circumstantiis discrepantes, 1 Macc. VI, 2 Macc. I et IX. Jos. Ant. l. XII. Polyb. in Excerpt. Vales. et apud Jos. l. c. Diodor. Sic. apud Hieron. ad Dan. et Appian. in Syr. Vid. Comm. noster ad Dan. XI, 25. Irae divinae, sibi incumbentis, signa ipse agnovisse traditur 1 Macc. VI. nec latuerunt scriptores Gentiles. Templo Dianae violato, refert Polyb. l. c. ipsum insania fuisse correptum ob quaedam *signa* atque *ostenta*, *quae ob violatam religionem Templi ab infensa Numine edita erant*; rectius dixisset a Deo Israelis, ob religionem ejus tyrannice oppugnatam: ut Jos. Ant. XII. observavit. Miserabile, sed persecutore religionis dignum, fatum ipsi contigit ann. aer. Seleuc. 149, 1 Macc. VI: 16. cum regnasset ann. 12.

§. CCCCXXI. Regni AEGYPTI, ut regni istius generalem paucis dem notitiam, quod restat, conditor et primus Rex fuit *Ptolemaeus*, Lagi filius, unde *Lagi* dictus, et successores ejus Lagidae, alias etiam *Soter*, ob singularem virtutem in *servandis* sociis, adpellatus a Rhodiis, qui ipsi quoque, tanquam Numini sospitatori, Templum dicarunt, dictum *Ptolemaeum*, ut Diod. Sic. l. XX tradit. Princeps fuit humanus, liberalis, et studiorum fautor, qui Bibliothecam Alexandriae instruere coepit, quam Philadelphus, ejus filius, dein splendidiorem ac ampliorem reddidit. Praefectus primum AEgypti, statim post mortem Alex. M., deinceps 17 ann. post regis titulum cum aliis adsumsit, ut supra suo loco narravi; regnum strenue non tantum contra invasores tuitus est, sed et amplificavit, *Coele-Syria* et Palaestina,

cum aliis regionibus, adjecta, simul more Gentilium ornavit, Deo Pontico in AEgyptum translato, ac *Serapide* dicto, antea in AEgypto ignoto, praeterea turri alta, et lata, in insula Pharo, haud procul Alexandria, in usum navigantium condita per Sostratum Cnidium, denique Alexandriam civibus, undiquaque collectis, inter quos multi fuerunt Judaei, replevit, et privilegiis honoravit. Ptolemaeum, filium Berenices, praeterito Ptolemaeo Cerauno, filio Arsinoes, biennio ante mortem sibi adjunxit, et successorem declaravit, quo addito biennio regnavit ann. 40 completos. Reliquit regnum florentissimum, et longe lateque extensum, ita ut, praeter AEgyptum et Libyam, comprehenderit Syrophoeniciam, Palaestinam, Arabiam, AEthiopiam, Pamphiliam, Liciam Cariam, et aliquas insulas Cycladis; ut patet ex Theocrit. Idyll. 17.

§. CCCCXXII. Successit itaque, jam ante Patri adsociatus, *Ptolemaeus* dictus *Philadelphus*, sive ironice, quia duos fratres, conspirationis praetextu, neci dedit, sive quod Arsinoen uxorem, simul sororem suam, perdite amaverit, princeps quoque multis nominibus laudabilis, licet a gravibus vitiis non inmunis. Praeterquam enim quod veneri nimium fuerit deditus, et corpus enervaverit, nomini suo notam inussit, fratres, ut dixi, occidendo, ut et Demetrium Phaleteum, egregium principem, eam tantum ob rationem, quod Patri dissuaserat regnum in Philadelphum conferre, excluso Ceranno, licet primogenito. Sed regnum egregie tuitus est contra Magam, fratrem uterinum, Libyae et Cyrenes praefectura ope matris donatum, et, in regnum suum irruentem, nec non contra Antiochum Soterem, a Maga, qui filiam ejus duxerat, incitatum; et, ut Pausan. in Attic. tradit, ejusque successorem Antiochum Deum; qui bellum a Patre inceptum, sed interruptum, renovasse videtur, qua ratione Pausanias cum Hieronymo in concordiam redigi potest: refert enim Hieron., qui vetusta consuluit monumenta, Antiochum Deum *gessisse bella quam plurima adversus Ptolemaeum*

um Philadelphum etc. ad quod molestum certamen finiendum, arcta est inita societas, filia Philadelphi Berenice Antiocho data in uxorem. De quo, ejusque funesto exitu, egi in historia Antiochi. Praeterea regnum vario modo ornavit, ac florentissimum et ditissimum fecit. Plurimas vel condidit, vel instauravit, urbes, iisque donavit varia privilegia: Vid. Theocrit. Id. XVII. Inter quas etiam duae celebres urbes fuerunt in Palaestina, ab ipso reaedificatae, Ace ad Occasum, et Rabba Ammonitarum ad ortum, quas de suo adpellavit nomine, priorem Ptolemaida, posteriorem Philadelphiam. Mercaturam AEgyptiorum insigniter promovit, eam ex India Orientali reddendo faciliorem, et fossam ex Nilo in mare Rubrum ducendo; qua ratione Tyro grave intulit damnum. Vid. Strab. l. XVII. et Plin. H. N. l. VI. Denique Bibliothecam summo studio instruxit, et auxit, et studiorum cultores honoravit, ac ad se adlicuit. Inter quos celebres poetae, Theocritus et Callimachus, clarus litterator Aristarchus, et Historicus iste Maneto, qui res AEgyptias scripsit. Libros quoque Judaeorum, seu V. T., saltem 5 Mosis, in linguam Graecam verti curavit: quae versio audit LXX Interpretum: cujus historiam postea tradam. Praefuit ann. 38 post mortem Patris.

§. CCCCXXIII. Excepit Ipsum filius *Ptolemaeus*, a magnis in subditos meritis *Euergetes* adpellatus; sub quo regnum mirabiliter fuit prosperum, ejusque pomoeria longe lateque sunt extensa. Tenuit enim Euergetes, praeter regnum sibi a Patre relictum, totam fere Asiam, et Minorem maximam partem, et Majorem usque ad Indiam, regna quoque omnia, cis et trans mare Rubrum, seu sinum Arabicum, usque quo in Oceanum influit, AEthiopas et Arabes. Expeditiones suscepit multas et felicissimas, praecipue in Regnum Syriacum sub Seleuco Callinico, ad sororis necem vindicandam. Cujus notitiam dedi in historia Regum Syriae. Expeditiones ejus conservatae sunt in monumento

Adulitico, quod e Cosma Indopl. a variis excerptum, summa cura editum est a Montefalconio in nov. Collect. Patrum, et Fabricio B. Gr. l. III. Exstat etiam apud Chifhul. in Antiq. Asiat. Ceterum notari meretur, Jos. contra Ap. l. II. tradere, Euergeten, *tota Syria vi et armis occupata, non Diis AEgyptiis sacra fecisse, sed, cum Hierosolymam venisset, multas hostias, sicut nostri moris est, Deo immolasse, et donaria, victoria digna, dedicasse.* Quae num per omnia sint vera, nescio. Deo Israelis eum sacrificasse, et donaria dedicasse, facile crediderim, sed Diis AEgyptiis nulla fecisse sacra, minus credibile videtur de rege, qui ob Numina AEgyptiaca restituta titulum *Euergetis* accepit, quique se, in monumento Adulitico, *Deorum sospitatorum* nepotem, e paterno genere *Herculis*, et materno *Bacchi*, sobolem esse gloriatur, et *Adulen* descendisse Jovi, Marti, et Neptuno sacrificatum, declarat: uti ad Dan. XI: 7—9. jam observavi. Denique in laudem ejus notari meretur, eum ab Aristarcho eruditum, et quavis scientia inbutum fuisse, Bibliothecam quoque Alexandrinam auxisse, eique praefecisse Eratosthenem Cyreniacum, eruditionis fama celebrem, et autorem catalogi regum Thebanorum in AEgypto, qui superest. Hunc tam laudabilem regem fuisse a filio e vivis veneno, una cum uxore, sublatum, tradit Just. l. XXIX. sed qua fide non constat, cum nemo alius ejus meminerit, et Polyb. l. II. referat, eum aegrum fuisse factum et mortuum. Regnavit ann. 25.

§. CCCCXXIV. Hucusque regnum AEgypti fuerat prosperum et potens, sed cum morte Euergetis, omnem perdidit splendorem, et varie concussum est, prae mollitie, luxu, et tyrannide Regum, adeo ut sese non nisi Romanorum tutela, et extraneorum ope, tueri potuerit. *Omnes post tertium regem* (Euergeten) teste Strabone l. XVII. *luxu perditi, male rem administrarunt, omnium pessime quartus, et septimus, et ultimus Auletes.* Quartus iste, cujus meminit Strabo, est Euergetis filius et Successor *Ptolemaeus Philopator,*

pator, etiam *Tryphon*, ob luxuriosam vitam, dictus, ut et *Gallus*, quia in festis Bacchi solebat per plateas vagari cum corona hederacea, sicut Galli solebant. Vino, Veneri, luxuriae, et otio unice deditus, curam regni susque deque habuit, unice pendens a Sosibio, ministro primario, viro pessimo, et Agathoclea, nobili scorto, quae meretriciis artibus eum plane sibi devotum habuit, ejusque fratre Agathocle, ac Oninanthe utriusque matre. Plut. in Cleomene et Polyb. in Excerpt. In principio regiminis, instigante Sosibio, Magan fratrem neci dedit, et Cleomenem, Lacaedaem. regem, sed inde ejectum, ac sub tutela regum AEgypti degentem, non tantum non juvit, ut promiserat, sed carceri inclusit, et ad desperationem redegit, ut sibi manus intulerit, Plut. in Cleomene. Bello cum Antiocho M., cujus historiam supra suo loco dedi, glorioso praelio ad Raphiam per pacem initam finito, *contentus recuperatione urbium, quas amiserat*, utor verbis Justini, *pace facta, avide materiam quietis adripuit, revolutusque in luxuriam, occisa Euridice, uxore eademque sorore sua* (rectius Arsinoe, quae sua praesentia, et exhortatione, multum ad victoriam ad Raphiam contulerat) *Agathocleae meretriciis illecebris capitur; atque ita omnem magnitudinem nominis ac Majestatis oblitus, noctes in stupris, dies in conviviis consumit* etc. Concinunt verba Polyb. Lib. V. et in excerpt. Ceterum qua ratione sese erga Judaeos in Judaea et AEgypto gesserit, post suo loco narrabo. Regnavit ann. 17.

§. CCCCXXV. Reliquit filium minorennem *Ptolemaeum Epiphanem*, sub tutela primarii ministri Tlepolemi, cui cum factio Agathocleae insidias strueret, ut gubernationem regni raperet, res aliter cecidit, et tota illa factio a populo est, tumultu concitato, exstirpata: quando brevi post, occasione legationis Romanorum ad Epiphanem, tutela regis et regni oblata est Romanis, ac ab iis suscepta, administratione regni commissa Aristomeni Acarnanensi, viro perito et strenuo, qui officio praeclare functus est: adeo ut eo superstite,

perstite Rex praeclare administraverit: verum ad regni gubernationem, ann. 14 natus, admotus, et ab adulatoribus corruptus, Aristomenem veneno sustulit, et efferatus, ut Diod. Sic. in Excerpt. Valesii dicit, *tyrannicam saevitiam, non regiam potestatem, sectatus est:* a quo tempore in odium populi incidit, adeo ut, eodem autore teste, *parum afuerit, quin regno excidisset.* Sedato tumultu per Policratem, primarium factum ministrum, principes viros, qui contra ipsum conspiraverant, contra datam fidem, obtruncavit. Tuitus dein sese est per amicitiam cum Romanis, quam constanter coluit, non obstante, quod Antiochus M., filia Cleopatra ipsi, cum dote Coelesyriae et Palaestinae, in uxorem data, omni ope a Romanis conatus fuerit abstrahere, ipsa etiam Cleopatra marito contra Antiochum, et in Romanorum favore conservando, adfuit: ut in historia Antiochi observavi, et in Comm. ad Dan. XI: 17.; ubi prophetiae de hoc ipso casu explicationem dedi, et inplementum demonstravi. Dein, mortuo Antiocho M., *insidias struxisse* dicitur, apud Hieron. ad Dan. ex Porphyrio, Seleuco Philopatori, filio ejus, et *exercitum contra eum praeparasse:* cujus ratio inde videtur repetenda, quod Coelesyriam et Judaeam, ab Antiocho M. dotis nomine Ptolemaeo promissam, retinuerit Seleucus, vel, si antea fuerit tradita, recuperaverit. Utique nullo constat indicio, eas regiones unquam in potestate Ptolemaei fuisse. De quo Vid. Comm. noster ad Dan. XI. §. 79. Tandem regnum et vitam per violentiam, et tyrannidem, suam perdidit. Rogatus, *unde pecuniam acciperet*, respondit, ut Hieron. ex Porphyrio refert, *sibi amicos esse divitias. Quo responso divulgato in populis*, verba sunt Porphyrii, *timuerunt duces, ne auferret eorum substantiam, et idcirco ipsum maleficis artibus occiderunt*, Regnavit ann. 24.

§. CCCCXXVI. Ultimus hujus intervalli rex est *Ptolemaeus*, ob gratum erga matrem, quae spatio octo annorum, tempore minorennitatis ejus, regnum prudenter administraverat,

verat, animum, adpellatus *Philometor*, dein male, mortua matre, per primarios regni ministros Lenneum et Euleum educatus, ignavum se initio praestitit et effoeminatum: qualem sese gessit in priore expeditione Antiochi Epiphanis in AEgyptum, cui sese cum regno tradidit: uti in historia Epiphanis narravi. Resumsit tamen postea animum magis regium, ac cum fratre Ptolemaeo, Physcone, a crasso et pingui corpore, cognominato, rege constituto Alexandriae, reconciliatus, Epiphani ope Romanorum restitit, ita ut AEgyptum coactus fuerit deserere, et una cum fratre concorditer regnare coepit, uti supra suo loco memoravi. Reliqua nunc strictim persequar. AEgyptiacum regnum, ab omni metu Antiochi liberatum, et duobus regibus subjectum, brevi post scissum est in factiones per Physconem, qui, fratrem amplius non ferens, eum throno deturbavit: sed Romanorum intercessione, quam Romam adiens in Senatu inpetravit Philometor, fratres hac ratione concordes rursus facti sunt, ut Philometor AEgypti et Cypri rex esset, Physcon Libyae et Cyrenes, uterque sui juris, et independens. Sed Physcon, princeps ambitiosus, hac divisione non contentus, Cyprum fratri adgressus est eripere. Quando, causa coram Senatu Romano discussa, Physconi fuit Cyprus adjudicata, contra superius pactum, juramento confirmatum, quia Senatus Rom. e re sua esse judicavit, regem AEgypti debilitari, cui Philometor obedire recusavit. Erupit itaque concertatio in bellum inter fratres, Physconi funestum; praelio enim in ipsa insula habito, inferior discessit, et ipse in manus Philometoris venit: qui tantum abest ut eum poena, qua ob facinora tyrannica plurima dignus erat, adfecerit, ut pro placida sua et benevola indole, quam Polyb. in Excerpt. Valesf. ipsi tribuit, regno Libyae et Cyrenes restituerit, additis etiam aliis regionibus loco Cypri, et filia sua ipsi in uxorem oblata. Quibus peractis, Demetrio, regi Syriae, infensus, quod Cyprum ab Archia, praefecto Cypri a se constituto, pecunia corrupto,

sibi vindicaverat, foedere cum Pergameno et Cappadoce regibus inito, subornavit. ipsi aemulum regni Alexandrum Balam, fictitium Epiphanis filium, qui regnum Syriae rapuit, filia quoque Philometoris ducta. Sed brevi post cum Alexander sese conspirationis in Philometorem suspectum reddidisset, ipsum bello adgressus est; praelio prope Antiochiam habito, superior quidem fuit, verum vulneratus est, et brevi post mortuus. Regnavit ann. 35. Quam benigne sese erga Judaeos gesserit, postea narrabo.

HISTORIA POPULI JUDAEI

§. CCCCXXVII. Hisce de Alexandro, et regnis post ipsum ortis, in primis Syriae et AEgypti, praemissis, historiam populi Judaei in Cananaea pertexam, per successiones Pontificum, et status eorum, cum civilis tum Ecclesiastici, dabo conspectum. Cum Pontifices fuerint supremi in civitate et Ecclesia rectores, ut ex Jos. et libris Maccab. constat, per eorum successionem historia recte traditur, sicut in populorum historia per Reges fieri solet. Petenda vero haec successio est ex Josepho, Chronico Alexandrino, et Eusebio Dem. Eu. l. VIII. Superfuit adhuc *Jaddua*, vel Jaddus, ordine Sextus a captivitate Babylonica finita, et hujus intervalli primus, prudentia et studio religionis insignis, et duobus casibus, postea suo loco illustrandis, celebris, *uno* quod Manassen fratrem, quod filiam Sanballati duxisset, pontificatu indignum declaravit, et expulit, qui postea Templum in monte Garisin condidit, *altero*, quo Alexandro M., Hierosolymam animo infesto tendenti, obviam cum vestitu Pontificali, et insigni comitatu, ivit, eumque placavit, ac Judaeis faventiorem fecit. Tribuuntur ipsi anni 24. Successit ipsi *Onias I.* sub quo Ptolemaeus Lagi sabbato ingressus est Hierosolymam, Templum spoliavit, et multos abduxit Judaeos, sed clementius eos habuit Seleucus Nicator, Alexandrum imitatus. Excepit ipsum, post

poſt 22 annorum Pontificatum, *Simon I.*, *juſtus* adpellari, ob juſtitiae ſtudium, ſolitus, quem aliqui pudendo parachroniſmo cum Simone, Luc. II. confuderunt. Traditio Judaica habet, eum fuiſſe ultimum virorum 120 Synagogae M., unde Vir eximie Doctus Prideaux colligit, Canonem V. T., ab Eſra inceptum, per Simeonem fuiſſe completum, additis libris Chron., Eſrae, Nehemiae, Eſtheris et Malachiae. Quod ſolido caret fundamento; ut et, poſt ipſum coepiſſe *traditionum* ſtudium invaleſcere, et Doctores, ſic dictos *Miſchnicos*, fuiſſe ortos. Praefuit ann. 11. Reliquit quidem filium Oniam, ſed infantem, adeoque ſucceſſorem habuit fratrem *Eleazarem*; ſub quo Verſio Graeca V. T. eſt confecta, de quo poſtea: praefuit ann. 23. Succeſſit, praeterito adhuc Onia, quia minus aptus tanto muneri cenſebatur, utique Joſ. Ant. XII. eum dicit fuiſſe βραχὺν τὴν διάνοιαν, *Manaſſe*, patruus Eleazaris, per ann. 26, quando tandem *Onias II.* Pontificatum accepit, per ann. 6, ſed male adminiſtravit, et populum per avaritiam ac ſocordiam ſuam in magnas conjecit anguſtias, ſub Ptolemaeo Philopatore, et non, ut Joſ. habet, ſi non ſit corruptus locus, quod probabilius, cum alias ſibi ipſe contradiceret, ſub Euergete, ut Vir Doctus ad Marm. Oxon. p. I. jam demonſtravit. Neglexerat Onias, prae avaritia, et pecuniarum coacervandarum in proprium uſum ſtudio, regi tributum 20 talentorum annuum pendere, eoque ſibi et populo concitaverat iram Regis, qui, miſſo Legato, tributum, ſub gravibus minis, poſtulaverat, abſque ut Onias aures praebuerit. Quo rerum ſtatu populo ſuccurrit Joſephus, nepos Oniae, juvenis quidem, ſed prudentia ac juſtitia jam vir celebris, et populo gratus. Qui, cum Oniae avaritiam ac ſocordiam fruſtra excutere tentaſſet, ipſe populi conſenſu AEgyptum petiit, poſtquam legatum Regis ſua comitate et liberalitate ſibi devinxiſſet, Regem adiit, et ſat copioſa pecunia mutuo accepta, ac regi data, ipſum non tantum placavit, ſed ſeſe adeo in gratiam ejus inſinua-

vit, ut publicani ſupremi munus per Coeleſyriam, Phoeniciam, Judaeam, ac Samariam, nactus fuerit, vectigalia earum regionum per 20 tenuerit annos, ingentemque pecuniae ſummam, hac ratione, acquiſiverit. Addit Joſ. Ant. l. XII. populum Judaeum, ab eo tempore per Joſephum incepiſſe ex paupertate, ac rerum tenuitate, emergere, ac *in ſplendidiorem vitae ſtatum fuiſſe perductos.* Ceterum, hujus Joſephi filius Hyrcanus, poſtea a Judaeis ex odio et invidia expulſus, ſtatum ſuum ultra Jordanem adhuc diu, uſque ad Antiochum Epiph., tuitus eſt, quem cum metueret, ſibi mortem conſcivit, et Antiochus ejus opes ſibi rapuit: ut Joſeph. tradit.

§. CCCCXXVIII. Longe melior vir fuit filius ejus et ſucceſſor *Simon II.*, qui Pontificatus et religionis honorem mox in principio praeclare tuitus eſt contra Ptolemaeum Philopatora, qui victor e praelio cum Antiocho M. rediens per Judaeam, et Hieroſolymam viſitans, Deum Iſraelis, primo ſacrificiis et donariis honoravit, ſed mox audacior factus, ſanctuarium intrare conatus eſt, Pontifice, cum reliquis perſonis ſacris, precibus et minis, fruſtra renitente, ſed occulto verbere, et terrore injecto, repulſus eſt. Unde tantam concepit in totum populum Judaeum iram, ut eum per totum regnum deſtructum voluerit: initium fecit cum Judaeis in AEgypto, quos primum ad ſervilem redegit ſtatum, dein ad idololatricum cultum abſtrahere conatus eſt; quod cum non ſuccederet, in hippodromum Alexandriae, undequaque congregatos, incluſit, ut ab Elephantibus protererentur: ſed mirabiliter cum liberati eſſent, elephantibus furorem in armatos milites effundentibus, rex in alium mutatus Judaeis mirifice coepit favere. Quae mirabilis hiſtoria lib. III. ſic dicto Maccabaeorum narrata, ſi non tota conficta ſit, valde eſt ornata, et fabulis veſtita: ut facile adparet: accedit, Joſephum ejus non meminiſſe in libr. Antiq., nec reperiri in lib. contra Ap. niſi in Latina verſione Ruffini. Forte illud veri ſubeſt, quod Ju-

daei

daei in AEgypto fuerint, ficut haud una vice contigit, hoc tempore a rege, ebriofo ac luxuriofo, ob recufatum quoque introitum in fanctuarium irato, adflicti, et mirabiliter liberati. Quod verifimilius fit per bellum inteftinum regis cum AEgyptiis rebellantibus, inaudita crudelitate ab ipfo geftum, ut patet ex Polyb. in Excerpt. Valefii, cui Judaei quoque fuerint inpliciti. Ceterum hic ipfe Simon II*dus*, et non I*mus*, ut nonnullis videtur, eft, in cujus laudes fefe effudit Siracides Ecclef. cap. L. Vixit enim Jefus Sirach fub Ptolemaeo Phyfcone, et avus, autor libri, fub Ptolemaeo Epiphane. Praefuit ann. 23.

§. CCCCXXIX. Excepit ipfum filius ejus *Onias IIItius*, cujus filius eft, qui poftea Templum in AEgypto condidit, de quo poftea. Functus eft munere fuo praeclare et pacifice per aliquot annos, donec turbatus fuerit per Seleucum, filium Antiochi M., qui cum ab Apollonio, praefecto Coelefyriae et Palaeftinae, cui illud patefecerat, Simon aliquis Benjaminita, praefectus Templi vel thefauri ejus, proditor aerarii factus, ut aegre faceret Oniae, cui erat infenfus, refciverat, ingentes in Templo adfervari thefauros nullius ufus, eo mifit vel Apollonium ipfum, ut Jof. vel autor libri de Maccab. c. 4. tradit, vel Heliodorum thefaurarium, ut 2 Macc. III. habetur, ad pecunias eas fpoliandas: fed quod ipfi male ceffit, ab Onia enim fruftra deterritus, et in Templum irrumpens, vifione coelefti et oftentis terrore correptus, et humi proftratus, ac pro mortuo ablatus eft, fed valetudini precibus Oniae redditus, ad Regem vacuus rediit, et fatum fuum retulit; alium quoque mittere diffuafit regi, nifi eum perditum velit. Simon votorum compos non factus, traduxit ipfum Oniam, tanquam qui Seleucum ad id incitaverat, fimul factionem contra eum incitavit; quo Onias motus, ipfum adiit Seleucum, remque eo adegit, ut Simom fuerit in exilium actus, ut Euf. in Chron. refert. Deinceps, Antiocho Epiphane regnante, frater ipfius, Jefus primum dein Jafon dictus, in Oniam in-

surrexit, et, pontificatu ab Antiocho magna pecuniae summa emto, eum vel loco movit, 2 Macc. IV. et Pseudo-Josephus de Maccab. §. 4. vel ipsi mortuo successit, excluso filio ejus, ut refert Jos. Ant. l. XII: 5. Hic Onias, qui ann. 37. vel, ut Chron. Alex. habet, 24 praefuit, ultimus hujus intervalli fuit Pontifex, eo nomine dignus, vir justus et probus, sub quo civitas et religio statum egregie est tuita, 2 Macc. III et IV. post ipsum factus fuit Pontificatus venalis, et in manus inproborum, ac religionis patriae hostium, incidit, unde Epiphani quoque nata est occasio Judaeos persequendi; ut sequentia docebunt.

§. CCCCXXX. *Jesus*, fratre vel supplantato vel mortuo, artibus nefariis Pontificatum adeptus, sese totum ad Antiochi Epiphanis et Graecorum instituta, ac mores, conformavit, et regis gratiam continuis donationibus aucupatus est. Invexit etiam, quantum pote, Hellenismum in Judaeam, Graecorum numina, ludos, et sacra, tribulesque suos ad Graecorum ritus traduxit 2 Macc. IV. circumcisionem, Graecis invisam, abolere conatus est, ipsum nomen suum Jesum in Jasonem mutavit, et Antiocho in Templo spoliando opem tulit. Sed brevi post, vix dum expleto triennio, eadem arte, qua fratrem Oniam circumvenerat, et ipse supplantatus est ab *Onia*, postea, Graeco nomine adsumto, *Menelao* dicto, sive filio Tobiae, et fratre Simonis, cujus modo memini in historia Oniae, ut 2 Macc. IV. traditur, sive fratre Jasonis et Oniae, ut habet Jos. Ant. l. XII. cui cum aliis potius adcrediderim, maxime, ut ad Dan. XI: 23. jam notavi, cum fons erroris sese in eo offerat, quod Simeoni et domui Tobiae arcta videatur necessitudine fuisse conjunctus, ut ex ipso Josepho colligi potest. Quicquid sit, hic Menelaus, cum magna pecuniae summa ad Antiochum a Jasone missus, non ejus, sed suo nomine, eam Regi obtulit, et, addita adhuc alia summa, Pontificatum a rege inpetravit. Qua dignitate ornatus in patriam redux,

eam

eam in principio tueri non potuit, licet Tobiae factione stipatus, populo maximam partem se ei opponente: quare se cum sociis ad regem contulit Antiochiam, et, promissa abnegatione ac abolitione religionis patriae, et Graecanicae adsumtione, ac introductione, a rege sufficientem nactus militum copiam Hierosolymam rediit, et Jasonem expulit, qui ad Ammonitas secessit. Quo facto, vasa sacra Templi spoliavit, et, ad pecuniam, Antiocho promissam, consequendam, vendidit, ac cum ea summa petiit Antiochiam, cui Andronicus, rege absente, praeerat; qua spoliatione Oniae IIItio, qui ibi detinebatur, ad aures delata, ut 2 Maccab. IV. narratur, is rem divulgavit, et Judaeos Antiochenos in eum concitavit: cui periculo ut succurreret, Andronicum, pecunia corruptum, eo permovit, ut Oniam, qui Daphnen ad asylum confugerat, inde, promissa securitate, extraxerit, et nefarie occiderit; anno 37mo vel 24to pontificatus, ut modo notavi. Quae tam probi, simul Judaeis et Gentilibus honorati Antiochiae, viri caedes, ipsi Antiocho adeo displicuit, ut Andronicum morte puniverit, Menelao vero ingente pecuniae summa, nova spoliatione Templi corrasa, mollitus pepercerit non tantum, sed et legatos Judaeorum, qui Lysimachum, fratrem Menelai, Hierosolymae ab ipso, dum abesset, praefectum, Templi spoliatorem, tumultu facto, obtruncaverant, missos ad regem, ut causam suam defenderent, neci dederit. Quibus peractis Menelaus plenissime dominatus est Hierosolymae, et Hellenismum inter Judaeos introduxit ac sancivit, ejuratis legibus Mosaicis, reducto praeputio, et constructo gymnasio Ephebis Judaeorum, more Graecorum instruendis.

§. CCCCXXXI. Interea, dum Antiochus in AEgypto versaretur, bellum cum AEgyptiis gerens, ut in ejus historia narravi, et fama mortis ejus spargeretur, Jason, inter Ammonitas degens, opportunum ratus tempus dignitatem recuperandi, audacium virorum collecta turma, subito Hierosolymam tetendit, eamque, ope factiosorum, sibi faventium,

 tium,

tium, mox occupavit, Menelao in arcem se recipiente, et strage sibi adversantium replevit. Verum fama adventus Antiochi territus, inde rursus aufugit: a quo tempore per varia loca discurrit, et ubique spretus est, donec inter Lacedaemonios fatum invenerit, 2 Macc. V. Antiocho in Hierosolyma occupanda, et spolianda, opem tulit inprobus Menelaus, seseque in dignitate sua tuitus est, donec rerum facies per Judam Maccabaeum fuerit mutata; quando sese recipere debuit ad Regem Syriae, ubi ad mortem mansit, quam tandem subiit infamem, et sceleribus dignam. Judae enim felicibus progressibus excitatus Antiochus Eupator, cum Lysia, instigante Menelao, irruens in Judaeam, et clade a Juda inflicta repulsus, iram, incitante Lysia, in Menelaum, tanquam belli et malorum autorem, effudit, eumque teterrima morte, in puteum cinerum conjectum, e vivis abstulit: 2 Macc. XIII. Josephus Ant. XII. tradit, eum, tanquam omnium malorum, quae Judaeis evenerunt, autorem, *interfici* jussum esse ab Antiocho Eupatore. Delatus quidem deinceps est a Demetrio Rege Syriae pontificatus *Alcimo* cuidam, e genere quidem Sacerdotali, sed non Pontificali, viro aeque inprobo, et religionis patriae desertori, ac persecutori, sed haud diu tenuit: quatuor enim ann. post, cum interius Templi atrium dirui jussisset, divina plaga percussus inpiam efflavit animam *inter ingentes cruciatus*, referente autore 1 Macc. IX. Transiit tunc Pontificatus ad Maccabaeos, ut postea videbimus.

§. CCCCXXXII. Judaeos, durante hoc intervallo, ut ad statum eorum, ejusque qualitates, respectu libertatis ac prosperitatis, pergam, fuisse non sui juris, et liberos, sed serviles tributarios ac obnoxios, quod ante omnia observandum est, ex historia supra tradita facile elucescit. Sicut antea Persis, ita nunc primum Alexandro, dein Lagidis, denique Seleucidis, fuerunt subjecti, ac Coelesyriae accensiti. Qua ratione ab Alexandro M., devicto Dario, fuerint tractati, supra tetigi, mox, ubi de casibus laetis, vel tristibus,

tristibus, uberius exponam. Post Alexandrum, Antigono et Demetrio cum Ptolemaeo Lagi de Coelesyria, et Palaestina, contendentibus, et superatis, adjudicata est ea provincia, in divisione per Satrapas facta, Ptolemaeo Lagi, qui eam tenuit, et ad successores suos transtulit, qui eam tranquille possederunt usque ad Antiochum M. Syriae regem, qui eam sibi vindicare adgressus est sub Ptolemaeo Philopatore, a quo tempore continuae fere fuerunt inter Lagidas ac Seleucidas concertationes hostiles: uti in historia eorum regnorum narravi. Cum Antiochus M., partim armis, partim proditione, sibi eam subjecisset, Ptolemaeus Philopator, praelio ad Raphiam habito, eum profligavit, et Coelesyriam cum Palaestina recuperavit. Quo mortuo, Antiochus eam rursus eripuit Ptolemaeo Epiphani, sed et mox, pace cum eo facta, dotis vice cum filia Cleopatra ei reddendam promisit quidem, sed num dederit, non constat. Judaei quidem, tempore Antiochi, sese ei tradiderant, sub spe libertatis recuperandae, imo nonnulli Zelotae, ferventiore libertatis studio ducti, et tempus, quo promissa prophetica de florentiore rerum suarum statu post exilium Babyl. implerentur, adesse rati, a rege AEgypti ad Antiochum defecisse non contenti, consilia ceperunt de rep. sua in plenissimam libertatem adserenda: sed votorum non sunt facti compotes. Quo in comm. ad Dan. XI. retuli v. 14. *et filii effractorum populi tui ad stabiliendum visum efferentur, sed infirmabuntur*: ubi plura hac de re dixi. Coelesyriam vero et Judaeam mansisse Seleuco, filio et successori Antiochi M., subjectam, ex 2 Macc. III. et Polyb. Excerpt. Legat. manifestum est. De quo vid. comm. noster ad Dan. XI. 20. §. 79. Ptolemaeus dein Philometor bello constituit Antiocho Epiphani eas regiones eripere; quod occasionem praebuit invasionis Antiochi in AEgyptum: cujus historiam supra tradidi.

§. CCCCXXXIII. Res Judaeorum in Cananaea hoc intervallo fuisse tenues, et minus prosperas, ex dictis facile

praesumitur, sed variis indiciis sese prodit. Alexander eos benigne tractavit, et varia iis dedit privilegia, ut et deinceps Ptolemaei tres primi, Lagi, Philadelphus, et Euergetes, ut ex Josepho constat, sed deinceps magis vexati sunt et adflicti, ita ut in paupertatis adhuc statu fuerint sub Ptolemaeo Philopatore; adeo ut ad tributum ipsi solvendum vix mutuo accipere potuerit 7700 florenos Joseph filius Tobiae, sub Onia II. Pontifice, sicut in ejus vita narravi. Florentior quidem per Josephum illum facta est fortuna Judaeorum in Cananaea, sed mansit adhuc modica, per tributorum exactores, ac exercitus hostiles Syrorum et AEgyptiorum, de Coelesyria ac Judaea concertantium, per terram ipsorum transeuntes, et ibi subinde praeliantes: quod non potuit non eos adfligere, sicut in simili casu de Atheniensibus observavit Herodot. l. VIII. et de regno Galliae, sub mortem Ludovici XI exhausto, maxime per *traductos et commeantes hinc inde* exercitus, Comineus l. VI. quare Jos. Ant. l. XII. eos comparat cum nave, fluctibus agitata. Quo respicit prophetia Zach. IX: 8. de Judaea *a transeunte* et *redeunte* (euntibus ac redeuntibus exercitibus) et ab *exactoribus*, (scilicet tributi, laboris aut mortis) liberanda; uti in Comm. ad Zach. demonstravi. Accessit, eos, modo Lagidis, modo Seleucidis, subjectos, adeoque dominos suos continuo mutatos habentes, non potuisse non ab iis expilari, spoliari, aut gravibus premi tributis: sicut Ptolemaeus et Seleucus Philopatores, illi Lagidae, hi Seleucidae, tentarunt, Antiochus Epiphanes perfecit: etiam per ipsos inpios illos Pontifices, Jasonem, Menelaum et Alcimum. Denique in periculosissimam inciderunt, et gravissimam, adflictionem per Epiphanem, et successores: ut mox narrabo.

§. CCCCXXXIV. Inter laetos, et populo gloriosos, *casus*, ut in laetis et tristibus recensendis casibus, quo pervenimus, ab iis ordiar, ordine temporis observato, primum locum tenet singularis iste, sub Alexandro M., quo a Jad-

de

do Pontifice, ipsi, in itinere Hierosolymam ad eam puniendam tendenti, occurrente cum habitu Pontificio, adeo placatus, et in favorem Judaeorum flexus est, ut et Pontificem quasi adoraverit, et Hierosolymae supplicaverit Deo Israelis, et multa populo dederit privilegia, ex. gr. patriis vivendi legibus, et inmunitatis a tributis septimo quoquo anno Sabbatico, Jos. Ant. l. XI. Qui casus licet apud alios autores gentiles non reperiatur, propterea pro ficto non est habendus, cum res Judaeorum parum curarint exotici scriptores: sufficit autoritas Josephi, maxime cum et alii Judaei, licet non ex Jos., quippe a quo in nonnullis circumstantiis differunt, hanc historiam referant, uti in Megillat Taanit. Nec habet haec narratio aliquid incredibilis, si res ipsa spectetur; et ab una alterave separetur circumstantia, forte falsa, quod jam observatum est, uti quod Alexander Gaza tetenderit Hierosolymam, cum inde recta petierit AEgyptum, qui error a Jos. facile committi potuit, nec ad veritatem facti enervandam multum facit, praeterea, quod Josephus Parmenionem introducat loquentem, et rogantem, quare, cum omnes *adorent* Alexandrum, ipse hunc Pontificem adoret? quod a Parmenione tunc dici non potuit, quia aliquandiu post, cum in mores Persarum degeneravit, demum hunc honorem sibi deferri voluit. Erraverit ergo in eo Jos., quod haec verba Parmenioni in ore dedit; tempora non satis distinguens; quod haud raro accidit historicis: unde tota historia falsi nequit convinci. Sed verba, *cum te omnes adorent*, ad futurum forte respiciunt, ut sit, *omnes* in eo esse, ut proxime faciant. Admitto itaque, Alexandro, Judaeis irato, quod proventus mittere recusaverint Judaei tempore obsidionis Tyri, Hierosolymam tendenti, obviam ivisse Pontificem, eumque sua praesentia placasse non tantum, sed et, peculiari directione Divina, sui reverentiam habitu Pontificali, satis Majestuoso, concitasse, maxime, si, quod Jos. addit, Alexander talem virum in somnio antea viderit, qui ipsum, felici promisso succes-

ſu, ad expeditionem in Perſas incitavit. Quale quid in viris, illuſtribus Providentiae miniſtris, quales fuerunt ex. gr. Nebucadnezar, Cyrus, et Alexander, nihil paradoxi habet, denique Hieroſolymae Deo ſupplicaſſe, uti ſaepius poſtea a Regibus gentilibus factum fuit. Nec abhorret, librum Danielis, ubi ipſe ſub *hirci* emblemate, qui arietem proſtraturus eſt, proponitur, ipſi fuiſſe monſtratum, cum ſimile quid in Cyro, prophetia Jeſ. de ipſo exhibita, cenſeatur factum fuiſſe. Incertum denique ſit, unde hanc hiſtoriam habuerit Joſ., cum autorem ſuum non nominet, inprobabile forte non eſt, Hecataeum Abderitam fuiſſe autorem, Alex. M. familiarem, et ab Ezechia, ſacerdote Judaeorum, ſub Ptolemaeo Lagi, in AEgyptum tranſlato, inſtructum notitia Judaeorum, qui hiſtoriam eorum conſcripſiſſe cenſetur, ſaepe a Joſ. lib. contra Ap. citatam.

§. CCCCXXXV. Ad laetos caſus cum referri quoque ſoleat, et poſſit, *verſio* librorum V. T. in linguam Graecam, cum ejus medio et Judaei Helleniſtae, ubique per AEgyptum et alias regiones diſperſi, et gentiles, in notitiam religionis, et hiſtoriae Judaeorum, venire potuerint, multi etiam dein facti fuerint proſelyti, et via ſic e longinquo parata cenſeri queat ad converſionem populorum ſub Meſſia, ejus hiſtoria hic recte traditur. Circumfertur hiſtoria hujus tranſlationis nomine Ariſtaeae, aulici regis Philadelphi, ſeorſim etiam edita a Dalenio, adjuncta erudita Diſſertatione, nec non in nov. edit. operum Joſephi; ex qua Joſepus, et deinceps alii, eam repetierunt: ſed eam nomen illud mentiri, ac multis eſſe refertam fabulis, dudum eſt a Doctis evictum, quorum unum tantum proferam, H. Hody, Oxonienſem, qui prolixe hanc rem tractavit, et de auctoritate Verſionis diſſeruit. Nobis hic ſuffecerit paucis hiſtoriam, ut vulgo ex Ariſtaea narratur, tradidiſſe per partes, et vera a falſis diſtinxiſſe. 1. Verſio narratur facta ſub Ptolemaeo Philadelpho: quod recte admittitur reſpectu Pentateuchi, minus, certum eſt de reliquis libris, ut mox patebit.

patebit. Putant quidem multi, fide Aristobuli alicujus, jam diu antea Pentateuchi exstitisse versionem Graecam, sed sine fundamento solido, uti probavit Hody. 2. *Locus* Interpretibus adsignatur insula Pharos, prope Alexandriam, in quam eum in finem missi fuissent a Philadelpho; cujus nulla dari potest ratio, cum in ipsa urbe Alexandria fieri aeque commode potuerit, et rectius censetur ab Alexandrinis Judaeis facta. Tradit quidem Philo Jud. in vita Mosis, suo adhuc tempore festum in hujus translationis memoriam fuisse in Pharo celebratum, sed erravit, et festum aliquod Majumae cum eo confudit, uti egregie advertit amicissimus P. Wesseling in Epist. ad me de Aquilae fragmentis in Philone. 3. Interpretes quidem traduntur fuisse 72 Seniores, ex unaquaque tribu 6, ab Eleazaro Pontifice electi, genere et doctrina illustres, sed longe verius est, Alexandrinos fuisse Judaeos, utriusque linguae gnaros, quales numero 72 hoc tempore inter Judaeos vix credibile est fuisse; superstitionem quoque sapit electio 6 virorum ex singulis tribubus, nec non 72 virorum numerus, ut ad 72 Seniores, spiritu Dei ornatos, et Mosi adjunctos, vel in montem Sinai cum eo admissos, Ex. XXIV. duceretur, et autoritas versionis major redderetur: nisi quis yelit nomen LXX Interpretum inde fuisse ortum, quod deinceps a Synedrio M., ex tot viris constante, fuerit adprobata versio.

§. CCCCXXXVI. 4. Fabulosa narratio sese magis prodit in *occasione* translationis narranda. Philadelphus enim traditur, a Demetrio Phalereo, Bibliothecario suo, incitatus, ad ornandam Bibliothecam, libris Canonicis Judaeorum, Graece versis, in eam introductis, honorificam misisse ad Eleazarum Pontificem, una cum muneribus, legationem, et ab eo supplicasse viros peritos, qui Biblia in Graecam linguam transferant. Ejusmodi enim legatio, et submissa petitio, longe aliena est a rege AEgypti, cui Judaei erant obnoxii, et a statu servili Judaeorum: uti facile intelligitur.

Praeterea Demetrius tunc non erat Bibliothecarius, ſed Zenodotus Epheſius, nec illud munus illuſtri perſonae ejus conveniebat, niſi nomen latius pro ſupremo Inſpectore ſumatur: denique jam ante exciderat omni gratia Philadelphi, nec in aula ejus amplius verſabatur, quippe ei inviſus factus, ex quo Ptolemaeo Lagi diſſuaſerat adſociationem et ſucceſſionem Philadelphi; ut ſupra narravi. 5. Exſtantiora adhuc in *modo*, quo tranſlatio dicitur facta, ſeſe fabulae offerunt indicia. Interpretes 72 totidem cellulis, vel binos ſingulis, fuiſſe incluſos, et ſingulos ſpatio 70 dierum omnes libros V. T. vertiſſe, tanta omnium verſionum convenientia, ut nulla ne quidem in ſyllaba diſcrepaverint, ne alia miraculoſa, quae praeceſſerunt, aut ſecuta ſunt, memorem. Quae quam fabuloſa ſint, et ad verſionem extollendam unice conficta, in oculos incurrit. Ipſe. Pſeudo-Ariſtaeas tanti miraculi non meminit; Juſtinus Martyr, vel autor libri, ejus nomini falſo inſcripti, *admonit. ad Graecos*, primus eſt, qui eam fabulam narravit, Hieronym. in prolog. ad Geneſ. jam exploſit. Origo fabulae haud inepte derivatur a falſa relatione, de totidem cellulis, eo adhuc tempore, quo Pſeudo-Juſtin. vixit, in inſula Pharo exſtantibus. Denique 6. pro certo quoque admitti nequit, omnes libros V. T. tunc in linguam Graecam fuiſſe verſos, quod traditio habet, hac quoque parte fallax; cum ſolum Pentateuchum fuiſſe tranſlatum ex Ariſtaea, Joſepho, Philone, et Rabbinis conſtet: cujus ratio in promtu eſt, quod Legis praelectio tantum viguerit, Prophetarum poſtea demum, quando et eorum verſio Graeca confecta eſt: ut multis demonſtravit quoque Hody: quem etiam non fugit, non unum, ſed plures, partibus diviſis, verſionem adornaſſe, teſte diſcrepantia ſtyli, et earundem ſaepe vocum verſionis.

§. CCCCXXXVII. Ad laetos, et Judaeis honorificos, caſus ſeſe quoque referri pateretur, ſi vera ſit, legatio Lacedaemoniorum ad Judaeos, amicitiae ineundae cauſa, ſub Ario, eorum rege, et Onia, Pontifice Judaeorum, addita

ratione

ratione quod fratres sint, et ejusdem originis ab Abrahamo: ad quam non nisi diu post per litteras quoque responderunt Judaei sub Jonathane, 1 Macc. XII. et Jos. Ant. XII. Unde variae disputationis materia inter Eruditos est orta, partim de Onia, partim de cognatione illa, partim de ipsa veritate facti. Oniam *IIItium* intelligendum esse Jos. Ant. l. XII. diserte indicat, nec ab eo alienum est, cum in primordiis Pontificatus ejus Judaei maxime fuerint honorati a regibus exteris, 2 Macc. III. Cel. tamen Scaliger eum fuisse Oniam I*mum*, filium Jaddi, disputat, quia tunc aliquis *Arius* fuit rex Lacedaem., qui *Oniares* 1 Macc. XII. adpellatur, et Arius apud Joseph.: accedit, *longum tempus* dici fluxisse a tempore missae Epistolae usque ad Jonathanem, 1 Macc. XII., quod mihi tamen minus stringere videtur, cum phrasis sit generalis, et inter initia Oniae III. ac Jonath. longum quoque dici possit tempus fuisse. Major in eo residet difficultas, quod *Spartiatae* et *Judaei* in Epist. Lacedaem. vocentur fratres, et *ex Abrahamo* originem habere. Varia quidem commenti sunt Viri docti, praecipue Huetius et Morinus, sed adsensum non inpetrarunt: sed ejusmodi commenta, de vetustissima populorum cum Abrahamidis amicitia, vel conjunctione, viguerunt etiam apud alios, ut Phrygas vel Pergamenos, sicut decretum eorum, in favorem Judaeorum, habet apud Jos. Ant. l. XIV. ubi ad *acta* sua *publica*, illud testantia, provocant. Sed Epistolam illam Lacedaemoniam esse confictam disputat Cl. Jablonski in Symbol. Litter. Brem. t. I. Quod suo loco relictum sit, licet fidem lib. Maccab. et Jos. salvam velim. Cui sufficit, si talis epistola tunc fuerit, et credita genuina.

§. CCCCXXXVIII. Sed non defuerunt hoc intervallo quoque aliqui *casus*, qui Judaeis magis minusve nocuerunt, in primis sub finem intervalli, exorta adflictione Epiphanica. Inter quos tristes casus cum locum tenere soleat, et possit, prae odio, quo Judaei et Samaritani sese mutuo

proſecuti ſunt, et ſibi invicem varias crearunt moleſtias; Schiſma *Samaritanum*, ſic adpellatum, hoc intervallo maxime ſtabilitum, et diu poſtea continuatum, ejus notitia hoc loco tradenda eſt, et de origine, progreſſu, ac inſtitutis Samaritanorum agendum. Vid. Cellarius Diſſ. Academ. VI. et ejus Collectaneâ Samaritana, ubi etiam Litterae eorum recenſentur ad Ludolfum et Anglos; addantur Litterae Huntington. et Scaliger Emend. Temp., ne alios memorem, ſatis notos, autores. A quo tempore Iſraelitae fuerunt in exilium ab Aſſyriis abducti, aliique populi gentiles in eorum terram tranſlati, ac cum Iſraelitis ſuperſtitibus permixti, lege quoque Moſaica, cum religionis ejus ritibus, aliquatenus admiſſa, ut ex 2 Reg. XVII. conſtat, et ſupra vidimus, odii Judaeorum in eos ſemina jam fuerunt jacta; quae poſt exilium creverunt, et acerbiores produxerunt fructus. Judaeis enim reducibus cum ſeſe, in rebus eorum inſtaurandis, adjungere vellent, et repulſam tulerint, ut ex ſuperioribus conſtat, adverſarii eorum facti ſunt infeſtiores, et manſerunt per omnia tempora. Confirmatum dein eſt Schiſma, quando, ſub Alex. M., Templum in monte Garizim condiderunt, et ritus Moſaicos plenius adoptarunt. Quod per Manaſſen, fratrem Jaddi Pontificis, ab eo expulſum, quod filiam Sanballati, principis Samaritanorum, duxerat uxorem, et ad ſocerum ſeſe conferentem, factum fuiſſe, permittente Alexandro M., tradit Joſ. Ant. l. XI., adoptatis ritibus Moſaicis. Quod Templum diu ſtetit, multis etiam Judaeis eo tendentibus, donec a Joh. Hyrcano Maccabaeo deſtructum eſt. Sunt quidem, qui hunc caſum citius contigiſſe putant, ſub Dario Notho, adeoque tempora eſſe confuſa, ſeſe praecipue fundantes in Neh. XII. fin. ubi etiam aliquatenus ſimilis caſus, expulſi filii Pontificis, refertur: ſed minus recte; cum haud una ſit inter hos caſus differentia. 1. Sanballat, loco Neh. memoratus, cujus filiam duxit Pontificis filius, adpellatur Horanita, ad ortum maris Sodomaei, ſed apud Joſ. dicitur Cuthaeus, ſeu Samaritanus,

ritanus. 2. Permiſſio Templi aedificandi repetitur apud Joſ. a Dario et Alex. M., adeoque non tempore Darii Nothi. 3. Denique adpellatur frater Jadduae, filius itaque Jonatanis; ſed apud Nehem. filius Jojadae, inter quem et Jaddum intereſt Jonatan. Ne autem quis ad id obhaereſcat, quod noſtrae opinioni a nonnullis objicitur, tam brevi tempore Templum aedificari non potuiſſe, ſeptem enim menſes tantum inſumti ſunt Tyri expugnationi, quando Sanballat illud opus perfeciſſet, notari velim, ex ipſo Joſ. l. XI. cap. 8. §. 2. patere, conſilium de Templo aedificando jam ante, ſub Dario Codomanno, fuiſſe a Sanballato ſumtum, et opus, Dario concedente, inceptum, adeoque ſub Alex. M. tantum, ab ipſo quoque inpetrata licentia, conſummatum: quo ſenſu verbum *aedificari* apud Joſephum ſumendum eſt.

§. CCCCXXXIX. Dogmata vero et inſtituta Samaritanorum fuerunt Judaeorum adfinia, quippe ex Moſaicis tranſumta, ad quae ſeſe per omnia conformaſſe videri voluerunt, contendentes quoque, ſe in loco adorationis propius ad *Moſis inſtituta* adceſſiſſe, quam Judaeos, cum, quod Moſis libris unice ſeſe adſtrinxerint, tum, quod, ad praeſcriptum Moſis, Templum in monte Garizin condiderint, quippe qui altare ibi juſſerat exſtrui, unde populo ſolenniter benediceretur, ſicut tempore Joſuae factum eſt. Licet enim textus Hebr. Deut. XXVII. montem Ebal habeat, ubi altare ſit aedificandum, Samarit. tamen Codex montem Garizin ibi legit. Unde eſt, quod duo in primis capita facta ſint, et manſerint, controverſa, inter Judaeos et Samaritanos, unum de libris Canonicis, alterum de ſede religionis. *Prioris* reſpectu, ſolus Pentateuchus, pro norma fidei et religionis, agnoſcitur a Samaritanis, quem in principio a ſacerdote, eo a Rege Aſſyriae miſſo, acceperunt 2 Reg. XVII., et ſemper retinuerunt. Unde etiam didicerunt, Meſſiam eſſe aliquando oriturum; quem aeque ac Judaei exſpectarunt Joh. IV. Eum enim a Moſe Deut. XVIII.

fuisse promissum. Habent vero Pentateuchum Hebraeo-Samaritanum, et triplicem versionem, Samaritano-Chaldaicam, Graecam, et Arabicam, a Peirescio ex oriente adductam, sicut Samarit.-Chald. a P. Vallense. Pentateuchus vero Hebr. Samarit. est ipsissimus Hebraeus, litteris Samaritanis; qui superest, et quantivis quoque pretii in vera lectione dijudicanda, adeoque digna, quae cum cod. Hebraeo Masorethico ubique conferatur. Ad *posterius* caput controversum quod adtinet, Samaritani pro Garizin, sede religionis, Judaei pro Hierosolyma, acriter contendunt, et illi in loco Deut., modo citato, sese fundant, hi in reliquis V. T. libris, unde, Hierosolymam fuisse a Deo electam, manifestum est, sed quos libros non agnoscunt Samaritani. Quam diversam opinionem mulier Samaritana in colloquio cum Domino nostro palam professa est, Joh. IV. Missis variis figmentis, sive Samaritanorum de sua origine ex Jacobo, per filios Josephi, suis sacerdotibus genuinis Aaronidis, suo Pentateucho antiquissimo et incorrupto, etc. sive Judaeorum de ipsis, in eorum contumeliam, ex. gr. coli apud ipsos *columbae* simulacrum, et tres litteras gutturales ה, ח et ע, deficere apud eos, quae ad nomina Abrahami, Isaaci et Jacobi pertinent, figmento inde nato, quod illas litteras, ut א pronuncient, his, inquam, et aliis, figmentis missis, subjunxisse, quod ad hoc intervallum pertinet, suffecerit triste fatum, quod Samaritanis sub Alex. M. evenisse traditur apud Jos. Ant. XI. et contra Ap. l. II. ex Hecataeo Abderita, in eo situm, quod, ob caedem Andromachi, Syriae et Palaestinae praesidis, ab Alexandro constituti, fuerint Samaria ejecti, Syris et Macedonibus in eam translatis, et variae eorum terrae Judaeis datae.

§. CCCCXL. Pergamus ad longe graviorem adflictionem, Civitati et Ecclesiae Judaicae illatam ab Antiocho Epiphane, ejusque ducibus, opem quoque ferentibus apostatis Pontificibus Jasone, Menelao, et Alcimo, cum inproborum ex Judaeis factione satis numerosa. Antea quidem varias experti

perti fuerant calamitates, per exactores, et exercitus hostiles Lagidarum ac Seleucidarum, in terris eorum praeliatos, aut per eas transeuntes; in discrimina spoliationum Templi sub Seleuco Philopatore inciderant, sed unde gloriose liberati sunt; subierant quoque spoliationes per Jasonem et Menelaum Pontifices; quae omnia ex superioribus nota sunt, sed sub finem intervalli praecipitati sunt per Antiochum Epiphanem, ejusque consiliarios, et adjutores, ex ipsis Judaeis, in summum totalis ruinae reip. et religionis discrimen: cujus historiam succincte, sed distincte, tradam, ex Josepho et libris Maccab., cum Dan. XI. quoque comparatis. Prima expeditione Antiochi in AEgyptum, qua Philometorem sibi subjecit, et dein, quam contra fratrem Physconem, regem ab Alexandrinis electum, defendendum, foedere cum ipso pacto, suscepit, finita, Ipse, in Syriam rediens per Judaeam, invasit prima vice, sed inproviso, Hierosolymam, eamque spoliavit: ann. aer. Sel. 143, uti ex 1 Macc. I: 20. et Jos. Ant. XII. liquet. Sed quid eum ad id moverit, quidve patraverit Hierosolymae, ex Josepho unice petendum est. Solet quidem historia, quae 1 Macc. I: 21—26. et 2 Macc. V: 1. refertur, ad primum hunc ejus inpetum referri, et inde tum causa infestationis ejus erui, in praetensa defectione Judaeorum ab Antiocho sita, cujus ansam seditio, per Pontifices Jasonem et Menelaum, secum Hierosolymis pugnantes, mota, nec non laetitia Judaeorum, super rumore mortis Antiochi, praebuisset, tum etiam caedes civium, ac Templi profanatio, et spoliatio, eo tempore facta, derivari: verum ex mea opinione erronee, quia ea non ad hanc, sed alteram expeditionem Antiochi in AEgyptum, finitam biennio post ann. aer. Sel. 145 pertinent, uti in Comm. ad Dan. XI: 30. jam demonstravi. Commissa utique illa adligantur secundae expeditioni ejus in AEgyptum, 2 Macc. V. et ann. aer. Sel. 145 apud Jos. l. c. Praeterea, Hierosolymam hac prima vice fuisse *sine pugna* ab Antiocho, a factione ejus in

urbem

urbem admisso, occupatam, tradit Jos., sed 2 Macc. V. et apud Jos. Bell. Jud. l. I. ac Diod. Sic. eclog. l. 34 *armis* expugnatam fuisse traditur. Quae alia conciliari nequeunt ratione, nisi per diversas occupationes, de quo mox. Subjungitur quidem Templi profanatio, et spoliatio, cum multiplice caede alia, invasioni Antiochi ann. aer. Sel. 143*tio*, 1 Macc. I: 21.— quae ann. 145 demum contigit ex nostra hypothesi; sed duae, diversis vicibus factae, invasiones, ab autore sunt confusae: uti ad Dan. l. c. observavi. Hoc admisso, alia ratio occupatae Hierosolymae quaerenda est; quam haud obscure suppeditat Jos., ubi *factionem* habuisse Antiochum Hierosolymae, quod et alias factum fuisse tradit, Ant. l. XII: 5. significat, cum Antiochum a suae factionis viris fuisse admissum refert: avaritia praeterea eum ad id incitavit, qua divitias Templi concupivit. *Dictis* robur addit, quod hac vice *aliquos* tantum contrariae factionis occiderit, et *magna pecuniae vi direpta* redierit, teste Jos., Antiochiam. Concinit denique prophetia, ad hanc invasionem pertinens, Dan. XI: 28. ut in Comm. exposui; his verbis: *et revertetur in terram suam cum magna possessione, et cor ejus contra foedus sanctum, et faciet, et redibit in terram suam.*

§. CCCCXLI. Altera, seu posteriore, expeditione in AEgyptum, qua, fratribus reconciliatis, Philometore et Physcone, ac una regnantibus, eos, cum AEgypto, sibi subjicere conatus est, per Romanorum legatos inpedita, Antiochus cum pudore regredi, et AEgyptum deserere, coactus, furorem in Judaeos effudit, longe vehementius quam priore vice, Hierosolymam vi et armis expugnavit, ac civium caede replevit, eamque ac Templum opibus, et ornamentis, spoliavit: ann. aer. Seleuc. 145. Urbem priore vice sine pugna ceperat, nunc armis expugnavit, ut Jos. B. Jud. l. I. et 2 Macc. V. traditur. Urbem praeterea civium sanguine, longe majore copia, foedavit, opibusque privavit: quod alibi Jos. Ant. XII. et 1 Macc. I: 21.— describit,

scribit, Diod. Sic. quoque Eclog. I. 34. adtigit, sed autor 2 Maccab. V: 11.— distinctius tradidit. Josephus in narratione adflictionis, ut adpellatur, Epiphanicae sibi constare non videtur, dum alio loco Ant. XII, Hierosolymam *dolo*, sine armis, fuisse captam, alio vero de B. Jud. I. *vi* id esse factum tradit: sed ipse utroque in loco duplicem infestationem permiscuit; ut supra observavi. Primus vero liber Maccab. dolosam confirmat occupationem, sed eam non Antiocho, verum duci, ab eo misso, adtribuit. Verum autor solius Ducis infestationem, post secutam, memorat, et hanc ipsius Antiochi, nunc factam, cum priore, ante biennium instituta, permiscuit, et praecedente narravit pericopa; ut supra notavi, cap. I: 29—28. Denique autor 2 Maccab. violentam ipsius Antiochi expugnationem tradit; idque distincte et ordine, priore inpetu, ann. 143 aer. Sel. facto, silentio involuto. Qua ratione discrepantia autorum illorum facile e medio tollitur.

§. CCCCXLII. *Ansam* hujus secundae infestationis, ab ipso Antiocho, AEgypto per Romanos expulso, institutae, ut eam paulo adcuratius enarrem, praebuerunt intestini motus Hierosolymitanorum, a Jasone et Menelao, de summo sacerdotio decertantibus, suscitati, Menelai factione, partim arce inclusa, partim fugata, quae ipsa ad hunc impetum excitavit Antiochum, ut ex 2 Macc. V: 5. etc. ac Josepho B. Jud. I. L et Ant. XII: 5. secum collatis, colligi potest. Menelai partis nonnullos, urbe ejectos, ad Antiochum se recepisse, et eum inpulisse ad Hierosolymam in ordinem redigendam, cum multitudo faveret Jasoni, memoriae prodidit Josephus. Hoc praetextu avide arrepto, cum jam antea hoc ipsum animo volvisset, teste Jos. de B. Jud., Antiochus movit Hierosolymam versus, eamque obsessam, et oppugnatam, armata manu expugnavit. Praeterea tradidit eam militibus diripiendam, multos neci dedit, vel vendidit: 80 millia tridui spatio fuisse partim trucidata, partim venundata, traditur 2 Macc. V. Deni-

que Templum quoque, et ipsum sanctum sanctorum, intravit, ac vasa sacra alicujus pretii abstulit, et reconditos thesauros rapuit. Cui invasioni adplicanda sunt verba, Dan. XI: 33. *et revertetur, et effervescet contra foedus sanctum et faciet*, ut in Comm. explicui.

§. CCCCXLIII. Hoc impio et superbo facinore tyrannico patrato Antiochiam quidem reversus est, 2 Macc. V: 21. sed animo Judaeis infesto retento; cujus mox nova, et atrociora, dedit indicia. Misit utique eodem ann. aer. Sel. 145 Apollonium, ib. v. 24., seu *praefectum tributi* 1 Macc. I: 29. cum ingente militum manu, qui, pacificum prae se ferens animum, Hierosolymam sine oppositione ingressus, promiscuam instituit lanienam, Templum omni religionis exercitio privavit, urbem multis partibus vastavit, arcem praesidiariam, Templo inminentem, exstruxit ac munivit, milites praesidiarios inposuit, qui Judaeos a sacris arcerent, qui ibi diu perstiterunt, a Simone Ethnarcha demum superati et expulsi, ann. AEr. Sel. 171. Denique haud multo post Templum fuit Jovi Olympio consecratum, omnesque ad religioni patriae renunciandum, et Syriacam amplectendam, edicto publico compulsi sunt, et religionis studiosi persecutionem saevissimam passi. Quae omnia ex Jos. Ant. l. XII. et de B. J. l. I. libris Macc. 1 M. I. et 2 M. V. Diodoro quoque Sic. Ecl. l. 34. Tacit. H. l. V. Porphyr. de Abstin. l. IV. aliisque monumentis apud Jos. contra Ap. l. II. manifesta sunt. Daniel vero luctuosissimum huncce casum c. XI: 30. in genere, et ib. v. 31—35. in specie enarravit prophetice, ut in Comm. docui.

§. CCCCXLIV. *Gravissima* fuit adflictio, et satis *diuturna*. Quae duae ejus qualitates verbo sunt illustrandae. Quod Dan. XI: 31. praedictum est, *sanctuarium esse profanandum, arcem illam, juge sacrificium removendum, et abominabile vastans ponendum*, cui gesta *parvi cornu*, c. VIII: 11, 12. plane conveniunt, alibi in Diss. VI. et Comm. ad c. XI: 31. jam exposui, et cum historia comparavi; adeo ut hic

non

non necesse sit moras trahere. Hierosolyma utique multis modis fuit profanata, ac desolata, cum quod igni fuerit maximam partem tradita, domibus destructis, et muris orbata, 1 Macc. I: 31. Jos. Ant. l. XII. tum quod arx, a Gentilibus, et Judaeis apostatis, insessa, Templo et sacris valde inimica, et noxia, in ea fuerit constructa, et diu, ut modo dixi, mansit, tum denique quod, civibus dissipatis, facta fuerit urbs sancta *habitaculum peregrinorum*, 1 Macc. I: 38. et desierit esse sacra, omni decore ac privilegio privata, ib. 39, 40. *Templum* in specie fuit insigniter foedatum, et pollutum 1. per promiscuum introitum gentilium, et inproborum hominum 2. per spoliationem vasorum et thesaurorum, 3. sanguinem innocuum, circa ipsum sacrarium fusum 1 Macc. I: 37. 4. per sacri cultus in Templo exercendi abolitionem, quo sacer locus esse desiit, et 5. denique, idololatrici cultus in illud introductionem. Quae duo postrema Propheta expresse memoravit, dicens, et *abolebunt juge* (quotidianum sacrificium, quo totius religionis in Templo comprehenditur exercitium. De quo Diss. VI. ad Dan. egi) et *dabunt abominabile vastans:* quod ad idololatriam, simul inproborum istam arcem, cultus veri vastatricem, referri debet. Quod utrumque c. VIII: 12. his verbis est consignatum: *et stationem dabit* (cornu parvum, seu Antiochus Epiphanes) *contra juge*, vel loco ejus in *defectione;* scilicet abominabili vastante ibi collocato: de quo ad eum locum exposui. Conveniunt verba 1 Maccab. I: 54. *Anno autem* 145*to* (aerae Seleuc.) *die Mensis Casleu* 15*to extructum est in ara nefarium vastitatis simulacrum*, βδέλυγμα ἐρημώσεως, cum manifesta ad locum Dan. adlusione. Vox Hebr. שקוץ in genere quicquid detestabile, in specie idola, stylo Script. S., denotat, animalia quoque inmunda, Lev. XI. et in specie *porcos* Jer. LXVI. Quae amplitudo significatus et hic locum reperit. Antiochi enim jussu *sues* in altari Templi fuerunt mactatae et oblatae, testibus Jos. et Diod. Sic. l. c. Coacti etiam sunt Judaei inmolare *ca-*

nes suillas, et *communia*, seu inpura, *jumenta*, *animasque coinquinare omni inpuro et abominando*, 1 Macc. I: 17.—

§. CCCCXLV. Sed peculiarem meretur adtentionem, ad gravitatem calamitatis intelligendam, epitheton *abominabilis* משמם *vastantis*, quo effectus exprimitur, quem illud inter Judaeos produceret: qui secundum historiam *potissimum fuit* duplex, verbi Hebr. שמם potestate etiam comprehensus, cum *animorum obstupefactio*, quam insolita calamitas, religionis caussa ingruens, tamque vehemens persecutio, in animis Judaeorum peperit, uti, ne varios Psalm. huc pertinentes, et alia, proferam, ex querelis Mattatiae, ejusque sociorum, satis elucescit 1 Macc. II. tum multiplex *vastatio*, reip., religionis, ac plurimorum civium, sive idololatriae succubuerint, et ita in animarum perniciem ruerint, ac judicium Dei vastans in se provocarint, Dan. XI: 32. et XII: 2. praenunciatum, sive ab ea constanter abhorruerint. Nata enim hinc est partim multorum defectio a lege, partim ejus studiosorum persecutio, quae tormenta, neces, spoliationes, exilia, et innumera mala alia, produxit; partim bellum grave, et diuturnum, inter Maccabaeos et hostes, quo terra est vastata, et aliae miseriae sunt ortae: de quo Vid. C. Vitringa ad Jes. XXIV. Magno numero defecisse Judaeos a lege, uti Dan. XI: 30 et 32. indicatur, ex historia satis notum est, sive sponte, sive promissis, sive metu, religioni patriae renunciarint. Sed fuerunt etiam inter eos, qui *scelerate tractantes foedus* sanctum, seu *exagitatores* ejus, adpellantur Dan. XI: 32. *Viri inprobi* et *legis hostes* 1 Macc. I: 34., populum conturbantes et exagitantes ib. III: 5. qui gentilibus manus praebuerunt. Utique impii Judaeorum Antiocho occasionem praebuerunt, et eum excitarunt ad haec facinora. Petentibus instituta gentilium jam ante permiserat Antiochus, 1 Macc. I: 11. deinceps ab iis instigatus altera vice irruit in Hierosolymitanos, 2 Macc. IV: 50. Jos. B. J. l. I. denique per illos saepe ad legis studiosos destruendos excitatus est, Jos. Ant. l. XII.

sicut

ſicut poſtea etiam Antiochus Eupator, 1 Macc. VI., et deinceps adhuc Demetrius, ib. c. VII.

§. CCCCXLVI. Referri in ſpecie poteſt, et debet, hoc *abominabile vaſtans*, ad milites praeſidiarios, *arci* munitae prope Templum (non quidem in monte Tſion, ſeu civitate Davidis, verum in urbe inferiore, ut diſerte habet Joſ. Ant. XII. quae inde nomen *Acrae* tulit, fuit enim ipſis haec arx εἰς ἄκραν 1 Macc. I: 33.) inpoſitos, cum, quod idololatriae fuerint dediti omnes, ſive gentiles fuerint, ſive apoſtatae Judaei, tum, quod verae religioni deſtruendae, et falſae ac idololatricae ſtabiliendae in Templo, incubuerint, tum, reip. et religioni Judaicae deſtruendae manus praebuerint praecipuas, populoque per longum tempus multum nocuerint, 1 Macc. I. et Joſ. Ant. l. XII. Denique, ut omnia, quae *anguſtias* horum temporum demonſtrant ſummas fuiſſe, et ſtringentes, quantae nunquam antea, aut Iſraeli, aut ulli populo, evenerant, ſi in omnibus conſiderentur circumſtantiis, et relate ad Judaeos, populum Dei, uti Dan. XII: 1. indicatur, ſimul paucis complectar, 1. paſſi fuerunt perſecutionem religionis cauſa, 2. diriſſimam in atrociſſimis cruciatibus et quibuſvis malis, 3. religioni fuit publicum bellum a potentiſſimo et ſaeviſſimo rege indictum, 4. ea etiam a totali et perpetua prope afuit exſtirpatione, 5. ipſi quoque illi, ejuſdem civitatis ac religionis ſocii, Judaei, etiam primores, manus cum hoſtibus junxerunt, 6. Idololatria publice in terra et loco ſancto erecta eſt. Quibus accedit, Judaeos jam a longo fuiſſe ab omni idololatria alieniſſimos, et religionis patriae tenaciſſimos; adeo ut graviſſimo moerore, ac metu, fuerint per hanc adflictionem adfecti; animis vehementer conturbati, eo magis quod nunquam ejuſmodi perſecutionem, religionis cauſa, fuerint experti. Patet ex dictis, quam apte in verbo Prophetico *tempus anguſtiarum* haec calamitas adpelletur, ex. gr. Jeſ. XXVI: 16. XXXIII: 2. Dan. XII: 1. nec non quam deplorabilis fuerit populi Judaei conditio, in verbo

Prophetico vivis quoque depicta coloribus: uti ex. gr. Jes. XXIV et XXXIII. ubi Vid. Vitringa, et Psalm. XLIV, LXXIV, LXXIX, LXXX. Vid. Comment. noster ad Psalm.

§.. CCCCXLVII. *Duravit* calamitas, quae altera est ejus qualitas, si late sumatur, initio facto a profanato Templo, ann. aer. Sel. 145, et termino in Simonis Ethnarchae initio, quando epocha libertatis coepit, posito, *annos viginti sex.* Successit enim Simon fratri Jonatani ann. aer. Sel. 170: de quo ad period. seq. Sed, si stricte accipiatur, de religionis Judaicae oppugnatione et cessatione, duratio tantum erit *trium annorum et dimidii.* Incepit enim tristis illa periodus ann. aer. Seleuc. 145, et purgatum est Templum ann. 148. Duravit cultus idololatricus in Templo per *triennium*, a 25 Mens. Casleu anni Seleuc. 145, usque ad eundem mensem anni 148, ut habetur 1 Macc. I: 59. IV: 52. et apud Jos. Ant. l. XII: 7. Praecessit vero hanc Templi profanationem oppugnatio sanctorum, et religiosorum per Apollonium, ut est 2 Macc. VI: 2. ubi *post haud longum tempus*, scilicet a misso Apollonio, qui persecutionem incepit, profanatio Templi dicitur facta: quantum autem fuerit interjectum, cum non addatur, de *sex* mensibus cogitare licet, cum Josephus, in prooemio lib. de B. Jud., Antiochum Hierosolymam tenuisse tradat *tres* annos, et 6 Mens., quod etiam de cessatione sacrificii quotidiani in Templo adserit ibid. lib. I. c. 1. Cui convenit quod Dan. VII: 25. sancti in manus Antiochi leguntur tradendi usque ad *tempus, tempora, et dimidium temporis* h. e. annum, duos annos et dimidium anni: quod c. XII: 7. eodem modo, sed aliis nominibus, exprimitur. Sed Dan. VIII: 14. sacrificii quotidiani abolitio duratura dicitur *usque ad vesperam mane bis mille trecenta.* Qua phrasi si totidem dies intelligantur, dies 2300 erunt *sex* anni, et 4 Mens., sed si de jugi sacrificio, mane et vespera, adeoque *bis* de die fieri solito, capiatur, 2300 *vespera* et *mane* dimidium dierum numerum facient, dies

dies scilicet 1150, adeoque annos *tres*, et 2 Mens. quod posterius unice verum est, uti Diss. VI. ad Dan. demonstravi, et cum superiore numero 3 ann. et 6 Mens. conciliavi, duplice posita epocha, altera sanctorum oppugnationis, altera sacrificii ablati edicto regis, haec enim illa paucis Mens. est posterior. Qua vero ratione hic numerus in concordiam sit redigendus cum Dan. XII: 11. ibid. exposui: quod tanti non est, ut nos hic detineat. Denique, si strictissime sumatur duratio, ab edicto Regis de abneganda religione ad initium oppositionis Judae, quando jacta sunt liberationis fundamenta, *unius* tantum anni erit. Publicatum fuit edictum, ann. aer. Sel. 145., et anno sequente Juda sese palam coepit opponere. Ex quibus elucescit, adflictionem, licet satis diuturnam, censeri posse *brevis* temporis, in primis relate ad exilium Babylonicum, sicut adpellatur Jes. XXVI: 20. et LIV: 8.

§. CCCCXLVIII. Nihil restat, quam ut caussas *moventes* et *finales* hujus calamitatis, respectu autoris Antiochi Epiphanis non tantum, sed et supremi Directoris, Dei Israelis, verbo subjungam. Licet Antiochus praetexuerit defectionem Judaeorum, ut supra observavi, studio quoque religionis Graecanicae videri voluerit litare, dum ejus solius exercitium per totum regnum obtinere jussit, 1 Macc. I.; vera tamen ratio movens non fuit, cum ipse Numinum cultum minoris fecerit, et Deum Maussin, seu Plutum, opes et divitias, tantum adoraverit, et coluerit, ut Dan. XI: 36. et seq. declaratur, ac in Comm. illustravi, sed illa quaerenda est in avaritia, seu opum corradendarum studio, ac dominandi libidine; unde ortum est propositum omnes regni sui populos ad unam eandemque religionem adstringendi, tanquam societatis praecipuum vinculum, secundum rationes politicas. Cum autem Judaei, vi religionis suae, huic consilio maxime obstarent, multi tamen inter eos ad Graecanicam inclinarent, opportunum ratus tempus religionem illam destruendi, omnem in eam fecit impetum;

 adeo

adeo ut, quos per Philosophos Graecanicos, eo fini in Judaeam missos, aut promissa, aliaque motiva, allicere non posset, minis ac cruciatibus, ad mortem usque, abstrahere instituerit: quod cum non succederet, Maccabaei quoque sese palam opponerent, bello eos adgressus est, eo scopo, ut totam illam gentem deleret. De quo Antiochi, et hostium populi Dei, scopo, et animo, sicut Ps. LXXIV: 8. his verbis, hostibus in ore datis, *dixerunt in corde suo, eradicemus eos uniter*, autor Ps., ad haec tempora respiciens, ut in Comm. demonstravi, ita historia Maccab. testatur. Vid. 1 Macc. III: 35, 36. VI: 12. VII: 35. 2 Macc. VIII: 8, 9. IX: 4, 14.

§. CCCCXLIX. Sed longe alius fuit supremi Rectoris, et Dei Israelis, *scopus*, longe alius quoque eventus: qui Dan. XI: 32. his verbis praenunciatus exstat: corruent *ad probandum*, *nitidandum*, ac *dealbandum*, quibus significatur, ut in Comm. docui, duplicem finem et exitum adflictionis fore, *probationis* scilicet et *purgationis*, ac in meliorem statum redactionis. *Probationis* conspectus sese offert in fidei constantia, studii religionis ac virtutis demonstratione, conservata in quibusvis periculis et adflictionibus, religionis causa. *Purgatio* vero in eo conspicua fuit, quod populus partim a ritibus superstitiosis, e gentilismo desumtis, ac inproborum hominum mixtura, simul a languore ac tepore religionis, aliisque corruptelis, quae in Ecclesiam Judaicam irrepserant, fuerit per hanc adflictionem *purgatus*, partim in longe splendidiorem conditionem, post eam, translatus; uti sub Simone et Hyrcano factum est: de quo postea suo loco. Exstat de eo luculenta praedictio, Dan. XII: 2, 3. Ipsi prudentes Judaeorum hoc oculo persecutionem quoque, eo ipso tempore, sunt contemplati. Mattatias in oratione ad filios 1 Macc. II: 49. ἐλεγμὸν *explorationem* propterea adpellavit, notabilia sunt autoris 2 Maccab. VI: 12. verba: *hujus libri lectores hortor, ne propter adversos casus animum despondeant, sed cogitent, poenas non ad perniciem,*

vitiem, sed correctionem esse nostri generis. Opus quoque hac castigatione Divina habebat populus, ut de statu ejus *interno*, seu morali, verbo aliquid moneam, cum, sicut Pontifices, maxime circa finem intervalli, omne fas et jus proculcarunt, Pontificatu facto venali, et legibus Mos. suisque deque habitis, ut ex superioribus constat, ita multiplex invasit in populum corruptio, varia ad ritus et mores Graecorum inclinatio, ita ut impiorum factio praevaluerit, scelera varia dominata fuerint, et pii facti languidi ac lugentes. *Desciverant*, inquit autor 1 Macc. I., *a foedere sancto, et adjuncti sunt gentibus, ac venditi ad malum.* Sicut etiam Jes. XXIV: 5. de his temporibus dicitur, *terram fuisse foede pollutam sub habitatoribus suis, leges violatas, statutum immutatum, ac foedus aeternum irritum factum.* Ubi vid. C. Vitringa.

§. CCCCL. Judaei hoc intervallo, quod notatu dignum est, multiplicati et dispersi fuerunt, ut eorum extra Canānaeam aliquam subnectam notitiam, per Asiam in primis, et AEgyptum, partim per locorum commoditates allecti, ut res suas redderent lautiores, partim rerum tenuitate, et variis calamitatibus in patria, compulsi, partim denique a Regibus Syriae et AEgypti in regiones, et urbes suas, ad eas civibus replendas, simul tutandas, habebantur enim maxime fideles, translati, et jure civitatis, aliisque privilegiis, donati. Seleucus Nicator in civitates, a se conditas, praecipue Antiochiam Syriae, Judaeos transtulit, sicut dein Antiochus M. in Phrygiam, Lydiam, et vicinas regiones: unde Judaei Asiatici orti sunt: a Ptolemaeo Lagi in Libyam, Cyrenen, et vicina loca transportati sunt, praecipue Alexandriam; qui ipsis maxime fidit et favit, praesidia tradidit custodienda, jus civitatis dedit, et per AEgyptum eos dissеminavit, cujus exemplum secuti sunt Philadelphus et Euergetes. Vid. Cl. Vitringa ad Jes. XIX., et Wagenseil. ad Lippomann. Ante Ptolemaeorum tempora multi jam fuerunt in AEgypto, a Persis captivi facti, et eo deducti: ut ex epistola

 Phila-

Philadelphi ad Eleazarum Pontificem apud Aristaeam, et *Jos.* Ant. l. XII. patet: ficta quidem est epistola, sed super veris structa hypothesibus. Verum sub Ptolemaeo Lagi plures eo sunt abducti, vel profecti, Jos. l. c. teste, nec in occiduo tantum, seu Alexandriae, sedes fixerunt, verum, idque praecipue, in Orientali tractu AEgypti, ut in regione, dicta *Oniae*. Jos. Ant. XIV. in extremo etiam limite, septentrionem versus, apud Pelusium; eodem ibid. teste, qui de studio Ptolemaeorum in Judaeos, eorumque multitudine per AEgyptum et Cyrenem, prolixe agit, contra Ap. lib. II. Habuerunt etiam Synagogas, ubique dispersas, splendidam in primis Alexandriae, quae speciem Templi praeferebat, Philo leg. ad Cajum, ut et Heliopoli et Memphi; uti ex Strab. l. XVII. liquet, ubi memorat Heliopoli aedem fabricae barbaricae, quae nihil habebat pictum, quae Synagoga Judaeorum fuisse videtur. Denique in eadem praefectura Heliopolitana, prope Memphin, et non Alexandriae, ut tradunt Talmudici, exstructum est sub Ptolemaeo Philometore Templum, ad normam Hierosolymitani, ab Onia, filio Oniae IIItii, qui, Menelao sublato, et Alcimo Pontifice facto, se contulit in AEgyptum, et, condito Templo, se Pontificem constituit, omniaque ordinavit secundum normam Mosaicam, seu ritus Judaicos; inductus, ut traditur, vaticinio Jes. XIX. de *altari* Jehovae in AEgypto erigendo. Substitit illud Templum aliquandiu post Hierosolymitanum a Romanis destructum, donec a Lupo, Alexandriae praefecto, fuerit clausum, a Paulino, ejus successore, inaccessum factum. Vid. Jos. Ant. XII. et de B. Jud. l. VII. Stetit itaque ann. 243, uti pro 343 legendum est, apud Jos. de B. J. l. c. Loca Talmudicorum de hoc Templo qui velit, adeat Selden. de successione Pontif. Jud., et Ligtfot. ad Matt. II. et Joh. IV. Ceterum de singulari fato Judaeorum, primum tristissimo, dein laeto, et glorioso, sub Ptolemaeo Philopatore, lib. III. Maccab. narrato, egi in historia regum AEgypti.

§. CCCCLI.


§. CCCCLI. Historia periodi per intervalla, a destructo Templo per Chaldaeos, ad initium Judae Maccabaei, absoluta, pro more constituenda est chronologia, seu duratio periodi definienda: quod paucis fieri potest, cum hic magis in plano versemur. 1. Templum combustum est ann. Per. Jul. 4127 aer. Nabonass. 161. 2. Inde ad finem exilii Babyl., ut ex superioribus patet, sunt anni 51. 3. Cyri initium, quo Judaei redierunt, finito exilio, in Patriam, incidit in ann. Per. Jul. 4178. aer. Nabon. 212. Unde 4. usque ad aeram Seleucid., de qua mox, quae 11 ann. a morte Alex. M. incipit, fluxerunt anni 224, adeoque incidit illa aera in ann. P. Jul. 4402, aer. Nabon. 436, quod Veterum calculo bene respondet, connectunt enim obitum Alex. M. cum ann. aer. Nabon. 425*to*, 11 autem annos post initium sumit aer. Seleuc. Denique 5. Judae Maccab. initium figitur in anno aer. Sel. 146, adeoque Per. Jul. 4548, aer. Nabon. 582. Cum itaque terminus Periodi *a quo* sit ann. Per. Jul. 4127, et *ad quem* ejusdem Per. Jul. 4548, duraverit necesse est periodus ann. 421, quot sunt inter terminos positos. Supputatio ergo haec est:

1. A destructo Templo ad Cyri initium. - -	51
2. Inde ad aeram Seleuc. - - - - - - - - -	224
3. Inde ad initium Judae Maccab. - - - - -	146
S.	421

§. CCCCLII. Ceterum celebris illa aera Seleucidarum, ut verbo eam exponam, qua Libri Maccab. quoque utuntur, incipit ab ann. 12*mo* post obitum Alexandri M., quum praefecturam Babyloniae, ipsi ab Antigono ereptam, recuperavit Seleucus, copiis Ptolemaei Lagi, ut supra suo loco narravi, quod ann. 11*mo* a morte Alex. M. contigit. Vid. Norisius de Epochis Syr. Maced. Variis autem venit nominibus: appellatur enim 1. Alexandrea ab Alex. M., quia ejus, prae reliquis, successores haberi voluerunt

Mmm 2 Seleucidae


Seleucidae 2. Arabibus propterea vocatur *Tarich-Dil-karnaim* h. e. epocha *δικέρωτος*, *bicornis*; qui Alex. M. fuit titulus. 3. Judaeis est *aera contractuum*, מנין שטרות *numeratio contractuum*, in contractibus civilibus, in honorem Alex. M., ab ipsis adsumta: 4. denique aera Graecorum, Seleucidarum, etiam Antiochena. Sed ab hac epocha probe distinguenda est alia, 11 annis posterior, postquam Seleucus, Antigono occiso, et regno diviso, ann. 4to Olymp. CXIX., *Syriae* quoque adeptus est Principatum: quae duae epochae saepe male confunduntur. Vid. Noris. l. c. Praeter hanc aeram Seleucidarum, aliae adhuc inceperunt, regnorum nimirum in Asia post Alex. M. ortorum; quorum notitiam supra in genere, et paucis, dedi, quantum ad intellectum visorum Danielis, et scopo nostro, sufficit. Quare ad periodi hujus tractationem nihil superesset, quam ut Carthaginiensium, Atheniensium, et Romanorum gesta, et fata exstantiora, enarrarem, quod quidem non injucundum aut inutile foret, propter multa singularia, in primis in Graecorum et Romanorum historia: sed cum ad historiam Judaicam illustrandam adhuc parum faciant, et ad institutiones historiae Universalis pertineant, ibique tractari soleant, iis hic non inmorabor, ne tractatio nostra nimis fiat prolixa.



PERIODUS

PERIODUS SEPTIMA.

AB INITIIS JUDAE MACCABAEI AD AERAM CHRISTI VULGAREM ANN. 166.

§. CCCCLIII.  Ontinet haec periodus instaurationem Reip. et Ecclesiae Judaicae, post gravissimam adflictionem Epiphanicam, per Maccabaeos, diuturno et difficili bello, heroice et feliciter gesto, factam, instaurati dein populi multiplicationem, et amplificationem, ac prosperitatem prorsus mirabilem, adeo ut res Judaeorum sub Maccabaeis longe florentiores fuerint, quam unquam antea, vel sub ipso Davide ac Salomone: deinde, per intestinas discordias, et morum depravationem, statum rursus collapsum, et valde inminutum per Romanos, inde occasionem nactos sese rebus Judaeorum inmiscendi sub Pompejo, donec vario gradu in potestatem Romanorum inciderint, postquam sub Herode M., aliquatenus respirassent, et speciem libertatis essent adepti: quando diu exspectatus Messias in Domino nostro Jesu Christo natus est. Quam historiam antequam adgrediar, pro more generalem praemittam intellectum successionis regni Syriaci, ex Appiano in Syr. praecipue

petendae, et gestorum ejus, relate in primis ad Judaeos, ex Jos. et libris Maccab., praeterea ejus, et aliorum regnorum, post Alexandrum ortorum, interitum per Romanos, ad inplementum prophetiarum et visorum Danielis demonstrandum.

§. CCCCLIV. Antiocho Epiphani, ut supra narravi, mortuo, successit filius ejus *Antiochus*, dictus *Eupator*, minorennis, a gubernatore ejus Lysia in throno subito collocatus, ne Demetrius, filius Seleuci Philopatoris, Romae obses detentus, regnum sibi vindicaret, et administrationem regni suscipiente, excluso Philippo, cui, per Epiphanis dispositionem, legitime ea competebat. Tuitus quidem se est Lysias contra Philippum, qui, Eupatore absente, regnum invadere conabatur, sed in bello cum Judaeis, magno cum adparatu gesto, votorum compos non est factus, ut in historia Judae Maccabaei videbimus. Hic notasse suffecerit, Syro-Macedones sub Eupatore magna fuisse molitos contra Judaeos et AEgyptios, Judaeam quoque, post insignem cladem a Juda acceptam, pacem quoque factam, rursus cum ingente copiarum numero adgressos, Hierosolymam quoque et Templum obsidione cinxisse, et ad incitas redegisse, sed, nuncio de motibus in regno suo exortis ad ipsum delato, subito inde discessisse, simul brevi fatum suum invenisse. Philippus nimirum, regni gubernatione per Lysiam privatus, et inde fugatus, copiis ex Media et Persia collectis, Antiochiam invaserat, contra quem subito movit, relicta Hierosolyma, et pace facta cum civibus, Eupator: Philippum quoque Antiochiae obsedit, superavit, et morte punivit. Sed brevi post Demetrius, qui Romae obsidem agebat, nec honestam a Senatu Romano dimissionem inpetrare poterat, inde dilapsus, in Syriam venit, ut regnum patrium sibi adsereret; quod etiam brevi consecutus est: cum omnes Eupatorem desererent, et ad Demetrium deficerent, adeo etiam, ut a suis fuerit in gratiam Demetrii obtruncatus, cum *duos* tantum regnasset

annos.

annos. Quae historia ex App. in Syr., Livio epitom. l. 46. Justino l. 34. Jos. Ant. XII. 1 Macc. VII. et 2 Macc. XIV. petenda est. Demetrii vero fugam Roma, et adventum in Syriam, fuse narravit Polyb. Excerpt. Leg., qui etiam ipsi autor fugae fuit. Ceterum ad hanc Eupatoris expeditionem in Judaeam, Hierosolymae obsidionem, denique fatalem eventum, et necem Eupatoris, pertinet ultima pericopa, Dan. XI: 40—45. ut in Comm. exposui, et demonstravi.

§. CCCCLV. Successit ipsi hac ratione *Demetrius*, filius Seleuci Philopatoris, *Soter*, sospitator, adpellatus a Babyloniis, quia eos a duobus tyrannis, Timarcho ac Heraclide, illo praefecto, hoc thesaurario, ab Epiphane constituto, liberaverat; illum occidendo, hunc fugando: ut refert Appian. Bellum mox cum Judaeis renovavit, instigatus ab Alcimo, pontifice declarato, ut ipsum introduceret: sed infelici successu. Invasit primo eos per Bacchidem, qui, Alcimo constituto in munere, magna edita inter Judaeos strage, rediit domum: dein per Nicanorem, cum Alcimus se tueri non posset contra Judam, sed victum ac caesum a Juda: denique rursus per Bacchidem et Alcimum; quando Judas in praelio cecidit, et Jonathan ipsum excepit, quocum Demetrius pacem fecit; mortuo Alcimo, et Romanis pro Judaeis intercedentibus: ad quorum placita sese conformare debuit. Postea cum sese otio et luxui dedisset, regni cura omissa, omnibus sese exosum praebuit, adeo ut conspiratio contra ipsum fuerit inita; subornatus ab Heraclide, cujus modo memini, ut se ulcisceretur, quoque aliquis Alexander Balas, qui sese filium Epiphanis dixit, et Romanis quoque inposuit, ita ut ipsum de favore, et auxilio suo, certiorem fecerint. Ipse a regibus Cappadocum, Pergamenorum, ac AEgyptiorum, qui Demetrio, ob bellum Cappadocibus antea illatum, irati erant, adjutus, et Romanorum favore elatus; magno collecto exercitu, Demetrium invasit, simul Jonathanem magnis promissis ipsi factis,

et privilegiis conceſſis, de quo poſtea, in partes ſuas traxit; Demetrium, licet ſe fortiter, copiis collectis, defendentem, victoria etiam in initio reportata, tandem ſuperavit, et vita ac regno privavit; poſtquam regnaſſet ann. 12. ſecundum Polyb., ſed 11 ſecundum Joſ. lib. XIII.

§. CCCCLVI. Haud meliorem ſortem *Alexander Balas* expertus eſt, majore quoque jure, cum fictitius erat Epiphanis filius, ut omnes teſtantur Hiſtorici, Polyb., Liv., App., et Athen. l. V. licet autor 1 Macc. X: eum *filium* Epiphanis adpellet, titulo uſus recepto, et ab ipſo adſumto; adeoque injuſtus invaſor regni Syriaci; qui etiam tyrannice illud gubernavit. Cum enim, ducta Cleopatra, filia Philometoris, regis AEgypti, ſeſe in regno confirmatum videret, et ſecurum putaret, ejus curam dedit Ammonio, primario Miniſtro, ipſe luxu, otio, et infami libidine tempus trivit. Cum vero Ammonius tyrannice ageret, necatis etiam omnibus, quos ſuſpectos habuit, incidit Rex in odium populi: quo animadverſo, Demetrius, filius regis Demetrii Soteris, exulem in Cnido agens, opportunum ratus tempus recuperandi regnum patrium, ope Laſthenis Cnidii, qui Demetrio patri fidelis manſerat, et filios ejus in tutelam receperat, cujus expreſſa exſtat apud Joſ., et in libris Macc. mentio, collectis Cretenſibus in Ciliciam movit, eamque ſubjecit, undequaque ad eum confluentibus regni Syriaci ſubditis. Defecit quoque ad eum Apollonius, Coeleſyriae et Phoeniciae praefectus, qui Jonathanem, Alexandro fidum, oppugnatum, infelici ſucceſſu, ivit, ut poſtea narrabo. Alexander de hiſce omnibus certior factus, torpore excuſſo, ſeſe ad Demetrio reſiſtendum, copiis collectis, adcinxit. Ptolemaeus quoque, ſocer ejus, ingente cum exercitu per Judaeam, in ejus auxilium, intravit Syriam, ſive vere, ſive ſimulate, variant enim Hiſtorici: Joſephus tradit, Ptolemaeum Alexandro opem ferre voluiſſe, ſed in itinere intellexiſſe inſidias ſibi ſtrui per Ammonium, qui Ptolemaeum ſuſpectum habebat, ipſo Alexandro conſcio,

ideoque

ideoque, animo mutato, consilia et arma cum Demetrio, contra Alexandrum, conjunxisse: sed autor 1 Macc. X. Ptolemaeum tradit occasionem illam invasionis regni Syriae per Demetrium captasse, ad regnum illud sibi vindicandum; ficta quoque conspiratione Alexandri contra se. De quo quicquid sit, Alexander, audito Ptolemaeum hostili animo regnum intrasse, contra Ipsum movit, sed praelio inito magna clade inferior discessit, et in Arabiam aufugit, ubi a Zabdiele, uno magnatum Arabiae, cui fidebat, nefarie est occisus: postquam regnasset ann. 5. secundum Jos., aut 6 secundum 1 Macc. X.

§. CCCCLVII. Regnum Syriae itaque recuperavit Demetrius, Soteris filius, a parta victoria, et superato Alexandro, adpellatus Nicator, ope Ptolemaei Philometoris, ducta etiam ejus filia Cleopatra, quae antea nupserat Alexandro Balae: sed a Tryphone, uno Ducum Alexandri, qui Antiochum, Alexandri filium, in regni possessionem introducere adgressus est, oppugnatus, ac regno ejectus, a rege Parthorum captus, et in Hyrcaniam relegatus est, cum 2 annos tantum regnasset. Lasthenes enim, cui regni commiserat gubernacula, severae et ambitiosae indolis vir, milites AEgyptios, quos Ptolemaeus in urbibus maritimis Syriae et Phoeniciae collocaverat praesidiarios, neci dedit per copias Syriacas, nec non omnes, quos conspirationis contra patrem Demetrii suspectos habebat, morte punivit, denique maximam partem exercitus, exceptis Cretensibus, dimisit. Quibus facinoribus non tantum regnum nudavit, sed et se omnibus odiosum fecit; accessit Regis desidia et luxuria. Unde factum est, ut, animis civium ab ipso alienatis, Diodotus, postea Tryphon dictus, ab Alexandro cum Hierace praefectus Antiochae constitutus, et a Demetrio neglectus, vir audax et ambitiosus, consilium ceperit Antiochum, Alexandri filium, in throno Syriae collocandi: quod feliciter exsecutus est, ut dixi.

§. CCCCLVIII. Regnum quidem hac ratione est adep-

tus *Antiochus*, in Nummis *Deus*, et Epiphanes, dictus, etiam *Nicephorus*, a Jove Nicephoro, et *Dionysus*, a Baccho, cognominatus, Ez. Spanhem. Num. Diss. VI. sed brevi ab ipso illo Tryphone de throno deturbatus, et occisus est, nondum 10 annos natus, et post duorum annorum regnum, sub tutela Tryphonis. Successit itaque hic ipse *Tryphon*, qui, ut se in regno tueretur, Jonathanem, se quippe parricidam regis non admissurum, adgressus est, et cum aperto marte non posset, dolo, sub specie amicitiae, e medio sustulit; ut postea referam. Sed Tryphoni fortuna haud diu favit, quippe ab Antiocho Sidete, Demetrii Soteris filio, et Nicatoris fratre, superato, et occiso, cum ann. 7 regnasset, tanquam gubernator primum, dein Rex. *Antiochus*, ducta Cleopatra, uxore Demetrii fratris, apud Parthos captivi, et debellato Tryphone, regnum paternum consecutus, nomine *Sidetis* fuit, ob *venandi* studium, insignitus, a Judaeis et Jos. *pius* adpellatus, quia, foedere cum Joh. Hyrcano pacto, taurum, festo Tabernaculorum, eximium Hierosolymam misit, Deo Israelis offerendum; uti praeter Josephum narrat quoque Plutarchus in *Apophtegm.* Honoraverat in principio Simonem Ethnarcham, ut ab ipso auxilia consequeretur, sed postea male ipsum tractavit, ac Judaeis bellum intulit; quando, a Joh. Hyrcano compulsus, aequis cum Judaeis conditionibus pacem fecit: ut postea patebit. Dein Parthis bellum intulit, praetextu fratrem Demetrium, qui ibi tanquam captivus, sed *pro cultu pristinae fortunae*, ducta etiam Rodogune, sorore Phraatis, regis Parthorum, degebat, liberandi, sed vere, ut provincias aliquas, a Parthis regno Syriae ereptas, recuperaret; quod ipsi infeliciter cessit. Felicia quidem fuerunt expeditionis ejus initia, Joh. Hyrcano etiam ipsi opem ferente, ita ut tribus praeliis regem Parthorum profligaverit, et regnum illud ad antiquos ejus terminos reduxerit. Sed cum copias, quas inmenso numero habebat, ad hybernandum nimium dissiparet, illaeque populis, ubi degebant, ni-

mis graves essent, ubique in dissitis locis sunt oppugnatae, et neci datae, ipse Antiochus, cum sua turma in auxilium advolans, eandem subiit sortem, cum omnibus suis occisus: ut Jos., Just., Diod. Sic. et alii narrant Historici. Ap. tradit, ipsum prae desperatione sibi necem intulisse. Regnavit ann. 9. Celebratur in primis a pietate, beneficentia, et humanitate, cujus etiam praeclarum dedit indicium, in Hierosolyma oppugnanda, sub Joh. Hyrcano, quippe cui, quam facile expugnare et delere poterat, non tantum, contra ducum suorum consilia, pepercit, sed et Judaeis honorabilem dedit pacem, et religionem eorum honoravit.

§. CCCCLIX. *Demetrius Nicator*, paulo ante cladem Antiochi a Parthis in Syriam missus, ut, regno occupato, Antiochus a Parthis infestandis abstraheretur, tantopere festinaverat, ut cum, Antiocho profligato, turma militum ad eum revocandum mitteretur, adprehendi amplius non potuerit, in Syriam itaque redux regnum recuperavit, sed austeritate ac tyrannide sua subditorum animos adeo exacerbavit, ut, dum a Cleopatra, a Physcone repudiata regina, evocatus in auxilium, expeditionem susceperat in AEgyptum, palam ab ipso defecerint, et a rege AEgypti alium e Seleucidis petierint regem, quem Demetrio opponant: misit Alexandrum Zabinnam, mercatorem, qui sese Alexandri Balae filium jactavit, et ab Antiocho Sidete adoptatum fingebat. Qui, exercitu Physconis munitus, in Syriam tendens, a magna Syrorum multitudine receptus est, et rex constitutus: conflixit dein cum Demetrio in confiniis Damasci, eumque penitus profligavit. Aufugit Demetrius Ptolemaidem ad Cleopatram uxorem, antea a se repudiatam, sed repulsam tulit, dein Tyrum, ubi fatum invenit, a Tyriis occisus, jussu etiam, ut Ap. et Liv. tradunt, Cleopatrae. Regnavit ann. tantum 4 post reditum e Parthia.

§. CCCCLX. Successit itaque *Zabinnas*, a nonnullis male omissus, ut ex Nummis etiam demonstravit Ez. Spanhem.

Num. Diss. VI. Alexander dictus, ab Alexandro Bala, cujus filium se dixit, et Zabinna, quod filius *mercatoris* fuerit, et mercator Ptolemaei, ut Porphyr. tradit in Excerpt. Scaligeri, vox enim ling. Syr. significat *mercatorem*. Foedus mox pepigit cum Joh. Hyrcano Ethnarcha, ut sese in regno tueretur; animos quoque, suis virtutibus, in specie benevolentiae ac clementiae, civium plurimorum sibi devinxit, ut tradit Diod. Sic. in Excerpt. Vales. Sed regnum ejus brevi turbatum est per Cleopatram, quae, ex Demetrio Nicatore duos habens filios, Seleucum, et Antiochum, *illum*, quia, se inconsulta, et neglecta, regis nomen adsumserat, et pro tali jam in nonnullis regionibus, Cleopatrae principatui in Syria vicinis, agnitus erat, sub specie amicitiae telo sua manu confixit, *hunc* vero Athenis, ubi educabatur, arcessitum, regis titulo ornavit, gubernatione sibi retenta. Quacum foedere inito Ptolemaeus Physcon, Zabinnae factus hostis, quod is regnum suum sibi tributarium facere, sicut postulaverat, recusaverit, filia quoque sua Trifena Antiocho uxore data, exercitu in Syriam misso, Zabinnam brevi de throno, in quo ipsum collocaverat, deturbavit. Praelio enim habito profligatus est Zabinna, qui profugus dein captus, et Antiocho traditus est, ac ab eo occisus: ut Diod. Sic. et Just. referunt; Jos. vero ipsum in praelio cecidisse, et Porphyr. in Graecis Eus. Scaligeri veneno sumto vitam finivisse: regnavit tantum ann. 4.

§. CCCCLXI. Successit *Antiochus*, a naso adunco, seu aquilino, adpellatus *Grypus*, filius Demetrii Nicatoris ex Cleopatra. Statim ac sine matre ipse regnare inciperet, ab inpia ac ambitiosa matre ad necem petitus, praevenit, et venenum, sibi ab ea propinatum, bibere fecit, unde mortua est. Tenuit ab eo tempore regnum satis tranquille, per 8 annos, quando aemulum expertus est *Antiochum Cizicenum*, fratrem uterinum, filium scilicet Cleopatrae ex Antiocho Sidete, ab urbe Propontidis in Mysia, ubi educatus erat cura Crateri, ita adpellatum: qui, Grypo suspectus factus

factus, et propterea e medio tollendus veneno, arma in sui sumsit defensionem contra Grypum, ut regnum Syriae sibi vindicaret. Copiis itaque ope Cleopatrae, filiae Physconis, regis antea AEgypti, et fratri Lathuro nuptiae, sed repudiatae, nunc Ciziceni uxoris factae, collectis, Grypum adgressus est infausto marte, fusus enim ab eo est et fugatus: sed viribus recollectis novo praelio felicior fuit, ac Grypum in fugam conjecit. Trifenam vero, uxorem ejus, quae Cleopatrae, in ipso asylo Antiochiae, post prius praelium, necem nefarie procuraverat, captam morte punivit. Sed dein anno sequente, novis instructus copiis, renovavit bellum, sed et, Syria occupata, finivit per regni divisionem, secundum quam Grypus Damasci regnaret, super Coelesyria et Phoenicia, ipse reliquum Syriae teneret regnum; sed haec pax non fuit diuturna, quia neuter sua parte mansit contentus, adeo ut novum inter eos eruperit bellum; qua occasione, quod notandum, regnum Syriae varie fuit distractum et imminutum. Variae urbes, uti Tyrus, Sidon, Ptolemais, et Gaza, inperio Syriaco renunciantes, sese in libertatem vindicarunt: Coelesyriam partim Arabes, partim Judaei, sub Alexandro Jannaeo, occuparunt. Quo rerum statu Grypus obtruncatus est ab Heracleone, uno subditorum ejus, postquam ann. 29 regnasset, nec Cizicenus diu superfuit, a Seleuco, filio primogenito Grypi, et ejus successore, quia regnum totum Syriacum invadere tentabat, bello petitus, oppressus, et necatus, cum 18 annos regnasset. Ipse quoque *Seleucus* eandem sortem brevi post subiit, ab *Antiocho*, titulo *Eusebis* insignito, filio Ciziceni, regis titulum sumente, qui, copiis collectis eum adgressus, fudit, ita ut Mopsuestiae in Cilicia sese incluserit, brevi a civibus, una cum palatio, flammis traditus, postquam 7 mens., teste Porphyrio, regnasset. Quam necem mox ulti sunt Antiochus et Philippus, fratres Seleuci, Mopsuestiam funditus delendo, sed qui mox vindictae poenam luere debuerunt, ab Eusebe invasi et fusi, Antiocho aquis fluvii Orontis, ubi

pugnatum fuit, ſubmerſo. Bellum mox perſecuti ſunt Euſebes et Philippus, qui evaſerat; quo regnum miſere fuit laceratum.

§. CCCCLXIII. *Euſebes* et *Philippus*, dum ſecum de regno contenderent, novus adhuc rex, *Demetrius Eucheres*, quartus Grypi filius, in ſcenam prodiit, ope Lathuri, regis AEgypti, cujus iram ſibi concitaverat Euſebes, ducta Selene, vidua Grypi, ut res ſuas rectius tueretur, quae uxor fuerat Lathuri, ſed ab eo, ſuaſu matris, repudiata. Pugna dein inter Euſeben et Philippum habita, Euſebes victus et fugatus eſt, ſeſeque ad Parthos contulit. Diviſo tum regno inter fratres, Philippum et Demetrium, nova diſcordiae materia, per Demetrii ambitionem, exorta eſt, ſimul in ejus perniciem. Fratre Philippo invaſo, Antiochia expulſo, ac Beroea, quo ſe contulerat Philippus, arcte obſeſſa, Straton, urbis praefectus, in auxilium vocavit Zizum, Arabiae regem, et Mithridatem, ducem Parthicum, qui Demetrium adgreſſi ſunt, fuderunt exercitum ejus, et ipſum captum miſerunt ad regem Parthorum; quando brevi mortuus eſt, et Philippus in regni poſſeſſione manſit, nec tamen diu tranquille. Praeter Antiochum Euſeben, qui inter Parthos verſatus, et eorum ope adjutus, regiones Syriae, Parthiae vicinas, ſubito invaſit, in ſcenam prodiit *Antiochus Dionyſus*, filius natu minimus Grypi, qui Coeleſyriam occupavit, ſede fixa Damaſci, dum Philippus cum Euſebe concertaret, ſed brevi rurſus poſſeſſione ſua excidit, victus ab Areta, rege Arabiae Petraeae, quocum bellum inprudenter ſuſceperat in ipſa Arabia, ubi fuſus eſt, et mortuus.

§. CCCCLXIV. Inteſtinis hiſce bellis, indeque ortis innumeris malis, ut finis tandem inponeretur, Syrii ſeſe ad *Tigranem*, Armeniae regem, verterunt, quem ad regnum Syriae capeſſendum invitarunt, et inpetrarunt: quo facto, Euſebes, regionibus ſuis relictis, ſeceſſit in Ciliciam, ubi reliquum vitae tempus exegit: quid vero Philippo acciderit,

rit, non conftat. Selene vero, uxor Antiochi Eufebis, retinuit Ptolemaida, cum aliqua parte Coelefyriae et Phoeniciae; ubi multos annos quiete regnavit, duofque filios, Antiochum, Afiaticum adpellatum, quia in Afia erat educatus, et Seleucum Cibiofacten, regio more inftrui fecit. Sed hac fua poffeffione non contenta, cum urbes folicitaret ad defectionem a Tigrane, ruinam fuam fibi peperit. Tigranes enim eam invafit, Ptolemaida occupavit, et Selenen captam vita privavit Seleuciae in Mefopotamia, quorfum eam abduxerat in Armeniam rediens. Tigranes vero, cum 14 annos regnum Syriae pacifice gubernaffet, per Megdaten, ei praefectum, inplicitus bello cum Romanis, eum cum copiis ad fe vocavit, ut Lucullo, a quo ingente clade adfectus erat, melius refifteret. Quo facto, Antiochus Afiaticus in poteftatem fuam nonnullas Syriae provincias redegit, eafque 4 tenuit annos, abfque ut a Romanis aut Tigrane fuerit turbatus; Tigrane interea alias partes tenente; donec totum Syriae regnum fuerit in formam provinciae redactum a Romanis, poftquam Tigranes 18 annos ibi regnaffet, 4 illis Antiochi Afiatici inclufis. Tigrane enim a Lucullo, et dein Pompejo, fuperato, Regnum Syriae finem accepit, et provincia Romana factum eft. Antiochus quidem Afiaticus, qui de Seleucidis fupererat, regnum illud a Pompejo petiit, tanquam fibi conpetens; fed retulit fuperbum refponfum, regnum, Tigrani a Romanis ereptum, ipfis jure belli competere, fimul rectius ab ipfis contra Judaeos et Arabes, aliofque invafores, defendi poffe. Vid. Ap. in Syr. Dion Caff. l. XXXV., praeter Juftin. et Porphyrium in Graec. Eufeb. Scaligeri. Num vero Syria Commagena, Syriae verfus feptentrionem vicina, ipfi fuerit conceffa, dubium eft. Inter Antiochum Afiaticum, e ftirpe Seleucidarum, ac Antiochum Commagenum paffim quidem diftinguitur, fed unum eundemque fuiffe, adeoque Afiaticum a Pompejo, loco regni Syriaci, quod petebat, hoc Commagenum accepiffe, contendunt Viri praeclari Ez. Spanhem.

Spanhem. Num. tom. I. et Noriſ. in Epochis Syro-Maced., ac Vaillant de Reg. Syriae. Quod mihi etiam videtur probabilius, cum Antiochi nomen fuerit ſtirpi Seleucidarum proprium, nec de rege Commagenorum ante hoc tempus quicquam legatur. Ceterum manſit hoc regnum penes Antiochum, ejuſque poſteros, uſque ad Veſpaſianum, qui regem depoſuit, et Romam tranſtulit, Ioſ. B. Jud. l. VII., quando domus Seleuci plane fuit exſtincta. Stetit vero regnum Syriacum, a Seleuco, uſque ad ejus deſtructionem, victo Tigrane, per Pompejum, ann. 248, et ab eo tempore per Praeſides Romanos gubernatum eſt, per ann. 60, uſque ad natum Chriſtum. De quibus Vid. Noriſ. Cenot. Piſ. Diſſ. II. Fuerunt hac periodo Sextus Julius Caeſar, amicus et neceſſarius Julii Caeſaris, occiſus dein arte Baſſi, ann. U. C. 708, cui ſucceſſit Baſſus, qui, juſſu Caeſaris, a Cornificio, dein a ſtatio Murco, oppugnatus, tandem, exercitu ad C. Caſſium accedente, victus eſt an. U. C. 711. Denique Dolabella, cui ea provincia obtigerat, etiam a Caſſio devicto, ipſe Caſſius nomine Proconſ. eam rexit; donec, triumviratu inito, ipſe hoſtis declaratus, et ſuperatus, ſibi manus intulerit: an. U. C. 712.

§. CCCCLXV. Inpletum itaque in regno Syriaco eſt, quod in viſis Dan. II et VII. praedictum fuit, de lapide in pedes ſtatuae inpellente, et confractionis initium faciente, nec non de quartae beſtiae corpore in ignem conjecto, ut in Diſſ. VII. ad Dan. expoſui. Senſus vaticiniorum illorum, reſpectu regni Syriaci, eſt, illud reſpectu inperii in Judaeos non tantum eſſe delendum, quod per Maccabaeos factum eſſe, mox, in eorum hiſtoria, videbimus, (Lapis in ſtatuae alterum pedem irruere coepit ſub Juda Maccabaeo, et confregit ſub Simone Ethnarcha, dein conſummavit ſub Joh. Hyrcano, et Alexandro Jannaeo,) ſed et totum deſtruendum, idque cum multis *juſtitiae* Divinae, cujus ſymbolum *ignis* eſt, *ſignis*. Deſtructio cum ex ſuperiore conſtet hiſtoria, nonnulla proferam judicii divini

exſtantiora

exstantiora signa, in hoc regno post hostiles Judaeorum oppugnationes conspicua. Qualia fuerunt 1. varia praesentiae Dei, populi sui vindicis, indicia, in bello Maccab. cum Syris, postea memoranda, 2. violentae et continuae regum Syriae, ab Antiocho Epiphane facto initio, caedes, ex *parricidialibus* passim istius regni *discordiis*, quae Just. l. XXXIX. phrasis est, ortae. Exempla, ex superiore historia nota, repetere supersedeo. Notabilis in primis est ipsius Antiochi Epiphanis casus, supra narratus, in quo exteri etiam Scriptores vindictam divinam agnoverunt: quo praedictio Dan. VIII: 24. etiam pertinet, *eum sine manu esse frangendum.* 3. Intestinae, regiae domui, ac universo regno, funestae discordiae, et terribiles concertationes inter familias regias, ex eadem stirpe ortas, de regno, quibus se invicem solio deturbarunt, multum sanguinis civilis fuderunt, regni robur adtriverunt, et vicinorum invasionibus exposuerunt: quae ex historia sunt notissima. Fuerunt autem, ut illud hic repetam, successiones duae, ex eadem stirpe regia cretae, quae secum hac ratione collisae sunt. Prior fuit Demetrii Soteris, ex Seleuco Philopatore, fratre Antiochi Epiphanis orti, et Alexandri Balae, qui sese filium Epiphanis jactavit: *posterior* duorum fratrum uterinorum, Antiochi Grypi, et Cyziceni, et utriusque filiorum: unde occasio tandem nata est regni Syriaci, primum a Tigrane, dein Romanis, subacti. 4. Addere liceat, terribilem plane terrae concussionem, circa tempora Tigranis, bellis cessantibus, Syriam pervasisse, et vastasse. De qua Just. l. XL. his notabilibus verbis. *Sed sicut ab hostibus tuta Syria fuit, ita terrae motu vastata est, quo centum septuaginta millia hominum, et multae urbes perierunt: quod prodigium mutationem rerum portendere, aruspices responderunt.*

§. CCCCLXVI. Sed in regno Syriae non tantum, licet eximie, verum in reliquis quoque regnis ex Alexandrino ortis, et hac periodo destructis, locum illud habuit, de quo, ad visorum illorum de pedibus colossi decem, et cor-

nibus bestiae quartae totidem, inplementum demonstrandum, a scopo et instituto nostro non fuerit alienum paucis exposuisse. *Macedonicum*, ut inde, ordine temporis etiam observato, ordiar, postquam in familia Demetrii Poliorcetae aliquandiu, et in universum 156 ann. stetisset, concidit tandem sub Perseo, a Romanis per AEmilium Paulum subacto, ann. P. Jul. 4546, ante aer. Vulg. 168, quum rex Syriae esset Antiochus Epiphanes, nec tamen tunc, sed aliquandiu post, victo Pseudo-Philippo, in provinciae formam redactum, ut a Gronov. ad Liv. l. XLV. et Perizon. anim. Hist. c. 9. jam est observatum. Ceterum de Perseo, et regni Macedonici eversione, vid. Plut. in AEmilio Paulo, Liv. l. XLI. et Just. XXXIII. Flor. l. II. Diuturnius, simul *potentius*, post Alexandrum, *inperium*, secundum App. in civ. bell., regnum *AEgyptiacum*, primorum trium regum, Lagi, Philadelphi et Euergetis, temporibus, florentissimum, postea, desidia, luxu et discordia, varie concussum et debilitatum, seseque Romanorum patrocinio fere sustinens, et ab illis dependens, post varias regum hac periodo successiones, uti Physconis, Lathuri, Alexandri, Auletis, Dionysii et Cleopatrae, nulla re aut virtute excellentium, a Caesare totum occupatum, nec tamen ditioni Romanae, ob amorem Cleopatrae, adscriptum, tandem plenissime subactum est ab Octavio, et in provinciae formam redactum ann. 30 ante aer. Vulg. Christ. cum durasset ann. 294. Vid. Plut. in Antonio, Dion Cass. l. II. Strab. l. XVII.

§. CCCCLXVII. *Ponti* regnum, post aliquot Regum successiones, concidit tandem in Mithridate, a rebus gestis Magno dicto: qui, post praeclara gesta in bellis cum Scythis, quos vicit, dein cum Paphlagonibus et Cappadocibus, quos sibi subjecit, tandem propterea bello cum Romanis inplicitus, post diuturnum bellum, varia gestum fortuna, a Sylla, dein Lucullo, tandem Pompejo, victus, morte sua, quam sibi ipse conscivit, regnum ruina sua involvit. Mortuo enim Mithridate *cuncta inperii ejus, paucis exceptis, ever-*

sa

[redacted]

sa sunt, inquit Dion Caff. l. XXXVI. Pompejus avitum ejus principatum, Bithyniae proximum, in Provinciae formam redegit, reliqua varie diftribuit, App. de Bello Mithrid. Strab. l. XII. Liv. epitom. c. 102. Quae mutatio poftea ibi acciderit, enarrare nihil adtinet. *Cappadociae* regnum, cum pofteri Ariarathis aliquandiu tenuiffent, qui tamen Majeftatem Romanam, fub fpeciofo amicorum et fociorum titulo, jam antea revereri debuerant, tandem Archelaus, reges priores nulla contingens adfinitate, ab Antonio accepiffet, formam provinciae, eo defuncto, adeptum eft, vel fub Augufto, ut App. in Mithrid. tradit, vel fub Tiberio, ut Dion. Caff. l. LVII. et Tacit. Ann. l. II.

§. CCCCLXVIII. *Bithyniae* regnum, per octo regum fucceffiones devolutum, jam fub Prufio, dicto Venatore, ad Romanos refpiciens, cum ipfe, eos metuens, fe illorum *libertum* profeffus, in regno ex Romanorum mifericordia confirmatus fit, referente App. in Mithrid., tandem Romanis, mortuo Nicomede *IVto*, qui populum Rom. fcripfit teftamento haeredem, plane ceffit, ut Id. ibid. narrat, ann. U. C. 679, cum ftetiffet, tefte Syncello, ann. 213, adeoque ante aer. Vulg. Chrift. 76. Diu ante, eodem ad fpeciem titulo, regnum *Pergamenum* fibi vindicavit populus Romanus, Attali *IIItii* teftamento, quo populum Rom. bonorum *fuorum* haeredem fcripferat, ad ipfum regnum tracto: quando *provincia Romana*, et *Afia* propric dicta eft. Strab. l. XII. Juftin. l. XXXVI. Liv. epit. 58. Accidit ann. Per. Jul. 4581, ante aer. Vulg. 133, rege Syriae Antiocho Sidete, et Judaeorum Ethnarcha Joh. Hyrcano. Stetit itaque regnum ann. 150, nec fine judicii divini fignis peffum ivit. Attalus enim ifte, *florentiffimum* ab *Eumene patruo acceptum regnum*, caedibus *amicorum*, *et cognatorum fuppliciis*, *foedaverat*, inquit Juft., addens, eum poftea *nullum fignum fani hominis habuiffe*, *prorfus ut poenas pendere Manibus interfectorum videretur*. *Armeniae* regnum, primo in duo divifum, dein fub Tigrane II*do*, eodem, qui Syriae regnum tenuit,

 unitum,

AEgypti, et Asiae, a Romanis subactis, strictim protuli; sicut prophetiarum inplementum elucescit, ita colligere licet, Deum, tanquam supremum orbis judicem, et Ecclesiae suae vindicem, Romanis in primis usum fuisse, tanquam instrumentis, ad judicia sua in tyrannica, et populo, regnoque Dei, opposita regna, exsequenda, eo praeterea scopo, ut liberior regno Messiae cursus aperiretur, orbe quasi, in tot diversa regna despotica diviso, in unam civitatem magnam coadunato, et per leges, magis justas ac aequas, gubernato, denique *locus* regno ejus erigendo praepararetur, quippe quod in medio ejus suo tempore erigeretur. Quae fusius deduxi Diss. VII. ad Dan. Hic uno alterove contentus ero observato. 1. *Primum* est, Romanos ad judicia illa exsequenda eo rectius fuisse electos, quod a regio dominatu alienissimi, libertatisque populorum, sub tyrannico inperio gementium, studio ducti, ad regna quaquaversum abolenda, populos ab inpotente dominio liberandos, simul ad legitimam justi regiminis, secundum fixas leges, formam redigendos, aptiores censeri potuerint, sicut etiam in principio sese praestiterunt, sive propriis legibus uti siverint populos, sive Romana jura ipsis praescripserint. Quae singularis scena, et in Oriente ignotior, nunc ob sapientes rationes erat instituenda, nec per alios rectius poterat, cum reges ubique per Graeciam et Asiam pro libidine regnarent. Exempla, alibi l. cit. producta, repetere supersedeo. 2. *Secundum* est, Romanum inperium Judaicae Ecclesiae stabiliendae ac propagandae non tantum multum tribuisse, partim hostiles populos reprimendo; partim populum Judaeum amicitia ac patrocinio honorando, de quo tot decreta eorum, et ad eorum exempla, aliorum populorum, in favorem Judaeorum quoque testantur apud Jos. Ant. l. XIV., quae decreta, postea omissa, in variis editionibus Jos. a J. Gronovio, ex antiquo MSS. Is. Vossii, junctim sunt edita, non solum Judaicae, inquam, sed et Christianae Ecclesiae, inter Judaeos et Gentes condendae, opem

tulisse, cum quod Judaeorum, hostium Ecclesiae factorum, potentiam fregerit, ipsam quoque oeconomiam legalem destruxerit, tum Euangelio satis liberum, ad aliquod tempus, permiserit cursum. 3. *Tertium* sit, Judaeos ipsos, cum, in summa dignitate ac prosperitate collocati, superbius agere inciperent, regium quoque inperium in medio sui admittentes, simul mutuis discordiis se adtererent, in eorundem Romanorum potestatem incidisse, ac cum reliquis regnis, provinciam fuisse factos Romanam, Sceptro et Legislatore e medio sublato. Qui hujus periodi singularis est character: uti historia ejus, ad quam pergo, docebit. Dandus quidem erat Romani Inperii, ad quod peculiarem nacti sunt Judaei, hac periodo, relationem, generalis conspectus; sed, ne nimias hic traham moras, et quia circa finem periodi cum Romanis demum coeperunt committi, Judaeorum hujus periodi historiam subnectam, postea suo loco Romani inperii generalem daturus notitiam.

HISTORIA POPULI JUDAEI

§. CCCCLXXI. Cum vero haec historia, quoad tempora primorum Principum Maccabaeorum, petenda sit, praeter Josephum, ex duobus libris Maccabaeorum: de *illis* pauca sunt praefanda. *Primus*, qui historiam usque ad mortem Simonis Ethnarchae perduxit, exstitit quidem olim, teste Hieronymo, Hebraice, et titulum, ut ex Origene refert Euseb. H. VI: 25. praetulit σαρβηθ σαρβανελ, seu, ut jam advertit Bochartus, שרביט שר בני אל *sceptrum principis filiorum Dei*, scilicet Michaelis Angeli, principis populi Dei, Dan. X et XII.; sed non superest, nisi Graece, incertum num originitus fuerit Graeca an Hebraea, seu Syro-Chaldaica lingua scriptus, licet ad divinorum librorum Vet. Test. catalogum non pertineat, magnae tamen in Ecclesia, etiam antiquissima Christiana, fuit autoritatis, deinceps etiam male pro canonico habitus, et pro fide digna historia

historia, ex mea quoque opinione, habendus est, et Josepho quoque ad manus fuit, confectus, ut videtur, ex *annalibus*, seu ephemeridibus publicis; quod de Johannis Hyrcani gestis diserte testatur autor c. XVI: 24. Nec aliquid in eo occurrit, quod hanc praerogativam destruat; licet hic illic forte lapsus fuerit autor, quippe humanus, non divinus, vir, in opinionibus, et rebus Romanorum, aut aliorum: sed quibus fides in Judaeorum ejus temporis historia infringi nequit. Ne dicam disputari posse, num in ipsis illis rebus fuerit hallucinatus, de quo legi meretur Albericus Gentilis in peculiari dissertat., Bibliis Criticis inserta.

§. CCCCLXXII. *Secundus* vero liber est *epitome Maccabaeorum*, ut a Clem. Alex. Str. l. V. adpellatur, ex *quinque libris* alicujus Jasonis Cyrenaei, Graece scriptis, confecta, c. II: 23. ab incerto autore, eo scopo, ut historia Judae, et fratrum, instaurationis sacrorum, praeliorum cum Antiocho Epiphane, ejusque filio Eupatore, et signorum coelestium, etc. traderetur. Interea praemissa sunt, praeter duas epistolas ab Hierosolymitanis ad Alexandrinos, et ad Aristobulum, praeceptorem Ptolemaei, scriptas, de celebrando festo purificationis Templi per Judam, nonnulla, quae ante initium libri primi contigerant, primis quinque capitibus comprehensa, et aliqua, ad tempus Demetrii Soteris, successoris Eupatoris, pertinentia, subjuncta sunt duobus ultimis capitibus: quae additamenta aliumne, an eundem, habeant autorem, minus liquidum est. Ceterum licet ejusdem fuerit inter Veteres Christianos autoritatis ac primus liber, forte tamen minoris videtur faciendus, quamvis ex mea opinione etiam maximae, adeo ut in hac Maccabaeorum historia sit continuo consulendus, et cum primo libro ac Josepho conferendus.

§. CCCCLXXIII. Forma regiminis cum Politico-Ecclesiastica fuerit, ejusque summa penes Ethnarchas primum, dein Reges, simul Pontifices, et Synedrium, hac periodo ortum, supre-

supremorum illorum Rectorum historia tradenda est, qui populum in libertatem primum vindicarunt, dein gubernarunt. Primus Dux et Ethnarcha fuit JUDAS Assamonaeus, adpellatus Maccabaeus: cujus utriusque nominis dubia est origo. *Assamonaei* nomen ab uno majorum ejus, ita adpellato, ut Jos. Ant. l. XII. tradit, originem traxisse probabile est, forte cum adlusione ad vocem חשמן Ps. LXVIII. ut principalis dignitas et excellentia ejus designaretur. Nomen *Maccabaei* autumaverim, ne aliorum opiniones memorem, Judae in specie fuisse datum ob virtutem bellicam, quae in ipso eluxit prae aliis; concinit enim Hebr. מקב *malleus*. Dein nomen illud latiorem induit significatum, quo omnes illos designat, qui animo inperterrito, et heroico induti spiritu, pro lege et religione pugnant, vel patiuntur, ad exemplum quoque Judae, primi ducis. Filius fuit Mattatiae, sacerdotis e classe Jojaribi, in vico Modin sedem habentis, viri virtute et studio religionis praeclari: qui primus sese, instar Phineae Zelotae, regis mandato de idolis sacrificando palam non tantum opposuit, sed et Judaeum, ad offerendum abstractum, et sacrificare paratum, occidit, Apelle, uno ducum Antiochi, qui Modin venerant, ut Judaeos ad idololatriam compellerent, a filiis ejus, eodem spiritu ductis, mox necato. Quo facto, collectis quotquot poterant legis studiosis, in desertum confugerunt; multosque ad se adlicuerunt, in primis Chasidaeos, seu pios, et legis prae aliis studiosos. Mattatias hac turma, parva quidem, sed heroico spiritu animata, stipatus in publicum prodiit, et varia peragravit loca, idola destruens, apostatas e medio tollens, aut fugans, et religionis exercitium, quantum pote, restituens. Sed cum jam valde senex esset, opus ulterius promovere non potuit, brevi mortuus, postquam filios ad opus inceptum strenue urgendum excitasset, et fiduciam in Deum inspirasset, Juda constituto duce in locum suum: et praeter eum, quatuor aliis relictis filiis, Johanne, Simone, Eleazaro et Jonathane, 1 Macc. II. et Jos. Ant. l. XII.

§. CCCCLXXIV.

§. CCCCLXXIV. Judas, exsequiis Patris rite peractis, opus, sibi demandatum, statim adgressus est, 6 tantum millibus stipatus viris, 2 Macc. VIII. tanto cum successu, ut varia Judaeae munita loca occupaverit, hostesque prostraverit. Quo successu excitatus Apollonius, Judaeae et Samariae praefectus, eum magna militum manu invasit; sed cum insigni clade suorum victus, ac necatus est: nec multum dissimilem sortem nactus est Seron, Coelesyriae inferior praefectus, profligatus a Juda prope Bethoron, ad septentrionem Hierosolymae, inter eam et Sichemum. Secuta brevi insignis, et fere miraculosa, victoria est de Nicanore et Gorgia, strenuis ducibus, a Lysia, gubernatore regni, absente Antiocho Epiphane, et ad remotiora regni loca profecto, ut opes corraderet, sicut in ejus historia narravi, ingente cum exercitu missi, reportata, prope Emmauntem, per Judam, 3 tantum millibus armatum; ubi multa hostium millia ceciderunt, et castra satis opulenta reliquerunt, a Juda spoliata; quo nomen ejus factum est adeo celebre, ut et hostibus fuerit incussus metus, et multi populares animati undequaque ad eum confluxerint: adeo ut 10 millia virorum opponere dein potuerit Lysiae, qui, clade et fuga suorum sub Nicanore et Gorgia audita, Judam cum 75 millibus aggressus est, prope Bethsuram, in tribu Judae versus austrum; quocum conflixit Judas tanto cum inpetu, ut mox 5 millia hostium occiderit, et Lysiae tantum incusserit pavorem, ut Antiochiam fuerit reversus: manifesto indicio auxilii Divini, quo Judas gavisus est.

§. CCCCLXXV. Syris hac ratione cum Lysia loco motis, Judas Hierosolymam tetendit, eamque mire desolatam instauravit, Templum repurgavit, vasa sacra renovavit, ex spoliis hostium, Deo dicatis, et religionis exercitium, solenni dedicatione altaris, auspicatus est, eodem 25 die Mens. Casleu, quo *tribus* annis ante erat profanatum; anno *2do* praefecturae Judae. Duravit illud festum dedicationis Templi *octo* dies, et ut in perpetuum postea celebraretur constitu-

tum est, sicut etiam factum est, nomine festi *encaeniorum* et *luminum*: de quo postea suo loco. Praeterea, ne praesidiarii arcis, Templo imminentis, quam nec oppugnare, nec expugnare, hoc tempore potuit Judas, nimium nocerent in religionis exercitio, montem Templi alto cinxit muro, et munitis turribus, inposito etiam praesidio. Quibus peractis, et Idumaeis quoque, qui Judaeos ubique infestabant, repressis, movit contra Ammonitas, inter quos versabatur Timotheus, dux Syrorum, qui Judaeam cum exercitu, ab Ammonitis adjutus, intrare cogitabat, magna strage inter eos facta, et urbe Jazere occupata, cum Timotheo adpropinquare non posset, rediit in Judaeam: quo cum eum sequeretur Timotheus, exercitu ex vicinis gentilibus collecto, Judas eum invasit, et plusquam 20 millibus occisis, in urbem Gazaram secedere coegit, ubi eum obsedit, et, urbe occupata, neci cum Chezea, fratre ejus, et urbis praefecto, dedit. Gentiles, his mirabilibus Judae successibus irritati, cum conspirarent, ab eo tempore, in necem Judaeorum, in medio sui habitantium, in specie Gileaditarum et Galilaeorum, Judas cum Jonathane Gileaditis in auxilium succurrit, Simon Galilaeis; Josephus et Azaria manserunt Hierosolymae, cum expresso mandato defensionis, non adgressionis, faciendae. Judas cum Jonathane, et Simon, arma victricia ibi circumquaque tulerunt, et populares, hostibus magna inflicta clade, liberarunt: sed Josephus et Azaria fratres, cum, contra expressum Judae mandatum, Jamniam, inter Joppen et Azotum, urbem maritimam, invaderent, haud exigua clade repulsi sunt, et Hierosolymam cum pudore redierunt: Judas vero, in cursu victoriarum pergens, Idumaeos in ordinem redegit, Hebrone, metropoli eorum (Idumaei enim, tempore exilii Babylonici, austrum Judaeae sibi vindicaverant, ut suo loco notavi) capta et destructa, Philistaeos quoque et Samaritanos pervadens, eos a Judaeis infestandis absterruit. Deinde Lysiam, qui, ingente collecto exercitu, Judaeam denuo intravit ab austro, et Bethsuram obsidione

cinxit,

cinxit, nova inflicta clade, compulit ad pacem offerendam, Judaeis concessa libertate religionis: quam accepit Judas, et Antiochus Eupator, cujus tutor Lysias erat, ratihabuit. Nec tamen, Lysia reverso Antiochiam, reliqui duces a bello abstinuerunt, aut vicini populi quieverunt: quare Judas in iis oppugnandis et adfligendis perrexit: quae omnia narrare longum foret. Tantum memorabo praelium cum Georgio, praefecto Idumaeorum, habitum, quo, non sine aliqua clade suorum, superior discessit. Inter eos, qui ceciderant de exercitu Judae, erant, qui secum habebant icunculam idololatricam, inter spoliandum retentam, contra legem Mosis; cui caedes eorum adscripta est, et Judas eam adripuit occasionem, suos ab omni idololatria et superstitione absterrendi.

§. CCCCLXXVI. Judas, Hierosolymam reversus, Arcem Syriorum, dictum Acram, quam praesidiarii eorum tenebant, cum oppugnare coepit, aliqui apostatae Judaeorum, ibi degentes, sibique, si Judas eam expugnaret, metuentes, inde elapsi, Antiochiam ad Eupatorem, regem Syriae, profecti, Judae facinora retulerunt, regemque cum Lysia, gubernatore regni, permoverunt, ad Judam reprimendum, et subigendum. Irruit rex, cum copiosissimo exercitu, in austrum Judaeae, et Bethsuram obsedit: ubi Judas noctu iis supervenit, et, multis occisis, totum exercitum conturbavit: quo Syrii permoti obsidionem missam fecerunt, et sese ad praelium decretorium cum Juda adcinxerunt: quod, licet cum successu inceperit Judas, nimia tamen multitudine ad animum revocata, satius desistere, et Hierosolymam redire, duxit. Quo facto, Bethsura brevi occupata est, et Syrorum copiae recta Hierosolymam ad eam expugnandam, et Judam opprimendum, profectae sunt. Votorum quoque compos cum Rex videretur futurus, subito, per tumultus in regno exortos intestinos, coactus fuit a proposito desistere, et Antiochiam repetere, ut in historia regum Syriae narravi, pace cum Juda, Judaeis honorabili, facta: quam

tamen, intra Hierosolymam admissus, mox aliqua parte violavit, munimenta Templi diruendo. Demetrius dein, cum regnum Syriae, Eupatore cum Lysia e medio sublato, occupasset, ut supra suo loco retuli, ab Alcimo, in locum Menelai, ab Eupatore infami morte adfecti, Pontifice electo, sed a Judaeis non admisso, incitatus, bellum cum Juda renovavit per Bacchidem, satrapam Mesopotamiae, contra Judaeos cum Alcimo, et ingente exercitu, missum. Bacchides, Judae prudentiam et fortitudinem, sibi probe cognitam, metuens, dolo ipsum circumvenire, et ad se, multis cum amicitiae signis, invitare incepit: sed Judas, ei non fidens, sese ad eum oppugnandum adcinxit, nequicquam aliter suadentibus multis Chasidaeorum, melius de Alcimo sperantibus, qui tamen, experimento fidelitatis ejus capto, se deceptos esse senserunt; cum enim ad eum accessissent, ut cum eo agerent, sexaginta eorum mox ab ipso capti et occisi sunt. Judas itaque, in proposito confirmatus, restitit Alcimo fortiter, maxime postquam Bacchides eum deseruerit, et Antiochiam redierit, rem efficere posse armis desperans, cum fraus non successisset. Ipse quoque Alcimus, varia clade a Juda adfectus, consultius duxit regem quoque adire, ut majores inpetraret copias: quibus inpetratis, cum novo duce Nicanore, infensissimo Judaeorum hoste, rediit in Judaeam. Sed Nicanor, Judam metuens, pacis conditiones tanta cum sinceritate obtulit, ut a Juda fuerint admissae, et ipse Hierosolymae fuerit receptus, et pacifice egerit. Quod aegerrime ferens Alcimus, regem denuo adiit, Nicanorem accusans, ac belli renovationem petens: nec successu caruit. Rupit enim rex pacis conditiones, et Nicanori in mandatis dedit, ut Judam e medio tolleret. Quo jussu accepto, ut ei obtemperaret, Judam primum dolo in potestatem redigere conatus est, dein, cum illud non succederet, et Judas alio se recepisset, ad ipsum bello oppugnandum se adcinxit. Praelio cum turma Judaeorum habito, haud procul Hierosolyma,

et

et multis ſuorum perditis, ſecundum autorem lib. Maccab., ſed ſecundum Joſeph. l. XII. c. 10. victoria reportata, recta tetendit Hieroſolymam, et Judam ſibi tradi multis cum minis, et vocibus blaſphemis in religionem eorum, poſtulavit. Quod cum Hieroſolymitani ſe praeſtare non poſſe reſponderent, quia Judas ibi non erat, et iram ejus precibus ac lamentis ſedare conarentur, ipſe eos compellere inſtituit ad religionem abnegandam, ac Judae renunciandum: exemplo ſtatuto in viro decrepito, pietate et religionis ſtudio illuſtri, ac a populo maxime aeſtimato; quem ut caperet, milites ad arcem ejus miſit, qui vel eum ad ſe adducerent, vel arcem flammis traderent. Sed praevenit Razis, hoc enim ejus erat nomen, et ſibi mortem conſcivit; ut 2 Maccab. XIV. narratur, ſed fabuloſis, ut videtur, additis circumſtantiis: ſi enim verae forent, inſani titulo, non pii, aut martyris, inſigniri mereretur; quo per ſuicidium quoque ſe non praeſtitit dignum.

§. CCCCLXXVII. Audito dein, Judam in ditione Samariae verſari, contra ipſum movens, Nicanor cum 35 millium exercitu, a Juda, cum tribus tantum millibus invaſus, ac ipſe mox caeſus eſt, cujus morte exercitus pavore correptus, et in fugam actus, a Juda, et vicinorum locorum Judaeis, ad unum omnes internecione deleti ſunt 2 Macc. XIV. et Joſ. Ant. l. XII. In cujus memoriam feſtum fuit inſtitutum 13*tio* Menſis Adar, quo pugnatum fuit, celebrandum, quod *dies Nicanoris* fuit adpellatum. Judas rediit itaque Hieroſolymam, et aliquo tempore pacifice ibi degit: quando, ut res ſuas rectius tueretur, legatis Romam, ad ſocietatem cum Romanis ineundam, miſſis, a Senatu eam inpetravit Joſ. l. c. et 1 Macc. VIII. Juſt. l. XXXVI. ſed antequam legati cum tabulis pacti redierunt, Judas jam erat mortuus. Miſerat enim interea ſelectas, magno numero, copias, ſub ducibus Bacchide et Alcimo, Demetrius in Judaeam, quibuſcum cum confligare ſtatuiſſet Judas, tribus licet millibus tantum ſtipatus, prope Eleaſam, ab iis deſer-

 tus,

tus, ita ut 800 tantum restiterint, pugnare, quam capi et subjugari, alterutrum enim fieri deberet, maluit. Irruit itaque cum suis animose in dextrum cornu, cui praeerat Bacchides, rupit quoque et insectatus est; quando a sinistro cornu circumdatus est, victus, ac necatus; non sine magna hostium caede. Hac ratione illustris heros pugnando cecidit, et a fratribus in sepulchro patrio Modin inhumatus est, postquam *sex* ann. praefuisset.

§. CCCCLXXVIII. Post hoc funestum praelium, et Judae mortem, inciderunt Judaei in summas angustias, ita ut actum videretur de Rep. et religione. *Magna fuit adflictio in Israele*, inquit autor 1 Macc. IX: 27. post mortem Judae narratam, *qualis non fuerat, ex quo die non fuit visus propheta inter eos.* Jos. quoque Ant. l. XIII: 1. eos tunc in *tanta calamitate fuisse* constitutos tradit, *quantam non experti fuerant post reditum ex Babylone.* Huc quoque respexisse censetur Jes. XXIV: 16. his querulis vocibus: *macies mihi! macies mihi! vae mihi!* ubi vid. Vitringa; utique in hoc tempus unice et accurate quadrat Ps. XLIV. uti in Comm. exposui, nec non Dan. XII: 1. in specie. Juda mortuo, ut in historia pergam, Judaei, partim hostium, undequaque insurgentium, metu, partim fame grassante coacti, sese Bacchidi subjecerunt maximam partem, et in Judae socios severe per Bacchidem inquisitum est, ut detegantur et occidantur. Quo rerum statu, qui religionis patriae amantes erant, confugerunt ad Jonathanem, fratrem Judae, eumque ducem constituerunt in locum Judae. Quo facto, JONATHAN, ut Bacchidis insectationibus cederet, cum parvo sociorum numero, in desertum Thekoae aufugit, ubi prope Jordanem in loco, palude ab uno, et arboreto ab altero latere, cinctus, resedit, tuto in speciem, sed vere periculoso. Hic enim cum eum invasisset Bacchides, Jonathan quidem in initio cladem haud exiguam intulit hostibus, sed cum multitudini se resistere posse desperarent milites ejus, in Jordanem se conjecerunt, et natando eum trajecerunt.

Rediit

Rediit inde Bacchides Hierosolymam, civitatesque praecipuas praesidiis munivit, ut Judaei undequaque coarctati tandem sese submittant: sed Alcimo, jam dominante Hierosolymis, subito mortuo, ut supra narravi, Bacchides inde sese contulit Antiochiam, Judaeis, quos jam satis subactos putabat, sibi relictis, nec amplius molestia adfectis, forte etiam a Demetrio, Romanos, qui causam Judaeorum jam agebant, metuente, revocatus: sed Jos. l. XII: 1. tradit, Bacchidem, ad incitas redactum per Jonathanem et Simonem fratres, ut cum aliqua dignitate discederet, pacem, ab ipsis petitam, adoptasse, a quo tempore Judaei pace gavisi sunt per *biennium*. Quae epocha *pacis* intermediae est notabilis, ann. aer. Seleuc. 153, 1 Macc. IX. cum ab eo tempore nihil mali admodum passi sint Judaei. Bacchides quidem, post biennium illud pacis, suscepit expeditionem in Judaeos, sed eo eventu, ut, clade a Jonathane adfectus, in ipsos eos, qui eum incitaverant, effuderit iram, et pacem cum Judaeis fecerit, quando *gladius cessavit ab Israele*, ut habetur 1 Macc. IX: 73. Vid. et Jos. Ant. l. XII. Gessit sese ab eo tempore, quo Bacchides discessit, Judicem et Ethnarcham, secundum conditiones pacis, sede fixa Mechmasi, in tribu Benjaminis, apostatas, quotquot in manus inciderant, severe punivit, denique civitati ac religioni instaurandae incubuit, ut 1 Macc. et apud Jos. l. c. traditur.

§. CCCCLXXIX. Syriae regno hoc tempore concusso, per factiones Demetrii et Alexandri Balae, ut supra vidimus, Jonathan primum a Demetrio multis pollicitationibus fuit in societatem invitatus, et tanquam *socius* tractatus; addita potestate, obsides, in arce detentos, liberandi: sicut factum est. Praeterea, cum fama hujus favoris Demetrii erga Judaeos divulgaretur, undequaque ad Jonathanem confluxerunt Judaei, praesidiarii quoque urbium, a Bacchide constituti, eas deseruerunt, exceptis in Bathsura, et Arce Hierosolymae: quos ibi etiam adhuc intactos reliquit, aliis

occupatus negotiis, Jonathan. Alexander Balas, ab altera parte, ut Jonathanem ſibi devinciret, longe majora in ipſum contulit privilegia, quibus ipſum *amici* titulum ei dedit, et purpuream veſtem, cum aurea corona, donavit, ſignum dignitatis, regiae proximae, denique *Pontificatu* ipſum honoravit, 1 Macc. X. et Joſ. Ant. l. XIII. Accepit dona, et Pontificatum primus adjunxit Ethnarchatui; Judas enim, ut putatur, non fuit Pontifex, quippe ante Alcimum mortuus, ut ſupra habuimus, et ex Lib. Macc. manifeſtum eſt. Ipſe Joſephus, qui l. XII: 10. dixerat, Alcimo mortuo, Pontificatum fuiſſe Judae delatum a populo, l. XIII: 2. etiam, Juda mortuo, per quadriennium vacaſſe Pontificatum, poſtea tamen, errore correcto, l. XX: 10. tradit, Alcimo neminem ſucceſſiſſe ante Jonathanem. Ne tamen a Rege hanc dignitatem habere videretur, effecit, ut ab ipſo populo Judaeo fuerit Pontifex conſtitutus. Erant quidem Maccabaei ex linea ſacerdotali, non recta Pontificali, ſed nemo inde praeter *Oniam*, Oniae IIItii filium, ſupererat, qui Pontificatu exciderat, quia Templum in AEgypto erexerat, et ibi fungeretur; ut ſupra narravi. Unctus autem eſt prima vice Jonathan in feſto Tabernaculorum, *nono* anno poſt mortem Judae, et *ſeptimo* poſt Alcimi, ann. aer. Sel. 160, 1 Macc. IX et X. Tradit quidem Joſ. Ant. XIII: 2. anno 4*to*, poſt Judam, in eum fuiſſe collatum Pontificatum ab Alexandro, ſed pro *à quarto*, legi debere *à octavo* jam eſt obſervatum. Elegit itaque partes Alexandri, licet mox plura ipſi promiſerit Demetrius, forte quod ei non fiderit, ſaepe deceptus, et Alexandri, a rege quoque AEgypti adjuti, partes fore ſuperiores prudenter conjecerit, parum curans, num Alexander, ut prae ſe ferebat, et a multis credebatur, filius Epiphanis ſit, nec ne. Eventus quoque docuit, ipſum recte praevidiſſe, cum Alex. Bala Demetrium ſuperaverit, et regnum Syriae fuerit adeptus; ut ſupra ſuo loco retuli. Continuavit quoque ſocietas Alexandri et Jonathanis, qui etiam fidelitatis ſuae ſingulare de-

dit

dit ſpecimen in Alexandro defendendo contra Apollonium, praeſidem Coeleſyriae et Palaeſtinae, qui ab Alexandro defecerat ad Demetrium, regnum recuperare adgreſſum. Fudit enim copias Apollonii, in Judaeam miſſas, contra Jonathanem, Alexandro adhaerentem, prope Joppen, et Azotum fugientes perſecutus eſt, et urbe capta ac incenſa eos delevit: ſpoliavit tunc et alias urbes vicinas, Aſkalone, ſeſe ſubjiciente, liberata. Gratus hanc fidelitatem agnovit Alexander, et donis aliis honoravit.

§. CCCCLXXX. Alexandro dein a Demetrio Nicatore, filio Soteris, ope Ptolemaei Phyſconis, de throno deturbato, novi regis favore gaudere perrexit Jonathan, adeo ut, arcem Syrorum Hieroſolymis oppugnari ab eo, non tantum ſiverit, ſed et Pontificatum confirmaverit, imo a tributo 300 talentorum annuo, regi ſolvendo, liberaverit. Sed rex, longe alius poſtea factus, promiſſa ipſi facta revocavit, non obſtante fidelitate, in rege contra Tryphonem, cum tribus millibus Judaeorum, defendendo, demonſtrata. Cujus eum mox poenituit, cum ab Antiocho, Alexandri Balae filio, ope Tryphonis, eſt regno ejectus. Antiochus, rex Syriae factus, Jonathanis auxilii indigus, eum ſibi quoque adſociavit, confirmando ſuperiora privilegia, et Simonem fratrem conſtituendo ducem militiae ſuae, et praefectum orae maritimae, a Tyro ad limites AEgypti. Praeſtitit quoque Jonathan, cum Simone, ipſi auxilium in copiis Demetrii, miſſis in Galilaeam, profligandis. Deinde, Bethſura per Simonem in Idumaea, quae a gentilibus ac apoſtatis Judaeis diu inſeſſa fuerat, expugnata, civitates maritimas Aſkalonem, Gazam et alias occupavit. Denique Judaeam, civitatibus et arcibus munitis erectis, vel inſtauratis, ornavit, et tutiorem reddidit, Hieroſolymae quoque muros inſtauravit, et Arcem tam arcte incluſit, alto erecto muro, ut omnis aditus aut exitus fuerit interceptus, adeo ut praeſidium brevi fuerit coactum ſeſe dedere. Hiſce tam praeclaris facinoribus peractis, tandem, inproviſo, in poteſtatem Try-

phonis, fraude circumventus, incidit, et nefarie obtruncatus est, cum ann. 17 praefuisset. Tryphon enim Antiocho e medio tollendo, et regno capiendo, inminens, Jonathanem, fidum et metuendum ejus amicum, ante necesse duxit prosternere; quod cum vi non posset, dolo usus est: compulit enim eum ad exercitum, nunc inutilem regi, dimittendum, dein Ptolemaidem amice evocatum comprehendit, et militibus, quos secum duxerat Jonathan, dolo occisis, ipsum quoque postea necavit.

§. CCCCLXXXI. Quo facto Tryphon ad Judaeos delendos sese adcinxit, hostibus quoque eorum in Palaestina animus crevit, Judaei vero valde consternati sunt, sed a SIMONE fratre, qui unicus de Maccabaeis supererat, erecti, eum unanimiter Ducem primum, dein, Jonathanis nece audita, quoque Pontificem elegerunt. Prima ejus cura fuit, postquam, legatis missis, foedus cum Romanis et Lacedaemoniis renovaverat, Hierosolymam, aliasque civitates, muniendi, et exercitum, quo Tryphoni resistere poterat, colligendi: obtulit quoque Demetrio, regno expulso per Tryphonem, auxilium ad ejus restitutionem, et ab ipso accepit luculenta promissa, una cum titulo Ethnarchae sui juris, et a nemine dependentis. Quae dignitas, una cum Pontificatus, in ipsum a populo Judaeo paulo post solenniter quoque est collata, simul ad posteros haereditario jure tranferenda: quando magna cum pompa inauguratus est, 1 Macc. XIV. Quo Ps. CXVIII., primo sensu, retuli in Comment. ad Ps. Incubuit deinde reip. Judaicae firmandae et amplificandae. Bethsurae, in limitibus Judaeae, probe munitae, praesidium inposuit fortissimum: Joppem expugnavit; et, civibus expulsis, novos colonos ex Judaeis eo transtulit, simul palatium in suum ibi exstruxit usum. Qui locus ab eo tempore factus est portus maritimus, et emporium Judaeorum. Similiter Gazaram, alias Gedaram, prope Azotum, sibi vindicavit, idolis purgavit, et praesidio suorum instruxit. 1 Macc. XIV. et Jos. Ant. l. XIII.

Unde,

Unde, et ex aliis rationibus, liquet 1 Macc. XIII. pro Gaza legi debere *Gazara*, ut jam est observatum. Tradidit quoque sese infestissima arx, Acra dicta, Hierosolymis, jam biennio obsessa, et fame pressa, postquam 25 ann. a Syris, et inpiis Judaeorum, erat infessa, et Judaeis innumera inflixisset mala: in cujus memoriam festum quoque institutum est: fuit quidem primum praesidio Judaeorum munita, 1 Macc. XIV. sed dein solo aequata; ut Jos. l. XIII: 6. tradit. Gavisa est Judaea sub Simone pace ac prosperitate summa, ut postea tradam, donec turbata fuerit primum per Antiochum Sideten, dein per necem Simonis. Antiochus, Tryphoni regnum erepturus, ut Judaeos sibi adsociaret, dignitatem Simonis, libertatemque populi, non tantum in initio confirmavit, sed et alia promisit privilegia, inter quae erat potestas cudendi monetam: sed postea, animo mutato, misso ad Simonem legato, postulavit, ut Gazara, Joppe, et arx Hierosolymae, sibi redderetur; cumque repulsam tulisset a Simone, ingentem in Judaeam misit exercitum, duce Cendebaeo, qui Jamniam et Joppen petiit, et Judaeam valde infestavit. Quo audito Simon, jam senex, contra eum misit filios suos, Johannem, dictum Hyrcanum, et Judam, cum copioso satis exercitu, qui hostes penitus, sine magna sua clade, profligarunt, 1 Macc. XV et XVI.

§. CCCCLXXXII. Pax sic restituta haud diu duravit, turbata rursus per nefariam necem Simonis, tribus annis post, eamque secutam invasionem Antiochi in Judaeam. Simon cum duobus filiis, Juda et Mattatia, ditiones suas perlustrans, ut omnia ordinaret, ad Ptolemaeum, generum suum, Hierichuntis, et vicinorum locorum, praefectum a se factum, divertit, et ab eo ad convivium in arce ejus Dogo invitatus, inter epulandum barbarice obtruncatus est, eo scopo, ut Judaeam sibi vindicaret, ope Antiochi Sidetis, quem in partes suas traxerat. Quo facto, misit milites ad Joh. Hyrcanum, filium Simonis, Gazarae residentem,

quoque occidendum, sed qui, scelere ejus audito, praevenit, et missos prostravit; dein mox Hierosolymam tetendit, ubi est receptus, excluso Ptolemaeo, eo etiam profecto. Excitavit quidem Ptolemaeus Antiochum, ad sibi succurrendum, sed, non exspectato ejus adventu, confugit ad Zenonem, Philadelphiae tyrannum: nec constat quid dein ipsi acciderit. Sic rem narravit 1. lib. Maccab., qui hic terminatur, historiam 40 annorum complexus; adeo ut in sequente historia Jos. unicus, vel praecipuus, dux esse debeat, collatis hic illic monumentis exoticis. Addit Jos. l. XIII. Ptolemaeum fuisse a Johanne oppugnatum in arce sua Dogo, sed non expugnatum, cum quod matri, et duobus fratribus, in potestate Ptolemaei versantibus, et, ut minabatur, necandis, nisi desisteret, prae misericordia parcere vellet, tum Hierosolymis esse deberet occasione anni Sabbatici, vel, ut autor IV Macc. habet, festi Tabernaculorum ejus anni. Discessit itaque Hyrcanus, et Ptolemaeus, occisis matre ac duobus fratribus, sese Philadelphiam recepit. Quae si vera sint, quod praestare non possum, silente libro *1mo* Maccab., oportet alii fuerint filii Simonis, quibus pepercerit, et nunc necem intulerit, cum 1 Macc. Simonem cum duobus filiis fuisse necatum tradat. Praefuit Simon ann. 8.

§. CCCCLXXXIII. Haud diu postquam filius ejus JOHANNES, dictus *Hyrcanus*, incertum quare? sed est nomen inter Judaeos non ignotum, in Ethnarchatu, ac Pontificatu, esset confirmatus, in magnas conjectus fuit angustias per Antiochum Sideten, regem Syriae; qui, sive Judaeae recuperandae, et opum corradendarum, desiderio ductus, sive a Ptolemaeo, cujus modo memini, instigatus, ingente cum exercitu Judaeam invasit, et Hierosolymam arctissima pressit obsidione, ita ut ad incitas videretur redacta, et succubitura quoque fuisset, nisi per singularem Dei directionem animus regis fuisset mirabiliter emollitus, ac in favorem erga obsessos flexus: cujus indicium dedit, durante

durante obsidione, in eo, quod tempore festi Tabernaculorum non tantum ab oppugnatione, in gratiam eorum, cessaverit, sed et victimas ad offerendum, aliaque dona, liberaliter miserit: ut praeter Jos. quoque tradidit Plutarchus in Apophtegm. Secutum mox aliud ejus benevoli animi est specimen, in pace honestis conditionibus cum Judaeis ineunda; ab ipso Diod. Sic. l. XXXIV. memoratum ac celebratum: inter conditiones pacis erat, ut muris nudaretur urbs, et regi penderentur 500 talenta, 300 mox, reliqua deinceps, datis obsidibus: ut autem 300 talenta mox solvere posset Johannes, narratur apud Jos. occultos thesauros in sepulchro Davidis spoliasse; sicut postea etiam Herodes M. fecisse traditur: quod minus credibile videtur: probabilius vero, thesauros, securitatis ergo, in Templo recondi solitos, ab eo fuisse sumtos, si aliquid veri subsit. Ceterum addit Joseph. Ant. XIII: 8. et de B. J. I: 2. Hyrcanum his opibus fretum, incepisse, primum Maccabaeorum, externum alere militem suis sumtibus. Praestitit sese deinceps quoque gratum erga Regem, ipsi comitem praebendo, et opem ferendo, in bello cum Parthis, unde nonnulli cognomen Hyrcani, acsi Hyrcanos profligasset, repetunt, ut Euseb. et alii, sine solido fundamento. Antiocho vero deinceps fuso, et occiso, rediit Hyrcanus in Judaeam, sed in reditu Aleppo occupavit, eique tributum inposuit.

§. CCCCLXXXIV. Statu regni Syriaci dein valde conturbato, per varias factiones regiae domus, ut suo loco retuli, Johannes, inperio in tuto collocando, simul dilatando, intentus, varias Syriae civitates invasit, et subjugavit, uti ex. gr. Medabam et Semagam, aliasque Arabiae et Phoeniciae; praeterea dominatum Syriacum in Judaea penitus abolevit, ita ut ab eo tempore nec ipse, nec posteri, vel minimum subjectionis indicium regno Syriae dederint, sed plane sui juris et liberi fuerint. Samaritanos quoque sibi subjecit, Sichemo occupata, et Templum Garizimiticum, a Sanballato sub Dario et Alex. M. conditum, quod

200 ſteterat annos, deſtruxit in perpetuum: nunquam enim reaedificatum eſt, ſed altare tantum ibi exſtructum, in quo ſacrificarunt. Samariam quoque expugnavit ac deſtruxit, quam a tempore Alexandri M. incoluerunt Syro-Macedones, Samaritanae religionis civibus expulſis: nec reaedificata eſt urbs niſi ſub Herode, adpellata in honorem Auguſti *Sebaſte*, h. e. *auguſta*. Ab hoc tempore Hyrcanus inperio ſuo ſubjectas habuit Judaeam, Galilaeam et Samariam, multis cum aliis regionibus vicinis; denique Idumaeos, fortiſſimam illam gentem, ſubjugavit non tantum, ſed et ad circumciſionem, et religionem Moſaicam amplectendam, compulit; alias in loca peregrina ablegandos; quam dein conſtanter obſervarunt, adeo ut Idumaei et Judaei unam, hac parte, conſtituerint ſocietatem religioſam. Denique foedere ſocietatis, et amicitiae, cum Romanis renovato, et ampliſſimo ab illis inpetrato decreto, apud Joſ. obvio, ſumma gaviſus eſt pace, et populi ſtatus fuit glorioſus, et proſperrimus; ipſe quoque Hyrcanus celeberrimum nactus nomen, revelatione quoque divina, ut traditur, etiam a Joſ. Ant. XIII: 10. producto ſpecimine, dignatus. De quibus, ut et caſu ejus cum Phariſaeis, ſatis ſingulari, qui ipſi aegritudinem peperit, et odium eorum produxit, unde domui ejus et populo multa mala ſunt procurata, poſtea ſuis locis agam. Hic verbo adhuc notabo, ipſum regiam quaſi arcem aedificaſſe, ſuper rupe ad latus ſeptentrionale montis Templi, excelſam et latam, ubi palatium fuit Aſſamonaeorum, quae poſtea ab Herode M. amplificata eſt, et munitiſſima reddita, nomine *arcis Antoniae*, in honorem Antonii, inſignita. Hic degere ſolebat Hyrcanus, et pontificalem habitum induebat et exuebat, ac reponebat adſervandum. Quod poſteri ejus imitati ſunt. Habitus quoque Pontificalis ſemper ibi manſit in cuſtodia, etiam ſub Romanis, Vid. Joſ. Ant. l. XVIII. et B. J. l. V. Praefuit ann. 29, ut ex Joſ. tradunt Euſeb. et Hieron. Licet Joſ., ſecundum hodiernam lectionem, ipſi modo 33, modo 31, annos det.

§. CCCCLXXXV.

§. CCCCLXXXV. Hucusque Assamonaei titulum, et personam Ethnarchae, seu Principis populi, gesserant; adeoque Ethnarchae et Pontifices fuerant, eaque ratione propius ad antiquiora Israelitarum instituta, ante exortos Reges, se conformaverant, quod *Regno Dei* in medio populi quoque magis conveniebat; sed, praeclaris Majorum facinoribus elati, et ambitione inflati, Regis nomen et personam, infelici suo fato, adoptarunt Joh. Hyrcani posteri; et gesserunt per ann. 42, donec per intestinas discordias in manus Romanorum inciderint, et Ethnarchae rursus dignitate contenti esse debuerint; et mox omni exciderint dignitate, Herode M. a Romanis ipsis, titulo Regis, praefecto: uti postea patebit. Primus, qui hanc mutationem formae regiminis introduxit, fuit filius, natu maximus, Hyrcani, et ejus successor, JUDAS, seu *Aristobulus*, postquam matrem, quae, virtute Testamenti patris, sive veri, sive ficti ab ipsa, partem in regimine sibi adrogabat, inhumaniter in custodia fame coegisset mori, Jos. Ant. l. XIII. et B. Jud. l. I. In regno hac ratione confirmatus, Ituraeos, partem Coelesyriae inhabitantes, ad septentrionem Manassitarum trans Jordanem, forte Agarenos, seu Agraeos, posteros Ismaelis ex Iture 1 Chron. V: 19., vicinos Trachonitarum, quorum mentio etiam fit Luc. III: 1. bello adgressus est, sed per fratrem Antigonum, cum ipse prae inbecillitate Hierosolymam repetere debuerit, debellavit, simul circumcisionem et religionem Judaicam suscipere coegit, nisi exterminari vellent, Jos. l. c. Quae victoria, ab Antigono reportata, ipsi et fratri fuit fatalis. Cum enim triumphabundus et armatus, cum sociis, recta ad Templum Hierosolym., fratre non salutato, tenderet, ut Deo gratias ageret festo Tabernaculorum, invidi, qui ipsum adfectati regni jam suspectum reddiderant, uxor inprimis Aristobuli Salome, cui valde displicebat, hinc ansam adripuerunt accusationem suam confirmandi; quare rex, misso nuncio, jussit, ut mox ad se veniat, experturus num armatus, an alio

habitu accederet; ſimul ſatellitibus in mandatis dedit, ut ſi militarem ferret habitum, mox occiderent. Interea curavit Salome, ut ipſi fuerit nunciatum, regem illum eo habitu videre velle. Qua ratione palatium intrans mox occiſus eſt. Fraude dein ab Ariſtobulo, qui fratrem diligebat, detecta, in ſummum moerorem incidit, et animi poenitentis anxietates, ita ut, morbo ingraveſcente, brevi fuerit mortuus, cum *unum* tantum regnaſſet annum Joſ. Ant. L XIII. Qui addit, eum fuiſſe natura aequum, patriae utilem, qui multa in eam contulit bona. Quod verbis confirmat Timagenis apud Strabonem.

§. CCCCLXXXVI. Succeſſit frater ejus ALEXANDER JANNAEUS, ope Salomis, etiam Alexandrae dictae, uxoris Ariſtobuli; cui cum ſe opponeret unus fratrum, ipſi ſtructis inſidiis, mox e medio eſt ſublatus; alter vero frater Abſolomus in ejus gratia manſit, quippe privatam eligens vitam. Statim ac in regno eſſet ſtabilitus, nec a Syris, in factiones diviſis, quid metuendum haberet, animum ad regnum ampliandum adpulit, initio facto a Ptolemaide, quam obſedit, ſed hoc peſſime ipſi ceſſiſſet, et regni ruinam ſecum traxiſſet, per Ptolemaeum Lathyrum, regem antea AEgypti, ſed nunc Cypri praefectum, niſi Cleopatra, tunc in AEgypto dominata, et Lathyro infeſtiſſima, interveniſſet, et ei ſuccurriſſet. Lathyrus enim, Cypri praefectus, ea occaſione in Galilaeam irruens, ipſum ab urbis obſidione non tantum abſtraxit, ſed et pugna cum ipſo habita, ad ripas Jordanis, ingente clade proſtravit. Quo facto, Cleopatra, ut hunc progreſſum Lathyri ſiſteret, excitata etiam a duobus Judaeis, filiis Oniae, conditoris Templi in AEgypto, qui apud ipſam multum valebant, exercitum duxit in Palaeſtinam, Lathyrum in ordinem redegit, et cum Alexandro foedus pepigit. Hiſce difficultatibus ſuperatis, Alexander bellicas reſumſit expeditiones. Jordane trajecto Gadaram expugnavit, et dein Amathum, ubi immenſum theſaurum Theodori, filii Zenonis, tyranni il-

lius

lius Philadelphiae, cujus in historia Simonis et Hyrcani memini, diripuit quidem, sed et mox perdidit, infeliciter cum Theodoto, ipsum insecuto, habito praelio. Sed hac clade non absterritus, movit contra Gazaeos, qui Lathyrum in ipsum incitaverant, et adjuverant: Gazam itaque oppugnavit, nec, nisi post longiorem obsidionem, quam ope Apollodori fortiter, et cum continua Alexandri clade, per annum toleravit, in potestatem redegit, postquam Theodotus a fratre esset occisus. Cives, urbe capta, per milites sivit promiscue occidi, sed non sine suorum clade, cum cives sese strenue opponerent, ne inulti morerentur, et ipsam urbem penitus destruxit, Jos. Ant. XIII. et B. J. I. Deinde, ut bella ejus externa ante recenseam, quam ad intestinos motus veniam, Jordane rursus superato, Amathum destruxit, Theodoto se non opponere auso; et thesauros suos secum abstulisse contento: porro Arabes subjugavit, et Moabitas, aliosque, tributarios fecit: sed quos, per intestinum bellum coactus, reddidit Arabum regi, ne is sibi noceret, seditiosis suis civibus succurrendo. Deinceps, bello illo finito, ad terras recuperandas se adcinxit, foedere cum Areta, Arabum rege, pacto: occupavit tunc Dionem, Pellam et Gazaram, Gaulanam, Seleuciam, aliasque regiones, Vid. Jos. Ant. l. XIII et XIV. Possedit itaque Alexander longe plurima loca Syriae, Idumaeae, Phoeniciae, Arabiae et aliarum regionum, quas recenset Jos. l. c. adeo ut regnum sub ipso fuerit amplissimum, et longe lateque diffusum, majus itaque quam unquam antea. Damascenam tantum ditionem Judaei nunquam tenuerunt, ut observavit Noris. Epoch. Syr. Maced. Diss. III.

§. CCCCLXXXVII. Ambitioni licet aliquatenus, in regno dilatando, satisfecerit Alexander, nomen quoque suum reddiderit celeberrimum ac formidabile, non obstante multiplice clade, quam saepe passus est, populo tamen magnam partem valde displicuit, et multos ab eo passus est insultus, instigantibus Pharisaeis, qui Hyrcano, ut supra obi-

ex animi. odiosi facti, domum ejus internecino prosequebantur odio, et, cum populo per hypocrisin et vitae austeritatem accepti essent, eum in Alexandrum contumelia afficiendum incitarunt; unde, seditione exorta, multa caedes fuit patrata Hierosolymae, et Alexander quoque nimia sese vindicavit severitate, adeo ut nomen *Thracidae* inde tulerit, sive, ut scriptor Karaeus apud Woltium, *in notitia Karaeorum*, הדוקר *Haddoker* h. e. confossor iste, adpellatus fuerit. Quinquaginta millia Judaeorum, sex annorum spatio, narratur interfecisse Jos. B. Jud. L. I. c. 4. Ab expeditione in Gazaeos redux, cum festo Tabernaculorum sacrificaret, conjecta in eum sunt mala *citrea*, sive Persica aut Medica, qualia cum ramis eo tempore gestare solebant, simul contumeliosis verbis, et titulis, ut servi, *mancipii*, sicut Hyrcano fuit a Pharisaeo inputatum, quod mater ejus fuisset *Serva*, diffamatus est: unde ortum est, ut, militibus a Pontifice in seditiosos inmissis, 6 millia fuerint caesa; et Alexander tunc, loco Judaeorum, mercenarios, in sui tutelam, conduxerit milites Pisidas et Cilicas. Postea cum ab expeditione in Arabes, quae infelicem habuerat exitum, reversus esset, nova orta seditione populari, intestinum bellum cum civibus gerere coactus est, adeo ut intra sexennium crebris pugnis supra 50 millia fuerint occisi, praeter eos, quos ipse Rex perdidit. Quorum malorum pertaesus Alexander, nihil non egit ad populum placandum, eo etiam usque, ut modo quid velit petat populus, omnia concessurus: sed responsum tulit, ne sui caede expiari posse omnia mala ab ipso illata. Omni ergo spe reconciliationis cessante, ad bellum majoribus viribus gerendum sese utrinque pararunt. Factiosi itaque revocarunt Demetrium Eucherum e tractu Damasceno, in sui auxilium, qui, cum plusquam 40 millibus, partim Syriis, partim Judaeis, intravit Judaeam, et cum Alexandro, cujus exercitus ex Graecis et Judaeis 26 millium constabat, conflixit, magna quidem utrinque clade, sed majore a parte Alexan-

dri

dri, secundum Jos., dissentiente autore lib. IV*ti* Maccab., qui victoriam tribuit Alexandro. Illud constat, Judaeos, poenitentia et misericordia commotos, sese a Demetrio ad Alexandrum contulisse, illumque, hoc viso, discessisse: ut Jos. tradit Ant. XIII. et B. J. I. Ne sic tamen cessavit bellum intestinum, magno cum furore, et clade, ad breve tempus gestum, donec Rex praelio decretorio eos partim occiderit, partim in fugam conjecerit Bethaniam, quam dein expugnavit, et finem bello inposuit; sed satis, si vera narrat Jos., crudeli modo, vix credibili. Captivis enim Hierosolymam abductis, octingentos eorum crucibus adfixisset, eorumque coram oculis uxores ac liberos jugulari fecisset: unde *Thracidas* fuisset cognominatus. Additur, quod fidem magis superat, eum cum pellicibus hoc spectaculum inter convivandum adspexisse, et laetatum fuisse. Quicquid sit, factio Pharisaica ab eo tempore se quietam tenuit, et 8 millia factiosorum, urbe deserta, alio concesserunt. Regnavit quidem deinceps, teste Jos. XIII: 14, *quietissime*, sed haud diu supervixit Alexander, licet ab expeditionibus bellicis non abstinuerit, ut supra narravi. Tandem molestiis, et luxu quoque, cui sese tradiderat, fractus, animam exspiravit in castris coram Ragaba, arce munita Gerasinorum, ultra Jordanem, cum 27 ann. regnasset, et 49 vixisset.

§. CCCCLXXXVIII. Reliquit Alexander cum vidua sua duos filios, Hyrcanum et Aristobulum, sed regni gubernationem demandavit viduae suae, cum potestate regem constituendi quem Filiorum vellet, simul ei suasit, ut se totam traderet factioni Pharisaeorum, saltem, ut ea praetendebat; quo facto, et ipse laudibus in coelum eveheretur a Pharisaeis, et ipsa tranquille regnaret, cum populus ab ipsis pendeat. Praestitit utique illud Regina, et Alexander quoque, hoc facto, regio more inhumatus, ac tanquam gloriosus triumphator est celebratus; regina in gubernando regno confirmata est, regimenque tenuit *novem* annos; nec

 tamen

tamen tam pacate ac feliciter, quam volebat, et sibi promiserat. Licet enim res Judaeorum adhuc in statu suo perseveraverint, ac aliquatenus floruerint, per ipsam tamen Pharisaeis nimis obnoxiam, magis post ipsam, ut observat Jos. Ant. XIII. c. 16. omnia coeperunt in deterius vergere. Fuit autem, sicut regnandi cupida, ita animo ad regnandum apto, ita tamen, ut modo inperioso dominaretur, nec honesti nec justi habuerit rationem, ut Jos. l. cit. tradit. Ceterum regina SALOME, etiam *Alexandra* adpellata, non fuit, ut putatur, vidua quoque Aristobuli, acsi Alexander fratris viduam duxisset, ut jam occupatum est: Hyrcanus enim, filius Jannaei et Alexandrae, jam ante Aristobuli mortem natus fuit: erroris ansam praebuit, quod Aristobuli uxor quoque nomen Alexandrae tulerit.

§. CCCCLXXXIX. Tranquille in initiis administravit regnum, quamdiu postulata Pharisaeorum intra limites aliquos sese continuerunt, et tolerabilia erant; scilicet, revocanda esse mandata Hyrcani et Jannaei contra Pharisaeismum, et ejus traditiones, veniam commissorum factionis suae contra Jannaeum, cum incarceratorum liberatione, concedendam, et denique exules omnes esse reducendos, et possessionibus suis restituendos. Quibus omnibus inpetratis, Pharisaeismus maxime crevit, et Pharisaica factio longe superior evasit, et potentior, ita ut nemo ei resistere amplius potuerit. Verum cum, hisce nondum contenti, exegerint a regina, ut omnes, qui Jannaeo in severitate exercenda adfuerant, et eum incitaverant, detegerentur, et punirentur, nec Regina, quam aliena ab hoc postulato, iis aliquid negare auderet, cum dominium jam in manibus haberent; omnia coeperunt in regno perturbari. Morte enim ab eo tempore puniti sunt omnes, sive vere sive falso accusati, quotquot sibi adversari putabat haec factio, initio facto a Diogene, uno principum sectae Sadducaeorum, et Jannaei intimo amico ac consiliario. Quae terribilis persecutio, quam ingrata Reginae, sed ab ipsa tolerata, ne antiqua illa scena

ni belli inteſtini renovaretur, maxime cum Reginae ob oculos poneretur, hanc ſeveritatem, ſalva autoritate legum divinarum, et ſecuritate regni, inhiberi non poſſe, cum aliquot annos duraſſet, tandem ſeſe aliqui, contrariae ſectae, quae tantopere adfligebatur, principes, una cum Ariſtobulo, palam manifeſtarunt, et dominanti factioni oppoſuerunt. Poſtquam Reginae in memoriam revocaſſent bene ſua merita in Jannaeum, et exantlatos labores moleſtos in ejus et domus ejus gratiam, ſimul ob oculos poſuiſſent, nihil aliud intendi a factioſis, quam domus ejus, et fidelium ſociorum totale excidium, poſtularunt, ſi furioſam factionem retundere non poſſet, ut ſibi diſceſſus in terras peregrinas concederetur, vel potius in poſſeſſionem locorum, ubi tuto degere, et ipſi, ſi neceſſe fuerit, opem ferre poſſent, inmitterentur. Poſterius illud a regina inpetrarunt, et loca munita hac ratione in Regno ejus occuparunt. Pace quidem tunc gaviſa eſt Regina, ſed brevi poſt mortua, ſucceſſore deſignato Hyrcano, qui Pontificatu jam a morte Jannaei functus fuerat. Regnavit, ut dixi, 9 annos.

§. XD. HYRCANUS, qui ſucceſſit, haud diu ſe in ea dignitate tuitus eſt, ſed tribus menſ. poſt a fratre Ariſtobulo de throno deturbatus. Durante morbo matris, et ad mortem vergente, Ariſtobulus ſeſe ad veteres Patris amicos, qui, ut modo vidimus, praecipua regni loca munita tenebant, contulerat, ipſoſque, Hyrcani ſegnitia ac ingenii ſtupiditate exaggerata, indeque orituro dominio factionis Phariſaicae, cui Hyrcanus ſeſe totus traderet, ob oculos poſita, in partes ſuas traxit, mortua vero matre ſeſe fratri palam oppoſuit, ut regnum ſibi vindicaret. Ortum itaque mox eſt bellum inteſtinum inter duos fratres, ſed brevi finitum. Praelio enim decretorio habito prope Hierichuntem, ſuccubuit Hyrcanus, militibus ipſum maximam partem deſerentibus, et ad Ariſtobulum deficientibus, tanquam factioni Phariſaicae, jam per ſuperiora facinora

factae odioſae, domandae, et regno tutando, ac recte adminiſtrando, longe aptiorem. Hyrcanus cum paucis, qui ipſi ſupererant, ad arcem Baris, ſeu palatium Aſſamonaeorum confugit, et ſeſe ibi occluſit: ſed brevi ab omnibus derelictus ſeſe fratri reconciliavit, abdicata omni dignitate, et ipſi tradita, poſtquam, ut diſerte Joſ. Ant. l. XIV. et B. Jud. l. I., *tribus* tantum menſ. ea fuerat gaviſus. ARISTOBULO in throno collocato, cum res aliquandiu manſiſſent pacatae, Hyrcano ſorte ſua contento, tandem per Antipatrum, Herodis M. patrem, Idumaeae, jam ſub Jannaeo et Alexandra, praefectum, turbatae ſunt, et longe aliam induerunt faciem. Ipſe enim, ad altiora adſpirans, ambitioni ſuae ſatisfacere non valens ſub Ariſtobulo, Hyrcani partes propterea ſectatus, primum Phariſaicam factionem, ab Ariſtobulo alieniorem, clam incitavit, et permovit ad ſecum in Ariſtobulum conſpirandum, et Hyrcanum reſtituendum: dein ipſum Hyrcanum eo, licet invitum initio, et reluctantem, quippe ab omni ambitione alienum, compulit, metu necis, a fratre ipſi inferendae, injecto. Ut autem propoſitum rectius exſequeretur, ſeſe cum Hyrcano, ipſi jam devoto, recepit ad Aretam, regem Arabiae, quem ad Hyrcanum, in regno recuperando, omni ope adjuvandum, ea conditione permovit, ut urbes, a regibus Judaeorum ipſi ereptas, quae plures erant, et inſigniores, redderet Hyrcanus. Exercitu itaque 50 millium armatorum collecto, Aretas in Judaeam cum Hyrcano et Antipatro movit contra Ariſtobulum, qui, de hac conſpiratione certior factus, ſeſe quoque armaverat. Praelio habito fuſus eſt Ariſtobulus, et fugatus Hieroſolymam: quam victor, mox inſecutus, cum ſine oppugnatione occupaſſet, Ariſtobulus cum paucis, praecipue ſacerdotalis ordinis, fuit Templo incluſus, et ibi arcte obſeſſus. Durante obſidione, cum Arabes et Judaei Oniam quendam, virum ſanctum, et Deo charum, ad ſe adductum, rogaſſent, ut, ſicut antea pluviam, tempore ſiccitatis, precibus impetraverat, diris devo-

veat

veat obsessos, illeque, ut nec unam nec alteram factionem Deus exaudiat, oraret, et propterea lapidibus esset necatus, Deus hanc crudelitatem vindicavit, frugibus vento inpetuoso corruptis, cum accessit aliud crimen eorum, quo, ab obsessis rogati, ut sacrificia tempore paschatis offerenda, accepta pecunia, darent, pecunia sumta, fidem violantes, victimas negarunt, Jos. XIV.

§. XDI. Quo in statu ad incitas redactus Aristobulus, a suis etiam maximam partem desertus, confugit ad Romanorum Inperatorem Pompejum, in oris illis versantem, postquam Tigranem debellasset, a quo Scaurus e Syria in Judaeam missus, ipse enim in Asiam profectus erat, fratribus auditis, Aristobulo, tanquam liberaliori in danda pecunia, faventior, Aretae, nomine populi Romani, discedere jussit. Quo facto, Aristobulus, ipsum abeuntem insecutus, invasit prope Papyrionem, et magna clade adfecit. Pompejus, in Coelesyriam cum venisset, ab Aristobulo vite aurea, 500 talentorum, teste Strabone apud Jos., donatus, (quae Romam missa, in Capitolio, Jovi dicata, locata est, nomine tamen non Aristobuli, quippe pro rege non agniti, sed Jannaei, qui eam jam formaverat eo fini,) et duorum fratrum legatis, Antipatro Hyrcani, et Nicodemo Aristobuli, disceptantibus auditis, respondit, se, causa discussa, litem eorum definiturum esse. Anno sequente in Syriam redux Pompejus, fratres per legatos causam defendentes, quemque suam, quidem audivit rursus, sed sententiam distulit, donec in Judaeam venerit: Aristobulum enim, quem damnaturus erat, irritare tunc noluit, ne sibi in expeditione contra Nabataeos obesset. Suboluit hoc quidem Aristobulo, qui iratus se subduxit, et exercitu collecto se tueri statuit, sed altera vice a Pompejo, qui, copiis ingentibus congregatis, in Judaeam movebat, citatus, ut compareat, et coactus loca sua munita ei in manus tradere, cum eorum praefectis, facile conjiciens, male sibi velle Pompejum, confugit Hierosolymam, fixo cum proposito se con-

aliquandiu post fuerit superstes: imo e carcere, in quem detrusus erat, evasit, cumque res novas rursus moliretur, a Gabinio denuo victus, ac Romam missus est, sed, a Caesare dimissus, in itinere Judaeam versus, a Pompeji factionis viris occisus est, Jos. Ant. l. XIV. Ceterum praefuit Aristobulus, vir Josepho dictus illustris, et magni animi, non *tres* annos, ut hodierna Jos. lectio praefert, sed *sex*; tot enim annos a morte Alexandri ad Aristobuli cladem fluxisse ex Cons. Romanis, Josepho memoratis, recte advertit Prideaux; Hyrcano autem *tres* menses tantum a Jos. dantur: legendum itaque apud Jos. *sex*.

§. XDII. Hyrcanus ea ratione Ethnarchatum cum Pontificatu recuperavit a Pompejo, demto titulo et potestate Regis, forma itaque regiminis rursus mutata, sed sub tutela Romanorum, quorum majestatem ab eo tempore semper revereri debuerunt Judaei, adeo ut *primus* gradus ad *sceptri* ablationem a Judaeis tunc sit positus, de quo postea. Nec tamem ab insita segnitie destitit Hyrcanus, rerum publicarum administratione commissa, ut antea, Antipatro, qui Romanorum favorem omni modo demereri continuavit, ut se, domumque suam, elevaret; quod ipsi feliciter successit, ut in Herode M., ejus filio, adparuit, qui eodem tramite incessit: de quo mox. Nec tamen Hyrcanus semper tranquille agere potuit; a filiis Aristobuli quippe saepe infestatus, primum ab Alexandro, dein, et infelicius, ab Antigono. Alexander, manibus Pompeji elapsus, plusquam 50 millibus coactis militibus, nonnulla cepit et firmavit fortalitia, ut Alexandrion et Macheron, ad radices montium Arabiae, indeque irruit subinde in Judaeam: sed a Gabinio, Syriae praeside, cui sese Antipater cum Judaeis adjunxit, brevi post praelio superatus, ac in fortalitium suum Alexandr. fugatus est, ubi obsessus, et ad angustias redactus, intercessione matris, traditis arcibus suis, veniam inpetravit, et dimissus est. Dum in eo esset Gabinius, et Hyrcanum Hierosolymam deduceret, confirmavit

quidem ipsum in dignitate, a Pompejo ipsi concessa, sed formam regiminis ea ratione inmutavit, ut, praeter nomen et externam speciem, ipsi parum fuerit relictum. Terra enim in *quinque* quasi dioeceses divisa, totidem erexit in illis tribunalia, a se invicem independentia, erant autem Hierosolyma, Gadara, Amath, Hiericho, et Sephoris in Galilaea, in quibus ea fuerunt collocata. Qua ratione fuit Aristocratica quasi forma introducta, et dignitas Ethnarchatus multum inminuta: duravit illa usque dum Julius Caesar eam aboleverit, et veterem formam renovaverit. Jos. Ant. l. XIV.

§. XDIII. Alexander postea quidem, absentia Gabinii, in AEgyptum profecti, captata, ad Judaeam infestandam, et Romanos occidendos, rediit, sed cito a Gabinio reverso profligatus et fugatus est. Gravior fuit calamitas, quae Judaeis per Licinium Crassum, successorem Gabinii in praefectura Syriae, Hierosolymis contigit. Avarus enim iste Praeses, expeditionem in Parthiam suscepturus, opum quoque corradendarum ergo, initium fecit cum spoliatione Templi Hierosolymitani prorsus barbarica. Thesauros, a Pompejo intactos relictos, non tantum bis mille talentorum, sed et omnia pretiosa, usque ad octo millia talentorum, rapacibus surripuit manibus, Jos. Ant. XIV. Appianus in Parth., Dio Cassius et alii. Unde, ut id obiter observem, colligere licet, inmensas divitias Templi fuisse. Vid. Jos. Ant. XIV: 7. qui addit, nec mirum illud censeri debere, cum *omnes ubique terrarum Judaei, quique Deum colunt, tam ex Europa quam Asia, per multa retro secula, eo detulerint munera.* Respirarunt deinceps Judaei, Aristobulo, et Alexandro filio ejus, per Pompeji factionis viros e medio sublatis, et Julio Caesare ipsis facto faventiore per Antipatrum, qui ipsum in bello cum Pompejo, et ejus sociis, omnibus viribus adjuvit, eo in primis scopo, ut domum suam elevaret; quod ipsi praeclare successit, de quo in historia Herodis. Caesar ex AEgypto subacta, cui multum tri-

buerat

buerat Antipater, per Judaeam in Syriam tendens, Antipatrum procuratorem Judaeae, et civem Romanum conſtituit, Hyrcanum in Pontificatu non tantum, ſed et Ethnarchatu, abolita ariſtocratia a Gabinio introducta, confirmavit, Judaeis quoque vetera jura et privilegia reſtituit, ampliſſimo publicato decreto, et aeneis tabulis inſculpto, Graece et Latine, ac variis in Templis ſuſpenſo, in ipſo quoque Capitolio Romae Joſ. Ant. l. c. Renovatum dein etiam eſt foedus cum Romanis per legatos Judaeorum, ab Hyrcano Romam miſſos, qui etiam licentiam Hieroſolymam muniendi, ac muros, per Pompejum deſtructos, reaedificandi inpetrarunt. Antipater interea, dominatui ſuo firmando intentus, duos ſuos filios Phaſaelum ac Herodem, virilem jam adeptos aetatem, (Herodi quidem 15 anni dantur a Joſ., ſed vitioſa lectione, legi enim debet 25, ut ab aliis jam eſt obſervatum) regimini admovit, illum praefectum Hieroſolymae, ſeu ducem, conſtituens, hunc Galilaeae praeficiens: qui praeclaris ſuis factis ſeſe in gratiam populi inſinuarunt: licet non defuerint, quibus ſupereminens Antipatri, ejuſque domus, autoritas aegre fuerit, et invidiam creaverit: ſed nihil damni inferre valuerunt, prae Romanorum et Hyrcani Pontificis favore.

§. XDIV. Fortunata haec Judaeorum conditio non fuit diuturna, ſed brevi poſt varie turbata, dein finita. Malichi, viri potentis, Judaei origine, ſummi quoque patroni Hyrcani, ſed Antipatri, licet pietate, juſtitia ac ſtudio in gentem Judaeam, ſecundum Joſ. l. XIV: 11. excellentis, aemuli, conſpiratione, quae contra eum, quem per pincernam Pontificis, veneno propinato, e medio ſuſtulit, et domum ejus, inita erat, et ad bellum civile ſpectabat, feliciter terminata per ejus necem, ab Herode procuratam, et fratris Malichi factionem tumultuantem oppreſſam: Antigonus, filius Ariſtobuli, fratris Hyrcani, in ſcenam prodiit, ut principatum Hyrcano ereptum ſibi vindicaret. Bis in Judaeam collecto exercitu irrupit, ſed *priore* vice, licet a

Ptolemaeo, filio Mennaei, praefecto Chalcidis, *Marione* Tyri, et Fabio Damasci praeside, adjutus, infeliciter, quippe ab Herode totaliter fusus, *altera* quidem majore cum successu, sed in ejus exitio terminata est. Parthis cum rege Pacoro, ejusque Duce Barsafarne, qui Sidonem et Ptolemaida tunc tenebant, in suas partes tractis, sub promisso 1000 talentorum, et 500 foeminarum pulcherrimarum ab Antigono, illi junctis viribus sub duce Parthorum, etiam Pacoro adpellato, Hierosolymam invaserunt, Herodes vero et Phasaelus, in arcem Assamonaeorum confugientes, se ibi strenue defenderunt. Convenit tunc inter eos, ut Phasaelus ad ducem Parthorum Barsafarnem, praefectum Syriae a Pacoro rege constitutum, iret, et pacem faceret, dissentiente, et Parthis diffidente, Herode. Phasaelus, secum sumto Hyrcano Pontifice, ad eum tetendit; sed, licet initio amice exceptus, in custodiam dein datus est. Herodes vero, cum desponsata uxore Mariamne, ejusque matre, et fratre suo Pherora, aliisque sociis, et copioso armatorum comitatu, sese Hierosolymis proripuit in Idumaeam. Quando Parthi palatium ejus, urbem, et loca vicina spoliarunt. Antigonus in throno collocatus, ac Hyrcanus et Phasaelus vincti ad ipsum sunt adducti, Hyrcano aures sunt amputatae, ut ad Pontificatum fieret ineptus, Phasaelus infamem metuens mortem, capite ad lapidem adliso sibi ipsi eam adscivit. Quibus peractis, Parthi inde discesserunt, secum sumto Hyrcano Babylonem, et Antigonus successit ipsi: Herodes vero, Romam profectus ad Antonium et Octavium, ab ipsis mox declaratus est Rex Judaeorum. Ceterum praefuit Hyrcanus ann. 23. Nec tamen mox in possessionem regni venire potuit, Antigono, ope Parthorum, sese primum in Palaestina, dein Hierosolymis, contra eum strenue defendente, quibus debellandis, et Hierosolymae, per 6 mens. oppugnatae, occupandae *triennium* inpendit, secundum Jos. Ant. XIV. et B. Jud. I. vel potius *biennium*, urbe capta a. U. C. 716, cum ipse Romae fuerit rex declaratus,

ratus a. U. C. 714. Vid. Norif. Cen. Pisan. Capta Hierosolyma inmani caede repleta est, et multa passa. Quae calamitas ipsi eodem die, post 27 annos, vel 26, quo a Pompejo expugnata est, teste Jos. Ant. XIV. versus finem, contigit. Antigonus dein Antiochiae, jussu Antonii, sed instigante Herode, virgis caesus, et palo adligatus, securi percussus est, ut ex Jos. XV: 1. et Dione Cassio l. XLIX. patet. Dicit quidem Dio, ipsum σταυρῷ adligatum fuisse; sed vox illa subinde palum, seu rectum lignum, tantum denotat. Qua ratione Assamonaeorum domus omni dignitate excidit, postquam continua successione stetisset ann. 126, secundum Jos. Ant. l. XIV. in fine.

§. XDV. Hac ratione HERODES, filius Antipatri, Idumaeus gente, sed religione, teste Jos., Judaeus, sicut omnes erant Idumaei a tempore Joh. Hyrcani, per Mariamnem, filiam Hyrcani Ethnarchae, quam duxerat uxorem, familiae Assamonaeorum quasi insertus, et Judaeis gratior factus, post varia praeclara, in favorem Judaeorum, et Hyrcani, facinora, varia quoque fata, illustres denique dignitates, ut praefecti Galilaeae ab Antipatro, Ducis Coelesyriae a Sexto Caesare, dein a Cassio Syriae procuratoris, et Tetrarchae ab Antonio, de quibus supra actum est, ope Romanorum, favore Antonii et Augusti, ad Regnum Judaeorum venit, primum designatus et declaratus Rex jussu Senatus Romani a. U. C. 714, Olymp. 184. secundum Jos. Ant. XIV. (rectius 185 ann. imo, cum Mens. Octob. sit rex adpellatus,) Domitio Calvino iterum, et Asinio Pollione Coss., sed possessionem regni demum nactus biennio post, a. U C. 716, quando urbs capta est. Tenuit autem regnum ann. 37 a priore epocha, quando rex declaratus est, sed 34 a posteriore, seu regno occupato Jos. B. J. l. I. Herodes, ut generalem regni ejus conspectum dem, scopo nostro unice congruum, princeps varii ingenii, magnificus et liberalis, simul ad iram vehementiorem pronus, et saevus, teste Jos. Ant. XVI: 5. maledictorum ad-

tentissimus auditor, simul suspiciosus, ut Jos. B. J. I: 26. tradit, cujus dominans fuit principium ambitio, et gloriae cupido, cum ab una parte Romanorum favore indigeret, ab altera domum Assamonaeorum, superstitibus Hyrcano, patre Mariamnis, et Aristobulo, filio quoque Hyrcani, factionemque Antigoni nondum exstinctam, haberet, ut putabat, sibi, tanquam invasori regni, adversantem, simul populum Judaeum a se, tanquam alienigena, alieniorem, et domui Maccabaicae faventiorem, in eo per totum regni spatium fuit totus, cum ut Romanis placeret, eosque sibi devinciret, tum ut Assamonaeorum domum, vel supprimeret, vel deleret, tum denique populo Judaeo, si beneficiis allici non posset, metuendum sese severitate exhiberet, secundum illud, *oderint dum metuant.* Gessit sese Herodes in regni gubernatione secundum has regulas, ut omnia ejus facta testantur, nec sine optato successu. Fuit utique regnum ejus *extus* pacificum et tranquillum, a populis vicinis non infestatum, nec aliquod bellum gessit, nisi initio, jussu Antonii, cum Arabibus; quos cito adeo prostravit, ut ad pacem petendam fuerint compulsi: sed *intus* variis molestiis, et gravibus concertationibus cum populo, et propria domo, turbatum, etiam multiplice sanguine fuso foedatum: denique tristibus fatis, terrae motus terribilis, a. 7mo regni, quo ingens gregum et hominum copia periit, teste Josepho, Ant. XV. et B. J. I. sterilitatis et famis, adflictum. Quae in genere praemissa paucis deducenda sunt, et exemplis illustranda.

§. XDVI. Praestitit sese, ut, quid in gratiam Romanorum fecerit, quidve ab illis consecutus sit commodi, paucis enarrem, in principio fidum Antonio amicum et adjutorem, eique opem suam in bello civili cum Octavio generose obtulit, *delectum* copiarum *habuit*, verba sunt Jos. Ant. XV. *adparatu adcuratissimo, ut Antonio ferret auxilium; verum Antonius ejus se subsidio egere negavit, eique mandavit, ut Arabem, cujus perfidiam ab ipso et Cleopatra audiverat, adoriretur:*

tur: quod mox quoque exsecutus est Herodes, ut modo memini. Deinde Antonio, pugna apud Actium penitus ab Augusto debellato, tanquam amico, cui fidelis mansit, suasit, ut regnum AEgypti occuparet, promisso ipsi auxilio, Cleopatra e medio sublata. Quod cum recusaret Antonius, amore Cleopatrae etiam adhuc fascinatus, sese ad Augustum vertit Herodes, Antonio, consilium suum repudianti, se renunciare posse putans, quem adiit, in AEgyptum tendentem, dum Rhodum adpulerat, habitu magnifico, excepto diademate, sine ullo metus indicio; eique significavit, sese Antonio pro beneficiis acceptis praebuisse gratum, et pro amicitia fidelem, et inde, quae fecerat, et ipsi suaserat, fluxisse, nunc autem, cum id recusasset Antonius, se ipsum deserere posse; adeoque Augusto eandem amicitiam et fidelitatem, si recipere vellet, promittere. Quod intrepidum adloquium, candidi animi indicium, adeo Augusto placuit, ut ipsum, inposito diademate, pro socio et amico adsumserit. Quo facto, muneribus in amicos Caesaris collatis, ipsum in AEgyptum deduxit, et inde reversum, regia excepit magnificentia Ptolemaide, Jos. l. c.. Deinceps, ut Augusti gratiam aucuparetur, Turrim Stratonis condidit, et Caesaream adpellavit, ut et Samariam, quam Sebasten nominavit, denique ludos et certanina Athletica in honorem Augusti instituit, structo theatro in ipsa metropoli, et amphitheatro in campo: imo aquilam auream, ingentis magnitudinis, supra majorem Templi portam suspendi jussit; aegre licet ferentibus et murmurantibus Judaeis, qui hanc morum et institutorum Gentilium introductionem tolerare non potuerunt. Caesareae dein perfecta aedificatione ann. 28*vo* regni eam magna celebritate dedicavit, per certamina gymnica; quem agona tunc Caesari consecravit, singulis quinquenniis celebrandum, Jos. Ant. l. XVI. Denique castellum Assamonaeorum juxta Templum renovavit, et superba magnificentia ornavit, ac de Antonio adpellavit Antoniam; duo autem ejus splendida cubicula, alterum de Augusto, alterum de

Agrippa denominavit. Quo ipso tempore Elio Gallo, duci Romanorum, et AEgypti praefecto, misso ad Arabiam occupandam, notabili subsidio succurrit, Jos. Ant. XV. et B. J. I. quod Augusto gratum fuit.

§. XDVII. Optato successu gratiae Romanorum aucupatio quoque non caruit. Praeterquam quod eorum favore sese et vicinis et Judaeis reddiderit formidabilem, seseque in regno, contra omnia obstacula, fuerit, ad finem usque, tuitus; multa consecutus est ab Augusto beneficia, et singularis favoris indicia: quorum aliqua recensebo. Augustus ex AEgypto, post Antonium prostratum rediens per Judaeam, et ab Herode magnifice exceptus, ut modo narravi, donavit ipsi 4000 Galatas, qui Cleopatrae fuerant satellites, nec non tractus ac proventus Hierichuntis, Gadarae, Hipponis et Samariae, in regno ejus; Gazae, Anthidonis, Joppes ac turris Stratonis, ad oram maritimam, quos Antonius Cleopatrae dederat, ipsi reddidit. Deinceps, anno regni ejus 16*to*, duos filios, Alexandrum et Aristobulum Romam, sub oculis Augusti educandos, missos, Caesar benignissime excepit, ipsique potestatem dedit successorem pro arbitrio ex illis eligendi; concessit quoque ei Batanaeam, Auranitiden, et Trachonitiden, Zenodoro, male administranti, ereptas, in perpetuam possessionem, Jos. Ant. XV. et B. J. I. Romam ann. 23*tio* profectus, recepit filios, et a Caesare valde honoratus est Jos. ib. XVI. Agrippa quoque, ann. 25*to* ab ipso invitatus, Hierosolymam adiit, faustis adclamationibus exceptus, et *hecatomben* Deo inmolavit, populo praebito epulo, Jos. ibid., qui etiam tradit, comitatum ipsum fuisse Bosporum petentem, eique a consiliis fuisse. Denique excidit quidem circa finem vitae, seu ann. 33*tio* regni, gratia et favore Augusti, adeo ut, litteris ad eum scriptis, declaraverit Augustus, se eum habuisse hucusque *amici* loco, nunc in posterum *servi*, seu *subditi* habiturum, Jos. Ant. XVI. Ratio erat, quod Herodes fuerit apud Caesarem accusatus violentiarum Arabibus Nabataeis

illata-

illatarum: ſed Caeſar brevi rectius per Nicolaum Damaſcenum, legatum Herodis, Romam miſſum, informatus, in gratiam cum ipſo rediit, ut Joſ. ibid. refert.

§. XDVIII. Vertamus nos nunc ad Antigoni factionem, et univerſam domum Aſſamonaeorum ab Herode oppugnatam, et tantum quod exſtinctam, inde ortam, quod ſe in regno tutum, illa ſuperſtite, non crederet, maxime cum illa domus populo eſſet gratiſſima, Herodes vero odioſus; adeoque oculi animique eſſent in ſuperſtites Aſſamonaeos, defixi, tanquam liberatores futuros a ſevero Herodis dominatu. Primum, mox in principio regni, inpetum paſſa eſt Antigoni factio, eam etiam ob rationem, quod pecunia indigeret, Romanis ſolvenda. Fiſco itaque mox omnia amicorum, vel ſociorum, Antigoni bona addixit, ditiores quoque eorum in cuſtodiam dedit, et praecipuos, ad quadraginta quinque uſque, morte adfecit; Joſ. Ant. l. XV. Hyrcanum, patrem Mariamnes, ethnarcham ac Pontificem, ab Antigono, capta Hieroſolyma, auribus mutilatum, et Babylonem a Parthis abductum, ut ſupra narratum eſt, dein honorifice ibi habitum, ac a Judaeis, qui ibi ingente numero, ad haud paucas myriadas uſque, ut adſerit Joſ. Ant. XV: 3. degebant, valde aeſtimatum, ab Herode invitatum, ac permotum, ut in patriam ad ſe rediret, in principio honeſte excepit; ſed poſtea accuſatum, ſive verae ſive potius fictae colluſionis cum Malcho, Arabum rege, et adfectationis regni, quo tempore Herodes, Antonio fuſo, nondum Auguſti gratiam acceperat, adeoque dubius erat quid de ſe fieret, occidi curavit, jam octogenarium, Joſ. Ant. l. XV. Paulo ante Ariſtobulum, unicum Hyrcani filium tunc ſuperſtitem, Hierichunte inter natandum ſuffocari curaverat, ne populi gratia, qua gaudebat, aliquando in throno collocaretur. Acceleravit ejus necem, quod continuis Alexandrae, matris Ariſtobuli, precibus, et querelis, Herodes fuerit permotus *pontificatum* Ananelo cuidam, uni exulum in Babylonia, cui ab Herode datus erat, eripere,

ac Aristobulo dare. Quo munere cum festo Tabernaculorum fungeretur, tantum meruerat adplausum, ut nomen ejus fuerit ubique celebratum. Quod Herodi aegre fuit, et metum incussit, ne forte per populum in throno collocaretur, quippe cui proximum ad eam dignitatem, aeque ac Pontificatum, jus erat, Jos. l. c.

XDIX. Furiosae huic domus Assamonaeorum, quam maxime suspectam adfectati regni habebat, oppugnationi ex parte etiam, ut videtur, acceptum ferendum est, quod Alexandram, ejusque filiam Mariamnem, dilectam alias uxorem suam, primum, duplice vice, arcte custodiendam curaverit, cum mandato eas occidendi, si aliquid mali sibi eveniret, dein reapse e vivis abstulerit. Herodes priore vice, a Cleopatra, regina AEgypti, accusatus apud Antonium, et ab ipso, ut ad se in Syriam veniat, citatus, duas illas foeminas Josepho, avunculo suo, arcte commiserat custodiendas, et, si male secum apud Antonium ageretur, trucidandas; quod, Mariamni a Josepho notum factum, eam vehementer in Herodem irritavit, qui Josephum propterea morte adfecit, tanquam illiciti cum ea commercii reum, Alexandram custodiae mancipavit; altera vice eum, Antonio fuso, ad Augustum sese conferret, de eventu dubius, idem rursus fecit per Josephum, thesaurarium suum, et Sohemum, familiarem suum amicum, qui eas in castello Alexandrion arcte custodirent, et, si res sibi male succederet, occiderent. Unde tandem summa fuit orta inter eas, hac de re certiores factas, et Herodem discordia, quae in earum caedem exiit. Mariamne cum ipsi injurias, sibi et domui Assamonaeorum illatas, exprobrasset, et Herodem in furorem conjecisset, Salome ejus soror, Mariamnem illiciti commercii cum Sohemo, praeterea veneni Herodi parati, ream agendo, rem eo adduxit, ut accusata, damnata, ac morte fuerit adfecta. Ceterum Mariamne, teste Jos. Ant. XV: 7. licet pudica fuerit, et erga Herodem fidelis, ingenium habuit muliebre, nimis odiosum, et maritum, amore

sibi

sibi devinctum, inperiose nimis tractavit, deridebat etiam palam ejus matrem et sororem, et ipsis generis obscuritatem exprobrabat, adeo ut inter foeminas illas fuerit inexpiabile odium. Secuta mox est caedes Alexandrae, suspectae factae regni adfectati, dum Herodes Samariae decumbebat: nec diu post Costobari, Idumaeae praefecti, et mariti Salomes, sed ab ea deserti, quia contra eum conspirasse ab ipsa Salome accusabatur, argumento petito a protectione filiis Babae praestita, qui Assamonaei erant, et sese Herodi, in oppugnanda Hierosolyma, fortiter opposuerant. Adjecit quoque filiorum Babae necem, ita ut, notante Jos. Ant. XV: 7. nihil jam reliquum esset de Hyrcani cognatione. Eandem tandem sortem, nec dissimili de causa, duo ejus ex Mariamne filii, Alexander et Aristobulus, circa finem regni, vel ann. ejus 34*to*, subierunt, arte quoque et calumnia Salomes, ejusque fratris Pherorae, ac filii Antipatri, ad regnum adspirantis. Cum enim populo essent duo illi fratres in deliciis, male quoque de Salome, ejusque fratre, loquerentur, simul querelas super injuria, matri facta, effunderent, denique sese male erga Patrem esse adfectos, maxime post Antipatrum in aulam adductum, et patris favore gaudentem, subinde nonnullis indiciis patefecissent; haud difficile fuit eos insidiarum Patri structarum suspectos primum, dein reos, agere. Liberarunt quidem sese ab hac accusatione Romae coram Caesare, ad quem eos secum duxerat Herodes, et Patri reconciliati sunt, sed deinceps denuo incitatus Herodes a Salome et Pherora, accusatione vetere renovata, et speciosiore facta, firmum sumsit eos e medio tollendi propositum. Inpetrata ab Augusto venia filiis actionem instituendi Beryti, coram praesidibus Syriae, et aliarum vicinarum provinciarum, ut major esset justitiae species, tanto cum furore id fecit, ut condemnati fuerint ad mortem, quam etiam Cesaraeae subierunt, Jos. Ant. l. XVI.

§. D. Superest enarrem, qua ratione sese in regno ad-

ministrando, et erga populum, gesserit. Ornavit, munivit, splendidumque ac gloriosum reddidit regnum, ab una, sed tyrannice tractavit populum, ab altera parte, saepe tamen per Judaeos, ipsi insultantes, ad id compulsus. Per totum regnum, quod favore Romanorum tenebat amplissimum, ut ex supra dictis patet, insignes construxit, ac munivit, urbes et arces, Vid. Jos. B. J. l. I. c. 21. uti Caesaream, ante turrim Stratonis dictam, Samariam, Sebasten adpellatam, Antipatrida, nomine Patris sui insignitam, Cypron de nomine Matris, quae non κυπρις Cypris, sed κυπρος Cyprus, fuit adpellata, Phasaelem, de nomine Fratris, pluresque alias, uti Herodion, duplex fortalitium, unum haud procul Hierosolyma et Thekoa, alterum trans Jordanem, Alexandrion ab Alexandro Jannaeo conditum, dein dirutum, sed ab Herode renovatum, in confiniis Judaeae et Benjaminis Jos. Ant. XIII et XIV. alia mitto. Praeterea Hierosolymam reddidit ornatissimam et munitissimam, per arcem Antoniam, Templum Magnificum, de quo postea, et tres firmissimas turres super muro urbis, Hippicum, Phasaelum et Mariamnem: denique populum subinde liberalitate sua sibi devincire conatus est, uti ex. gr. tempore famis, indeque ortae pestis, ann. 13*tio* regni, sumtibus suis ex AEgypto necessaria vitae subsidia largiter suppeditando, Jos. Ant. l. XV: 9.

§. DI. Praeclaris hisce suis, in Regno administrando, et ante illud in favorem Judaeorum, gestis, tantum abest, ut favorem populi acquisiverit, aut conservaverit, ut per alia facinora sese valde praestiterit odiosum, eo etiam usque, ut multas murmurationes, injuriosos clamores, infestationes, subinde a tumultu parum remotas, pati debuerit, saepe etiam summa uti severitate, ad populum coercendum. Inter alia vero eo in primis tribuerunt sequentia ejus gesta. 1. Oppugnatio, et, quantum pote, exstirpatio domus Assamonaeorum, usque ad uxorem, ejus matrem, et patrem, ac duos filios: quippe quae in oculis et animis fuit Judaeis.

2. Con-

2. Conformatio ad mores et instituta gentilia, in gratiam Romanorum, inter Judaeos introducta: a quibus Judaei alienissimi erant, unde vehementius odium eorum in Herodem exarsit, adeo etiam, ut res ad publicam subinde spectaverit seditionem. Quo tempore ludos et spectacula, more Romanorum, in theatro dabat, decem viri audaciores propositum sumserunt theatrum invadendi, ac regem, vel aliquos sociorum ejus, occidendi, qui detecti crudeli morte adfecti sunt, quo ira populi in furorem fere vertit, maxime postquam autores consilii, ad eum delati, per mulierem aliquam, torturae subjectam, sine ulla ulteriore inquisitione, cum familia, utique innocua, fuerint ab eo morte plexi, Jos. Ant. l. XV: 8. 3. Opum corradendarum inexplebile studium, ad thesauros suos, per operum exstructiones, ac largitiones Romanis factas, exhaustos, replendos; quo populus saepe gravibus exactionibus fuit vexatus, religiosis etiam locis non intactis relictis. Cujus notabile exemplum Jos. l. c. memoravit in monumentis sepulchralibus Davidis, et Salomonis, visitandis, et spoliandis, sicut olim, ut praetendebat, Joh. Hyrcanus fecerat, quod ipsi ex parte tantum successit, flamma, ut fertur, inde orta, absterrito. Accessit 4. despotica ejus gubernatio, pro arbitrio facta, et ad Judaeos in servitutem redigendos spectans. Quo facit, inter alia, quod Pontifices elegerit et deposuerit, plane contra legem Mosis, pro lubitu; Templum destruxerit et reaedificaverit; instituta alia antiqua gentilium mixtura contaminaverit; populum denique juramento fidelitatis Romanis, et sibi, adstringere voluerit, ut continuas populi coitiones contra ipsum inpediret. Sed tanto inpetu sese scholarum praefecti, Hillel et Schammai, ac Pharisaei, ei opposuerunt, ut ab incoepto desistere debuerit, Jos. l. c. Crevit denique 5. odium populi per severitatem ac tyrannidem ejus, quam subinde ad factiosos retundendos exercere debebat; adeo ut nomen ejus fuerit Judaeis factum exsecrabile, et ipse quoque eos odio fuerit prosecutus vehe-

mentiore. Cujus indicium sese sub vitae finem maxime prodidit: quo multa ad eum omni bona mente privandum concurrerunt. Nova conspiratione Antipatri, filii ejus, regno destinati, et Pherorae, fratris ejus, contra ipsum detecta, et Antipatri custodia, in necem ejus paulo ante mortem Herodis exeunte, conscientia ipsum, in primis Mariamnes caedis causa, cruciante, morbo periculoso et doloroso ipsum occupante, Judaeorum odio omni occasione sese manifestante, ipse in iram efferatus, et tanquam insanus, ad quaevis facinora exstimulatus fuit, fere instar Sauli olim, *malo spiritu* agitatus. Cum Judas et Matthias, publici Judaeorum doctores, et valde aestimati, collecta discipulorum manu, fama mortis ejus falso vulgata, manus injicere coeperint in opera Herodis, Hierosolymae contra legem exstructa, initio facto ab *aquila aurea* super porta Templi dejecta et confracta, ipsi vivicomburio expiare debuerunt delictum suum. Deinde, ne Judaei super morte sua laetarentur, nobiles Judaeorum omnes, ad se vocatos, circo, seu hippodromo, inclusit, et sorori suae Salomi, ejusque marito, in mandatis dedit, ut, cum obiisset, omnes militibus cingerentur, et jaculis conficerentur: quod tamen exsecutioni non est mandatum. Mortuus tandem est inter intolerabiles cruciatus, cum foetore summo conjunctos, cujus rei descriptionem dedit Jos. Ant. *l.* XVII. et B. J. I. ac ex eo Euseb. H. E. l. I. ann. 70*mo* aetatis, regni 37*mo* a priore, et 34*to* a posteriore epocha, ut supra vidimus.

§. DII. Quae ultima regni ejus scena, in Antipatri, et Pherorae, conspiratione sita, nonnullis apud Jos. Ant. l. XVII. c. 2. vestita est circumstantiis, quae adtentionem merentur, quia historiae euangelicae, de circumstantiis nati Messiae, forte aliquid luminis inde inspergi poterit. Tempore initae conspirationis, haud diu ante mortem Herodis, regno ejus saltem ad finem vergente, adeoque quo ipso tempore natus fuit Christus, 1. narrat Jos. l. c. *universam nationem Caesari et Herodi* jurasse fidelitatem ac subjectio-

nem;

nem; dissentientibus tantum Pharisaeis ad septem millia numero. Potestne illud cum descriptione Luc. II. comparari? 2. Tradit, Pharisaeos, ex divina revelatione, in gratiam uxoris Pherorae, quae mulctam, Pharisaeis juramentum recusantibus inpositam, solverat, ei praedixisse, regnum Herodi ejusque domui esse eripiendum, ac ejus posteris tradendum; regem vero, qui oriturus est, *omnia* in potestate sua habiturum, adeo ut efficere possit, ut Eunuchus, Bagoas dictus, quem praedictio ferebat *patrem* ejus regis futurum, vim procreationis filiorum acquirat. Quae praedictio, ad Herodem delata, eum valde perturbavit, et in iram conjecit, adeo ut nocentissimos Pharisaeorum, cum Bagoa spadone, interfecerit, praeterea omnes, ex suo quoque famulitio, qui Pharisaeorum dictis fidem habuerant. Quae si cum historia Matt. II. conferantur, forte utraque narratio majore luce perfundetur. Utique Messiam fuisse intentum, et male ad uxoris Pherorae posteros adplicitum, forte ab ipso Josepho (qui et alias vaticinium aliquod de rege ex Judaeis orituro, qui orbis imperium teneret, ad Vespasianum retulit,) vel ex eo manifestum est, quod *omnia* dicatur *posse*, in specie ut *spado liberos* procreet, quo clare respicitur ad Jes. LVI: 3., praeterea, Messiam sine ope mariti nasciturum, Jes. VII., cum Bagoas *spado* dicatur, et pater regis futurus insinuetur. Nonnulla quoque sese hic produnt indicia Magorum, Messiam regem jam natum adnunciantium, perturbationis Herodis, et Hierosolymae commotae, denique irae ejus in Magos, et necis infantum Bethlehemiticorum. Sed conjecturis non ausim ulterioribus indulgere. Vid. Lardner credibil. Euang., et Driebergen ad Prideaux, l. IX. versus fin. Illud addere liceat, ex historia Herodis, inprimis ex studio opprimendi domum regiam, et suam firmandi, nec non iracundia et saevitia ejus, supra tradita, facile colligi, nihil incredibile narrationem Matt. II. de *infanticidio* Bethlehemitico, ad Messiam regem Judaeorum, modo natum, e medio tollendum, habe-

re. Imo tradit Jos. Ant. l. XV. c. 7. eum, ex difficillimo morbo sanitatem adeptum, adeo ex animi et corporis aegritudine fuisse exacerbatum, ut quosvis, etiam amicos, vel levi de causa interfecerit.

§. DIII. Praeter Ethnarchas, vel reges, simul Pontifices, supremos civitatis ac Ecclesiae, seu religionis, Rectores, quorum aliquam dedi notitiam, cum hac periodo introductum sit Synedrium, et *magnum* dictum, 70, vel 72, virorum, Hierosolymis residens, et *minus*, 23 virorum, Hierosolymae, et in urbibus celebrioribus, sedem tenens, de eo quaedam sunt dicenda, quippe quod ad formam regiminis cognoscendam pertinet. Synedrium Magnum quale fuerit, ex quibus membris compositum, de quibus rebus egerit, cujus fuerit autoritatis, ubi Hierosolymae congregatum fuerit, quo usque duraverit, tanquam notum, vel ex Seldeno de Synedr. aliisque autoribus, qui *antiquitates* Israeliticas tractarunt, facile repetendum, hic missum faciam, de *origine* ejus, huic periodo adsignanda, disseruisse contentus, ne nimis prolixa fiat historica tractatio. Suffecerit paucis observasse 1. constitisse ex 71, secundum Judaeos, membris, passim sacerdotibus, et Levitis, tanquam peritioribus, et aptioribus, quorum praecipuus erat הנשיא *princeps*, vel praeses, passim, licet non semper, Pontifex, et ab eo secundus *Pater domus Judicii*, tertius *Sapiens* dictus. Reliquos, ut ministros, seu *scribas* duos, aliosque mitto. Princeps medium tenebat locum, ad ejus dextram pater domus judicii, reliqui ab utroque latere, in formam dimidiae areae circularis. 2. Judicasse hunc consessum de quibusvis rebus gravioribus, qua civilibus, qua religiosis, de quibuscunque etiam personis, ne regibus, ut tradunt Judaei, quidem exceptis, absque ut sit inde provocatio, quascunque poenas, etiam capitales, inflixisse. 3. Consedisse quotidie, a sacrificio juge matutino ad vespertinum, in conclavi הגזית Gazith, a *caesis lapidibus*, quibus instructum erat, sic adpellato, cujus pars in atrio Templi, pars in antemurali ejus erat.

§. DIV.

§. DIV. Hoc Synedrium a Mose fuisse in deserto Num. XI. institutum, et deinceps, forte non sine aliqua interruptione, et majore minoreve cum potestate, continuasse, multi, Judaeos secuti, autumant, sine solido fundamento. Viri enim illi 70 fuerunt Mosi tantum adjuncti ad tempus, durante ejus administratione, eo scopo, ut eum aliquatenus, in populo rebelle et seditioso in ordinem redigendo, adjuvarent, extraordinarii itaque ipsius muneris Mosis socii, et spiritu etiam ejus donati; quod ex occasione institutionis eorum, et scopo, simul spiritu ejus cum ipsis communicato, aliisque indiciis, Num. XI. obviis, facile demonstrari posset, si hujus esset loci. Nullus tamen dubitaverim, quin occasio Synedrium instituendi inde fuerit sumta, uti ex numero membrorum 70, vel 72, quoque elucescit, de mihi quoque probabile fit, in principio fuisse consessum, seu senatum, tantum virorum peritia et virtute praecellentium, qui supremo reip. et Ecclesiae Rectori a consiliis essent, et gubernationis ejus partem obirent, sicut LXX viri Mosi fuerant adsociati, et in viso Zach. III: 8. *socii Josuae, sedentes coram facie ejus:* sed progressu temporis, ut fieri adsolet, eos majorem sibi adrogasse, etiam acquisivisse, potestatem, qualis Synedrio tribui solet; licet non sine oppositione forte, inprimis Regum, cum in ipsos Pontifices et Ethnarchas, seu Reges, deinceps jurisdictionem exercere coeperunt.

§. DV. Synedrium non esse tantae antiquitatis, quin ante Maccabaeos locum non habuisse, ipsum nomen *Sanhedrin*, ut Judaeis adpellatur, purum putum Graecum συνέδριον *Synedrium*, Macedonibus usitatum, Liv. XLV: 32. arguit, sed aliae rationes evincunt. Praeterquam quod nusquam in Script. S. ejusmodi consessus fiat mentio, sicut fieri debebat, si fuisset, cum summa rerum penes eum erat, Judices a Mose declarati sunt Sacerdotes, et Levitae Deut. XVII. et deinceps extraordinarii, simul vindices et duces, simul judices a Deo suscitati, et dein Reges, populum

gubernasse leguntur et judicasse, ex. gr. 1 Sam. VIII, X. 1 Reg. III. Josaphath quoque judices ubique constituisse traditur 2 Chron. XIX., absque ut Synedrium aliquod memoretur. Quid? quod 2 Chron. XIX: 11. unus supremus in Ecclesiasticis, Pontifex, et unus in politicis videtur a Josaphato introductus. Prima mentio Synedrii demum fit in historia Maccabaica, et tunc coepisse videtur, cum Maccabaei ad clavum sedere coeperunt, populo in libertatem adserto, eo scopo in initio, sicut modo observavi, ut Ethnarchae et Pontifici a consiliis esset, et opem in populo gubernando ferret, sicut 70 seniores fuerant Mosi adjuncti, sed tempus, tacente historia, quo coepit, definiri nequit. Duravit vero usque ad prolapsam remp., sed majore minoreve praeditum autoritate: de quo postea suo loco. Qua ratione Gabinius, aliis per Palaestinam institutis Synedriis, ejus autoritatem, tempore Hyrcani, imminuerit, sed Caesar restituerit, supra suo loco memoravi. Tradunt vero praeterea Talmudici, in singulis urbibus majoribus fuisse senatum 23 virorum, sed illud cum Josepho conciliari nequit. De quo Vid. Cl. Wesseling in diatrib. de *Archontibus Jud.* Tiberiadis senatum ex. gr. absolvebant *sexcenti viri*, quorum *decem-primi* praecipua pollebant autoritate, Jos. B. J. II: 21. habebant etiam suum *Archontem*, caeteris superiorem, Jos. de *vita sua* c. 7. Quo tamen, cum viro Doctiss., singulari semper amico meo, l. c. respici non putem Luc. XII: 58. acsi ibi memoraretur Archon, a Judice distinctus, et Judicis nomine ibi *decem-primi* illi intelligerentur, quod longius est remotum. Mihi probabilius videtur, ut id obiter moneam, pro ἐπ' ἄρχοντα legi debere ὑπάρχων, vel ὑπάρχων ἔτι *existens adhuc in via*; uti ex Matt. V: 25., loco parallelo, colligi facile poterit.

§. DVI. Status Judaeorum, ut de ejus qualitatibus, respectu *libertatis* et *prosperitatis*, nunc, pro more, forma regiminis, et historia ejus enarrata, dilleram, fuit varius, in

in principio et fine periodi servilis et infortunatus, verum in medio plane liber et prosperrimus. In primordiis, sub Juda et Jonathane, sicut Syris adhuc fuerunt obnoxii et tributarii, ita res eorum fuerunt tenues, periculosae, et turbulentae, spatio fere 23 annorum, licet in libera aedificanda Republica feliciter, et variis cum Divini auxilii signis, fuerint versati. Quae paulo explicatius tradi merentur. De obnoxia et tributaria eorum conditione, vel ipsa tributa, Syris solvenda, satis testantur, cum pendere debuerint coronarium, tertiam sementis partem, dimidiam fructuum arborum, denique capitale. Legi hac de re meretur edictum Demetrii, tempore Jonathanis, 1 Macc. XI. et Jos. Ant. l. XIII. unde tributa imposita, una cum tenui et adflicta eorum conditione, clare elucescunt. Praeterea a Regibus Syriae duriter tractabantur, vexabantur, et expilabantur, aperto quoque marte oppugnabantur, et dirissimam, causa quoque religionis, patiebantur persecutionem, uti supra narratum est; ingentes exercitus terram infestabant, et depopulabantur; varia cum ipsis habuerunt praelia, et exiguis copiis ac viribus adhuc erant instructi, paucis admodum et vilibus in initio Judae, dein majoribus quidem et validioribus, cum fortuna ipsis fiebat faventior, sed hostium respectu adhuc paucis, et infirmioribus. De quo ex variis prophetiis, et historia, exposui in Comm. ad Dan. XI: 34. Post mortem Judae res eorum valde fuerunt periculosae, et adflictae, ut ex historia Judae, supra tradita, constat. Sub Jonathane paulo majore tranquillitate, et prosperitate gavisi sunt, et res eorum firmiore coeperunt stare talo; sed in statu tenui ac dubio adhuc perseverarunt. Denique, Hierosolyma a Juda recepta, et sacris instauratis, religionis publicum exercitium renovatum est, Pontificatus etiam ad Maccabaeos transiit, Alcimo mortuo, cui successit Jonathan, primus Pontifex, et non Judas; ut in ejus historia vidimus: duravit tamen multiplex infestatio, quae sacrorum exercitium reddidit molestum, per praesidiarios

diarios *arcis*, seu *acrae*, prope Templum: de quo supra egi.

§. DVII. Interea, quod ad verum hujus intervalli intellectum pertinet, gavisi fuerunt eo tempore singulari Dei auxilio, multis signis ac effectis, subinde miraculosis, sese manifestante. De quo ex Prophetiis, et historia adcuratius disserui in Diss. ad Dan. XII*ma*, et Comm. ad c. XI: 34. et XII: 1. unde repeti, quae huc faciunt, possunt. Quod si forte, ut illud obiter adtingam, quae autor 2 Macc. X, XI et XIV. de externis adparitionum coelestium, fulgurum, aliorumque phaenomenorum, signis narrat, plenam non producant fidem, de quo hic non disputabo, multiplicia alia praesentiae et justitiae Dei signa, omni dubio vacua, sese in ipsa historia offerunt, quaeque sita fuerunt, 1. in stupenda, et plusquam humana, virtute heroica, quam Maccabaei praestiterunt, 2. in facinoribus inauditis, quae in hostes potentissimos ediderunt, 3. in terrore panico, hostibus saepe incusso, quo vel ad nomen Judae Maccabaei aufugerunt trepidi, 4. in velocitate, ac robore Maccabaeorum invincibili, denique 5. in mirabili rerum instauratione, et scenae mutatione, deinceps secuta, rebus quasi desperatis ad summum gloriae, et felicitatis, culmen evectis. Conf. Zach. IX: 13, 14. notabile vaticinium. Tandem 6. in multis irae divinae signis, cum in Antiochi Epiphanis fato, et regni turbulento statu post secuto, tum inpiorum et apostatarum Judaeorum excidio, ex historia noto.

§. DVIII. Pertinet quoque ad hoc intervallum festum *encaeniorum*, tempore Judae institutum, in memoriam repurgati Templi, Syris expulsis, et instaurati exercitii religionis, quod per 8 dies celebratur, a die 25*to* Casleu, cui noster mensis Decembr. respondet; quo, omni jejunio, et luctu vetito, laetitiae indulgent, et *lumina* accenduntur: cujus mentio exstat 1 Macc. IV. et 2 Macc. IV. ac apud Jos. Ant. l. XII. Adpellari solet festum *luminum* λυχνοκαΐας vel propter *lumina* sacra in Templo restituta, 1 Macc. IV: 50. vel

50. vel felicitatem insperato restitutam, ut Jos. tradit, ejusque demonstrationem, quod addi potest, per *lumina* tunc ubique forte accensa. Observari praeterea meretur, festum illud institutum esse *tribus* annis postquam altare erat profanatum, et 3 ann. ac 6 mens. post urbem, cum Templo, vastatam ab Apollonio, duce Antiochi Epiphanis, Jos. praef. ad libr. de B. Jud. et ibid. l. I: 1. VI: 11. denique *duobus* ann. postquam Judas dux, mortuo Patre, factus est, 2 Macc. X: 3. adeoque boni ominis instar, et in signum spei ulterioris liberationis, inde quoque conceptae, quod vaticinium Dan. c. VII: 25. VIII: 14. XII: 10. de tempore durationis istius profanationis, tunc fuerit inpletum. De quo in Diss. ad Dan. egi. Quae spes sub Jonathane facta est firmior, cum res sub ipso coeperint feliciores, et stabiliores, fieri; ut ex ejus historia patet. In cujus tempus etiam incidit inplementum vaticinii de 1335 diebus, Dan. XII: 12. quibus finitis, felicior adfulgeret status populi, post mortem Alcimi, discessum Bacchidis ann. aer. Sel. 153 M. 2, indeque secutam quietem biennii, 1 Macc. IX: 54. uti in Diss. ad Dan. VIta, ad fin. observavi.

§. DIX. Successit dein longe laetior periodus, et plenissimae libertatis, et summae prosperitatis, in primis sub Simone, et Johanne Hyrcano, quae diu quoque duravit, ann. fere 80: initio facto a primo Simonis, ann. aer. Sel. 170, et termino posito in Hyrcani ac Aristobuli concertationibus, indeque orta subjectione eorum Romanis. 1. Plenissima gavisi sunt Judaei libertate, aera etiam ejus recuperatae instituta a primo anno Simonis *benefactoris*, Jos. Ant. l. XIII. ab omni oppressione et subjectione liberati, *acra* quoque, quae hostium erat munitio Hierosolymis, a Simone occupata, et destructa, monte, cui inposita erat, aequato Jos. l. c. adeo ut reliqui populi, ipsi Syro-Macedones, cum ipsis egerint, tanquam φίλοις καὶ συμμάχοις *amicis* et *commilitonibus*, imo tempore Hyrcani nulla cum Syris res ipsis fuit, teste quoque Just. l. XXXVI., scilicet postquam

ab invaſione Antiochi Sidetis eſſent liberati, pace ac amicitia cum ipſo inita, ut in hiſtoria Joh. Hyrcani narratum eſt. 2. Arcta in primis ſocietate cum Romanis fuerunt conjuncti, et ab ipſis quoque honorati: inita ea jam fuerat a Juda, et deinceps continuata ſine interruptione, hoc vero intervallo, et deinceps, magis confirmata, 1 Macc. XII et XIV. quae Judaeis multa praeſtitit commoda, et ſplendorem adtulit; maxime cum Romani hoc tempore, ad regna Orientis deſtruenda, et libertatem oppreſſis dandam, ſeſe adcingere coeperint. De quo plura in ſuperioribus, ubi de regnorum illorum interitu, tractavi. Ceterum decreta Romanorum pro Judaeis, a Gronovio collecta, nuper egregie illuſtravit Vir eruditus Crebſius, hiſtorice et critice, in peculiari libello. Fuerunt quoque Romanis et exteris nationibus in honore, quoad ipſam religionem; de quo vid. Vitringa ad Jeſ. XXV: 3. ubi notabile de eo exſtat vaticinium, et Noriſ. in Cenot. Piſ. p. 239. De religione et Templo a Romanis honoratis conſtat quoque ex Philone Jud. legat., et Templum dicitur apud Joſ. B. Jud. IV: 4. locus, *qui adoratur per orbem univerſum, et ab alienigenis, uſque a terrae finibus fama et traditione honoratur*; ditatus quoque *muneribus ex toto orbe*, Deo conſecratis, ibid. V: 5. in ſpecie Romanorum donariis, ib. IV: 3.

§. DX. 3. Judaei mirum in modum fuerunt multiplicati, etiam *ſupra patres*, ut Deut. XXX. promiſſum, huc pertinens, habet, nec non Mich. II: 12, 13. et Pſ. CXXVIII, et alibi ſaepe. Hieroſolyma incolis refertiſſima, ſecundum viſum Zach. II: 8. nunc inpleri coeptum. Conf. Joſ. B. J. VI: 6. Dominium eorum longe lateque fuit diffuſum, ita ut totam comprehenderit non tantum Palaeſtinam, ſed et varias regiones Philiſtaeorum, Phoeniciae, Syriae, et Transjordanenſes: uti ex hiſtoria Hyrcani, et Alex. Jannaei, ſupra tradita, patet, ubi etiam de Idumaeis, ac Ituraeis, ſubactis, et proſelytis factis, actum eſt. Prophetiae itaque de Philiſtaeis, Moabitis, Ammonitis, et Idumaeis, a Judaeis poſſidendis,

dis, nemini non obviae, alibi etiam, in libello de Methodo prophetica, productae, inplementum suum nactae sunt. 4. Pace et omne genus bonis terrestribus, quae *benedictionis* nomine veniunt sub OEcon. V., abundarunt, ex proventibus terrae, et commerciis, nunc frequentioribus, iisque laete gavisi sunt, nulla calamitate adflicti, 1 Macc. XIV. in quo multae prophetiae inpletae sunt, alibi in lib. cit. productae: opibus et divitiis adfluxerunt, in primis Hierosolyma et Templum; ut vel ex spoliationibus Crassi et Herodis, de quibus supra dixi, elucescit; quae ex populorum subjugatorum tributis, aliorum donariis, et Judaeorum quaquaversum dispersorum muneribus, religionis causa quoque eo delatis, aliisque ex fontibus, originem habuerunt. De quo luculentae etiam exstant prophetiae Hagg. II: 8, 9. Zach. I: 17. Ps. LXVIII: 30. aliae. Judaeorum quippe et Israelitarum divisione ac aemulatione sublata, coaluerant omnes in unam societatem, et Hierosolymam miserunt donationes ac oblationes, sicut praedictum fuerat Ez. XXXVII: 25. Mich. II: 12. Tseph. III: 10, 11. et alibi. Vid. omnino Jos. Ant. XIV: 7. loco supra jam citato, ubi Strabonis quoque notabilia profert verba.

§. DXI. 5. In specie illustravit non tantum hoc intervallum ritualis religionis exercitium, Hierosolymis, secundum praescriptum legis, studiose et sine interruptione, ad copiose factum, omni idololatria et superstitione abolita, sed in primis nova religionis forma, ad rationalem proprius accedens, ad Christianam viam sternens, in *Synagogis*, non quidem hoc intervallo ortis, sed valde multiplicatis, et per dissita quoque loca inter Gentes quaquaversum dispersis: uti ex Strab. apud Jos. Ant. l. XIV. et Jos. ib. et lib. XIX. de B. J. l. II et VII. constat. Vid. Vitringa de Synag. Vet. Testatur quoque satis de earum copia, tempore Christi et Apostolorum, historia euangelica et Apostolica, nec res dubia est. De Synagogis, et cultu religionis ibi exerceri solito, cum abunde egerit, praeter alios multos, in primis

Cl. Vitringa lib. cit., nobis suffecerit verbo notasse, loca fuisse lectioni, ac interpretationi Mosis, ac prophetiarum, in specie precibus, destinata; ubi itaque religio modo magis rationali peragebatur: sicut postea in Ecclesia Christiana. Ceterum ante exilium Babylonicum Synagogas non exstitisse, sed praeludia earum in ipso exilio, primordia tempore Ezrae et Nehemiae, fuisse, sed progressu temporis inter Judaeos, per gentes dispersos, maxime hac periodo, in Cananaea Synagogas fuisse erectas, et multiplicatas, a Viris Doctis, praecipuae Vitringa, satis est evictum; nec hic locus est de eo agendi uberius.

§. DXII. 6 Superest aliud observandum, quod ad honorem ac splendorem Ecclesiae Maccabaicae pertinet, in extraordinariis revelationibus divinis, nonnullis hominibus factis, situm. De quo cum Cl. Vitringa Obs. S. l. VI. copiose disseruerit, paucis absolvam. Licet post Malachiam nulli fuerint prophetae, aut munere, aut prophetico spiritu, vel dono prophetandi, illustres, uti agnoscunt Judaei, Jos. contra App. l. I. et 1 Macc. IV et IX. ipsi quoque Talmudici, quibus etiam opus non erat, cum praecedentes omnia quoad populi monita, et fata Ecclesiae, ac Messiae, absolvissent, et copiosior deinceps viguerit Script. S. lectio ac interpretatio, via quoque sic strata fuerit ad Vet. OEconomiae abolitionem, et Novae, per Messiam, prophetam a Mose promissum, erectionem, tradunt tamen autores citati, nonnullas revelationes a temporibus Maccab., in primis circa tempus prolapsae reip., fuisse nonnullis factas, uti Joh. Hyrcano, dein Judae Esseno, tempore Hyrcani et Aristobuli, Pollioni, qui est celebris ille Hillel, Menahemo, cui successit Schammai, et aliis Essenorum, ac nonnullis Pharisaeorum. Vid. Jos. Ant. l. XII. et B. J. I. praeter Talmudicos. Adferit quoque Jos. Ant. XVII: 2. fin. concessam Pharisaeis fuisse, vel ita creditum, *futuri cognitionem ex Divino adflatu.* Phrasis enim πρόγνωσιν ἐπεπιστεύοντο verti potest, vel *credebantur futura scire*, vel concredita ipsis est ea cognitio.

nitio. Memorant etiam revelationum modos vel species 1. per adloquia, ad quae etiam refertur בת קול *filia vocis*, seu sono vehementiore instar tonitru prolata, et quasi ex eo nata, vox: quo refertur Joh. XII: 28. 2 adparitiones Angelorum, 3 somnia divinitus injecta, 4 instinctus et inpulsus divini, uti in poeticis et heroicis motibus, quibus Maccabaei gavisi sunt. Equidem non iverim inficias, nonnulla, quae citantur tanquam ex divina revelatione orta, vel dubia vel ficta esse, veritatem tamen traditionis non ausim penitus negare. Praeterquam enim, quod fides historica sine urgente ratione, quae hic nulla adferri potest, non sit solicitanda, nec res per se sit inprobabilis, aut a conditione populi, prae ingruente corruptione ac confusione, ejusmodi extraordinario medio, ut olim, indigentis, aliena, imo ratio aliqua dari possit, a praeparatione populi, inprimis piorum, ad Messiae instantem adventum, petenda, indubia sese produnt indicia in nonnullis Psalmis, seu canticis, in libro Psalm. obviis, hoc tempore compositis, uti ab Altingio Diss. Philol. de *linguae Hebraeae conditione*, et aliis, jam est observatum, quae magis historice quam prophetice de temporibus Maccabaicis agunt, de quo in Comm. ad Ps. exposui uberius; praeterea exempla prostant in Cajapha, qua Pontifice oraculum fundente, licet inscio, Joh. XI. et certiora in Zacharia ac Elisabeta, parentibus Johannis baptistae, Maria matre Domini, Luc. I. Simeone ac Anna ib. c. II. quae vel primam adnunciationem regni coelorum per Johannem praecesserunt.

§. DXIII. Haec omnia, quae de Ecclesia Maccabaica in medium produxi, qui adverterit, mecum forte statuet, eam in verbo Prophetico apte depingi, tanquam *regnum Dei* exhibentem, cum per duces, simul Pontifices, personas sacras, convenienter etiam primae institutioni, qua *regnum sacerdotale* erectum est, fuerit administrata, Deus quoque sese variis speciminibus et benedictionibus praestiterit, ut supra vidimus, tanquam supremum rectorem, praesentem,

praeterea conſiderari ſolere, tanquam primitias Eccleſiae Chriſti, ejus conſummatricis, denique imaginem Eccleſiae Apoſtolicae. De quo in *Methodo prophetica* monui, et in Diſſ. ultima ad Dan. fuſius expoſui: quare hic tetigiſſe ſuffecerit. Optandum fuiſſet, ſtatum hunc diutius, uſque ad Meſſiam manifeſtatum, duraſſe, nec per novam regiminis formam, populique factiones, ac multiplices corruptelas, fuiſſe primum obſcuratum, et contaminatum, dein plane deletum: ſicut fieri coepit poſt mortem Johannis Hyrcani, et poſtea perfectum; nova ſuccedente ſervitutis ac calamitatis multivariae periodo, quae tandem in totalem reip. et Eccleſiae Judaicae ruinam exiit, ſicut in verbo Prophetico quoque clare et copioſe fuit praedictum. Cujus cataſtrophes initium cum repetendum ſit a *Sectis*, inter Judaeos ortis, in primis Phariſaica, ejuſque cum domo Maccabaica acerrima concertatione, quae ſub finem Joh. Hyrcani incepit, et ſub Alexandro Jannaeo in civile aliquod bellum tranſiit, hic aptus eſt locus harum ſectarum notitiam tradendi: quod, quantum pote, paucis faciam; cum integri de iis Scaligeri, Druſii et Serarii, Triglandi, et aliorum, proſtent tractatus.

§. DXIV. De *origine*, *inſtitutis*, *ortu ac fatis* Phariſaeorum et Sadducaeorum ordine, ſed in genere et ſummatim, acturus, *originem* paulo altius repetam, miſſa opinione Joſephi, qui eam a diſputationibus Philoſophicis Gentilium derivat, Phariſaeos cum Platonicis, Sadducaeos cum Epicuraeis, et Eſſenos cum Stoicis comparans; ſine ſolido fundamento, et ex origine cum progreſſu Sectarum illarum confuſa, non enim in initio, ſed deinceps, ad eas quaeſtiones prolapſae ſunt. Tempore adflictionis Epiphanicae, ut in rem veniam, diviſi fuerunt Judaei, ut ex hiſtoria Maccabaica conſtat, in חסידים *Chaſidaeos*, et רשעים *inpios* ac profanos; quorum *illi*, nomine quoque indicante, fuerunt pii, et ſtudioſi religionis patriae ad mortem uſque ſectatores ac defenſores, *hi* vero, nomini etiam ſuo congruen-

ter,

ter, ejus contemtores, abnegatores, ac hostes, ad Graecanicam superstitionem proni, qui populo Judaeo magis quam Syri nocuerunt, qui inprobi et *scelerate tractantes foedus*, adpellantur Dan. XI: 32. et *desertores foederis sancti*, *ad quos aciem mentis admovebit* Epiphanes ibid. v. 30. ubi vid. Comm. noster. Republica dein instaurata, et sacris restitutis, cum studium legis incepit vigere, Chasidaeorum nonnulli, modum, ut fieri adsolet, non tenentes, ad majorem adcurationem, etiam minutias, prolapsi, legum ritualium cognoscendarum, definiendarum, ac rigide observandarum ardente studio fuerunt ducti, summamque religionis in eo constituerunt: cum vero littera legis ad id non sufficeret, sese ad *traditiones* receperunt, quas studiose conquisiverunt, et pro *altera* lege, seu סיג *sepe* legis, deinceps habuerunt, inde sequentibus temporibus dicti *misnici*. Per quod legum ritualium et traditionum studium, ac rigidam observantiam, cum ab aliis sese separarent, iisque se sanctiores ac religiosiores putarent, adpellati sunt Pharisaei, a פרש *separare*, seu ἀφωρισμένοι *separatistae*: quo Jes. LXV: 15. censetur digito intendi, aliis etiam חברים socii ἑταῖροι adpellati, quo Christus censeri posset respexisse, Judae proditori dicens Matt. XXVI: 50. ἑταῖρε, ut ipsi consortium cum Pharisaeis quasi exprobaret. Quorum itaque in principio characteres hi duo tantum fuerunt, *unus*, in exacto et rigido studio ac exercitio legum ritualium, in specie de puritate, et inpuritate legali, situs, cujus respectu se caeteris jactabant *sanctiores*; sed *alter*, *traditionum* πατροπαραδότων, a *Patribus*, seu majoribus, ortarum, studium et observantiam, acsi ejusdem essent autoritatis ac Lex ipsa, complexus. Ab hoc hominum genere secesserunt, in alterum fere extremum delapsi, qui, cultus ritualis minore, traditionum nulla, habita ratione, leges civiles et politicas, seu *justitiae* studium et exercitium, unde salus reip. pendet, inprimis curabant et sectabantur: inde צדיקים *justi*, seu *Sadducaei* adpellati, juris et aequi rigidi sectatores, et reip. tuendae,

 legum-

legumque civilium patroni. Fabulosum enim est, quod de *Zadoco*, discipulo Antigoni Sochaei, praeceptoris dictum de praemio futuro male accipiente, et distorquente, acsi nulla esset post mortem remuneratio, traditur; acsi inde nomen *Sadducaeorum* fuisset ortum. Praeterea nomen quoque *Karaeorum*, seu *Scripturariorum* tulerunt, quatenus traditiones rejecerunt: licet Karaei non sint cum iis confundendi.

§. DXV. Hac ratione secum divisi in principio, deinceps devenerunt ad quaestiones theoreticas, ex ipsa illa divisione sponte quasi sua oriundas. Pharisaei, studii legum ritualium et traditionum, tanquam necessarii et salutaris, rationem reddituri, eam facile a *remuneratione* post mortem, hanc observantiam secutura, ac coronatura, repetierunt; eamque maxime in traditione fundarunt, cum legis *littera* eam minus aperte promitteret. *Dogmata* itaque ipsorum propria fuerunt 1. remunerationem dari boni operis, in religionis ritualis exercitio et traditionum observantia siti, ex merito aliquatenus dandam. 2. Libero quoque arbitrio hominem esse praeditum, quo ad bonum opus praestandum aptus sit. 3. Vitam dari aeternam, et resurrectionem mortuorum. Quo ipso ad Platonicos propius accedebant; ut observat Josephus. Sadducaei vero, societatis civilis salutem tantum in oculis habentes, et litterae legis inhaerentes, remunerationem post hanc vitam negarunt, adeoque nec animam superesse, nec mortuos resuscitandos, aut ultimum habendum esse judicium, statuerunt Matt. XXII. et Act. XXIII. ubi etiam traditur, eos existentiam negasse Angelorum, per quos, in Script. memoratos, forte intellexerunt evanida quaedam spectra, a Deo oculis subjecta, sicut cum igni, flamma et vento comparantur. Loca vero de resurrectione, et judicio, retulerunt ad Dei gubernationem in hoc seculo. Unde est, quod Jos. eos cum Epicuraeis comparaverit; nec tamen eos Providentiam Divinam negasse aut constat, aut probabile est, cum Script. S. admiserint, nec librorum Mosis tantum,

sed

sed et reliquorum. Mosis enim ab iis tantum fuisse adsumtos, reliquis repudiatis, quod a nonnullis ipsis inputatur; nullo patet indicio; imo contrarium ex eo liquet, quod Gamaliel in lib. Sanhedrin triplex in eos stringat argumentum, ex Lege, Prophetis et Hagiographis. Nata videtur opinio ex eo, quod Jos. Ant. XIII. eos legi *scriptae* Mosis adfixos esse tradat, sed illud, relate ad traditiones capiendum est; quodque Matt. XXII. Christus ex Mose argumentetur contra ipsos: sed illud reliquos libros ab ipsis rejici non arguit, tantum evincit, Sadducaeos sese in eo maxime fundasse, quod apud Mosen nullum resurrectionis reperiatur indicium, Mosen vero esse credendorum normam, ad quam reliqua scripta Prophetarum sunt conformanda. Occasio providentiae negationem ipsis adtribuendi originem suam forte debet loco Jos. Ant. XIII. c. 5. et de B. J. l. III: c. 8. male intellecto: cum ibi simpliciter tradatur, eos *fatum* contra Pharisaeos negasse, ut et, Deum esse causam efficientem operum nostrorum liberorum: quod Pharisaei censebantur statuere.

§. DXVI. De *tempore*, quo hae sectae ortae sunt, nihil aliud constat, quam eos sub Johanne Hyrcano jam viguisse, et sub Alexandro Jannaeo Pharisaeos valde dominatos fuisse; ut ex superioribus patet. Cum vero Jos. Ant. l. XIII. c. 5. de Jonathane agens, referat, eo tempore tres inter Judaeos fuisse sectas, tunc eas incepisse, recte statuitur. Ceterum Pharisaeis, teste Jos. l. c., plebs adhaerescebat, et Sadducaeis nobiliores ac ditiores; apud populum, cui, prae legis studio, et rigidiore devotione, grati erant, plurimum poterant, ut ibid. tradit, qui etiam ib. l. XVII. c. 2. adferit, *eos regibus maxime fuisse ausos resistere*, *praecipites*, ac protervos (legendum apud Jos. videtur non προμηθεῖς *cauti*, providi, quod sequentibus non convenit, sed προπετεῖς) *promtosque*, *data occasione*, *ad aperte bellandum laedendumque:* denique Sadducaeos observat Ant. XX: 9. et B. J. II: 8. *rigidiores* fuisse in poenis infligendis, Vid. Reland. ad Jos.

Ant. XX: 8. quod etiam instituto et scopo eorum, ad salutem societatis unice tendenti, ut et nomini Sadducaeorum, a צדיק quod *recto-rigidum* proprie denotat, recte convenit, Pharisaeos vero *mitiores* Ant. XIII: 10. et ideo quoque plebi gratiores, ad cujus placita sese adcommodare noverant. Quales etiam sese semper praestiterunt, principibus viris vel adulati, si sibi faverent, vel adversati, si displicerent. Cujus notabile exemplum historia pandit sub Joh. Hyrcano, et successoribus. Gratia Hyrcani, magni eorum patroni, exciderunt sub finem regni, occasione injuriosi admodum in eum dicti, quod ab uno eorum, Eleazaro, in convivio, ad quod cum aliis erant a Johanne, amice et honorifice, invitati, prolatum. Roganti enim Johanni, num aliquid in se carpendum habeant, loco laudationis, sicut intendebat, et exspectabat, respondit Eleazarus, eum Ethnarchatu debuisse contentum esse, Pontificatu misso, quia eo indignus erat propter matrem, aliquando servam vel captivam, adeoque, ut putabatur, vitiatam. Quod inportunum, simul falsum et calumniosum, effatum, licet ex unius ore tantum eructatum, Pharisaeis in genere fuit, suggestione Sadducaeorum, inputatum a Johanne, maxime, postquam reliqui Pharisaeorum primarii, ab ipso de poena Eleazaro infligenda consulti, respondissent, crimen ejus non esse capitale, castigatione virgarum, aut custodia, facile expiandum. Ex quo Johannes eos odio habuit, ipsisque factus est odiosus, adeo ut graves inde ortae fuerint concertationes inter ipsum, ejusque successores, in primis Alexandrum Jannaeum, et totam illam familiam Pharisaicam, quibus regnum horribiliter fuit perturbatum, adeo ut Alexander per sex annos bellum quasi intestinum gesserit cum populo: multumque sanguinis fuerit fusum, uti ex historia Jannaei, supra tradita, patet. Alexandro mortuo, vidua ejus, regni gubernatrix, se tota, suasu etiam mariti, ut regnum suum tueretur, adplicuit Pharisaeis, qui ab eo tempore primas tenuerunt, simul Regnum valde turbarunt; ut in historia Alex-

andrae

andrae vidimus. Reliqua eorum fata, in hiſtoria Hyrcani, Ariſtobuli, et Herodis obvia, mitto; et verbo addo, ſcholas Hillelis et Schammai, ſub Herode M. in primis vigentes, has ſectas maxime illuſtraſſe, cum Hillel Phariſaeis, et Schammai Sadducaeis, reſpectu traditionum, magis faveret; licet illuſtres illi doctores ad neutram ſectam proprie pertinuerint; fuerunt enim, vero ſuo conſpectu, ſcholarum rectores ac doctores, in hiſtoria Euangelica νομικοι, νομοδιδασκαλοι, γραμματεις *Legis interpretes*, et doctores, ac *ſcribae*, adpellati; antiquiſſimi forte *Karaei*, ſed ſectam peculiarem non conſtituentes: ſecta enim Karaeorum eſt recentior, cujus apud Joſ., aut in ſcriptis N. T., nulla occurrit mentio. Sed de illis hic locus non eſt uberius diſſerendi. Conſuli poſſunt autores ſupra citati, qui de ſectis Judaeorum expoſuerunt, in ſpecie de Karaeis Triglandus, et Wolfius in *notitia Karaeorum.*

§. DXVII. Eſſeni, vel Eſſaei, tertiam conſtituentes ſectam, quorum notitia petenda eſt ex Joſ. Ant. l. XIII et XVIII. de B. Jud. l. II. et Philone Judaeo de vita contemplativa, ac in libro, *omnis probus liber*, unde alii, qui eos deſcripſerunt, petierunt ſatis noti autores de ſectis Judaeorum, ne alios quoque notos memorem, Eſſaei, inquam, ex antiquis חסידים Chaſidaeis originem et nomen, ut videtur, trahentes, Gentilium Pythagoreis, et Chriſtianorum Monachis, non quidem per omnia, ſed in multis haud abſimiles, 1. in doctrina et fide ac religione hoc habuerint peculiare, quod providentiam Dei fere cum fato confuderint, juramenta paſſim pro illicitis, vel minus neceſſariis, excepto, ſi quis in ſocietatem ſuam ſit admittendus, qui juramento ſe obſtringere debebat, habuerint, et Magiſtratus: inmortalitatem animae, ſine corporum reſurrectione, adſumſerint, legi Moſis, rejectis traditionibus, quidem ſe adſtrinxerint, donaria Hieroſolymam miſerint, Sabbatum obſervarint, ſed ſacrificia minoris fecerint, purae mentis et virtutis exercitium iis praeferentes: nec non corporis mor-

tificationem, per abſtinentiam a voluptate carnali ac deliciis; tres ſtatuerint vivendi regulas, *Deum ſuper omnia amare, virtuti ſtudere, ac proximum ardenter amare.* Dei ſeſe praeſtabant religioſos cultores, nihil fere ſine precibus agentes, quas non ad *ſolem*, ſed coram eo ad Deum fundebant; ſic enim intelligendus eſt Joſ. B. J. II: 8. §. 5. unde male concludi a nonnullis ſolet, eos ſolem adoraſſe: quod abſonum eſt, niſi forte ſolem pro divinitatis emblemate habuerint, quare *radii Dei* adpellantur ſolis radii ibid. §. 9. ut videtur, quod tamen eſt dubium. 2. In vitae inſtituto quoque nonnulla habuerunt peculiaria. Incoluerunt loca ſolitaria, maxime circa mare Sodomaeum, fraternitates colebant, communionem bonorum habebant, nulli erant ſervi, alii uxores ducebant, alii abſtinebant, medicinam in primis curabant, ſevere admodum et parce vivebant, ſilentii leges obſervabant, a clamoribus, rixis, et tumultu alieni, ac pacis amantiſſimi; conſtantiam, patientiamque, vel in diriſſimis cruciatibus, mirifice tenebant: liberalitate, aliiſque modis, ſuccurrendo aliis excellebant. 3. Denique diſtincti fuerunt in *Theoreticos*, etiam *Therapeutas*, a medicinae, inprimis *mentis*, exercitio dictos, et *practicos*, quorum illi contemplativi, hi operarii, erant, quare illi in locis ſolitariis degebant, hi vero in urbibus et pagis verſabantur, opera manuum, et mercaturam, exercentes. Ex quibus, quae ſpeciminis loco protuli, facile conſtat, Therapeutas pro Chriſtianis male a Veteribus, et recentioribus nonnullis, fuiſſe habitos, ſed quaſi Monachos Judaeorum fuiſſe, et multa habuiſſe a Chriſtiana religione et praxi non adeo abhorrentia.

§. DXVIII. Secuta mox longe triſtior Judaeorum conditio eſt ſub Hyrcano per Pompejum, et Syriae Praeſides Romanos, occaſionem praebente bello civili Judaeorum inter Hyrcanum, et Ariſtobulum ejuſque filios, uti ſupra in hiſtoria Hyrcani narratum eſt. Dabo hic paulo clariorem ſervilis et calamitoſi eorum ſtatus intellectum. 1. Hieroſo-

lymam

lymam constat fuisse a Pompejo expugnatam cum Templo, multa caede foedatam, et muris fere nudatam, parte eorum destructa. Jos. Ant. XIV. 5. Exaggerat itaque App. Alex. Bell. Syr., tradens, Hierosolymam ab eo fuisse dirutam. Caesar postea murorum instaurationem concessit, eamque perfecit Antipater, Jos. l. c. 2. Nec illud dubium est, formam regiminis fuisse a Pompejo mutatam, Hyrcano tantum Ethnarcha et Pontifice constituto; a Gabinio deinceps magis inminutam ejus potestatem et dignitatem, tribunalibus, a se invicem non dependentibus, per terram Judaeorum introductis, sed eam a Caesare in pristinum locum restitutam; ut supra vidimus. 3. Certum quoque est, amplitudini dominii ipsorum fuisse multum detractum; urbes enim Coelesyriae, et alias regiones, iis abstulit Pompejus, et *universam gentem intra proprios limites conclusit* Jos. Ant. l. XIV. 4. Nec illud negari potest, Judaeos ab eo tempore fuisse *tributarios*, aliqua ratione, factos Romanis; ita ut tributi nomine debuerint brevi 10 millia talenta dare; et postea extraordinaria pendere vectigalia, ut ex Jos. l. c. patet: nec tamen ad *annuum* tributum fuisse videntur obligati, antequam Judaea fuit in provinciae formam redacta: Caesar dein a tributis eos exemisse traditur, Jos. l. c. Minus exacte itaque loquitur Cic. pro Flacco, ubi dicit, gentem Judaeam fuisse a Pompejo *victam* non tantum, sed et *elocatam* (mancipibus scilicet, et publicanis, populi Romani) ac *servam*, nisi eum quis velit conditionem Judaeorum, inde postea secutam, una comprehendisse. Tantum expilata subinde est a Praesidibus Syriae; sicut Crassus fecit; ut supra narravi, etiam post Caesaris necem Cassius Jos. l. c. sed, ut ibid. additur, reparavit postea Antonius. 5. Obnoxii, quin aliquo modo subjecti, sunt Romanis, a tempore Pompeji, sicut periodum subjectionis inde etiam repetiit Jos. de B. Jud. l. V et VI. ita ut majestatem Romanam venerari debuerint, et inde privilegia acceperint; ethnarchatus etiam a Romanis constitutus sit; nec tamen ex

vero tradidit Ammian. Marcell. l. XV. Judaeam a Pompejo fuisse in provinciae formam redactam: de quo vid. Crebsius de *decretis* Rom. pro Judaeis ex Josepho. Tradit quidem Jos. Ant. l. XIV. c. 4. et B. J. I: 7. Judaeos perdidisse libertatem, et Romanis fuisse subjectos, Scaurum quoque regionibus inter AEgyptum et Euphraten fuisse a Pompejo, inde discedente, praefectum, sed de totali subjectione, multo minus ad modum provinciae Rom., nihil habet, nec eousque extendenda sunt ejus verba; nisi regionum respectu, quae Judaeis fuerunt ereptae, et Syriae adsignatae; de quibus illis in locis loquitur Jos. Denique Caesar Judaeis αὐτονομίαν concessit, legum propriarum usum, eosque tanquam *amicos* Romanorum considerari voluit, teste rescripto ejus apud Jos. Ant. l. XIV.

§. DXIX. Regnum vero Herodis, licet varia dependentiae a Romanis praetulerit indicia, ut, quod ab iis illud acceperit Herodes, et eorum favore illud fuerit tuitus, licentia etiam ab Augusto de successione disponendi accepta, ita tamen, ut ante ab Augusto fuerit confirmandum, quam exsecutioni mandetur, ut ex Archelai historia post patebit, majore tamen libertatis specie fuit gavisum, nec, quod App. bell. civ. l. V. tradit, pro *tributario* habendum est, verum sociali et amico: quo titulo ab Augusto insignitus, et tractatus est: ut ex ejus patet historia. Ceterum longe illustrius fuit, et magis prosperum, regnum ejus, pacificum quoque, relate ad populos exteros, et munitum: licet profusis sumtibus Herodes fuerit subditis gravis, Jos. Ant. XVI: 5. nec populo acceptus, quia pro alienigena habebatur, mores gentiles introducebat, et nimis severus erat ac crudelis: de quibus omnibus ex historia ejus supra satis constat. Quod ad Religionis exercitium adtinet, viguit quidem illud, etiam per splendidum Templum illustrius est factum, attamen per illegitimos Pontifices multum taminatum; cum de iis pro arbitrio disposuerit Herodes, eos constituendo et deponendo, legis Mosis nulla habita ratione; adeo ut ab hoc tempore

dignitas

dignitas istius muneris et sanctitas varie coeperit prostitui; dum singulis fere annis novus Pontifex fuerit, quare Cajaphas pontifex *istius anni* emphatice adpellatur Joh. XI. qualia progressu temporis multa fuerunt exempla Jos. Ant. XVIII: 2. Erant subinde 16 aut 17 tantum annorum, cum Pontifices fiebant, sicut exemplum est in Aristobulo, fratre Mariamnis, uxoris Herodis; rudes quoque et inperiti, saepe ac inprobi, pecunia aliisque pravis artibus Pontificatum adepti: de quo ex Jos., et ipsis Talmudicis, satis constat.

§. DXX. Cum vero Templi vel aedificatio vel renovatio, illustrissimo modo facta, ita ut Judaei de eo dixerint, *qui illud non vidit, is nunquam vidit aedificium magnificum*, regnum Herodis maxime illustraverit, ejus aliqua danda est notitia. Incepit aedificari ann. 18*vo* Herodis, Jos. Ant. XV: 14. duraverat, cum Christus ann. 30*mo* aetatis munus suum auspicatus erat, ann. 46, Joh. II: 20. absolutum demum tempore Agrippae Jun., post annos itaque 78. Jos. Ant. XX: 9. Quod de absoluta consummatione capiendum est: ipsum enim Templum fuit spatio unius anni et 6 mens. aedificatum, teste Jos. Ant. XV. Fuit autem magnifice constructum et exornatum. Lapides erant candidi et firmi, 25 cubitos longi, 8 alti, et 12 lati, longitudo Templi erat 100 cubitorum, et altitudo 120. Inter ornamenta eminebat vitis aurea, cum racemis ab ea pendentibus, in fronte super fores: reliqua, ad ejus descriptionem pertinentia, non sunt hujus loci, quare addidisse suffecerit, Templum censeri quidem posse *novum*, nec tamen pro *tertio* habendum. *Prius* non inde tantum colligitur, quod *aedificatum*, nusquam renovatum, dicatur, sed in primis quod ipsa fundamenta fuerint sublata; teste Jos. Ant. XV: 11. qui addit, 10 cubitis consedisse fundamenta, quodque Judaei, de proposito Herodis certiores facti, tristati putaverint, *toto opere dissoluto* opes ei defuturas esse ad aedificandum, et Herodes ipsos reddiderit securos, dicendo, *se non ante* destructurum esse vetus, quam omnia essent parata. De *posteriore* vel inde constat, quod Judaei ipsi pro

Templo *ſecundo*, atque eodem, quod ſub Zerubbabele conditum eſt, conſtanter habuerint: nec ſine ratione, cum Templum non fuerit ab hoſtibus deſtructum, nec in eo ceſſaverit cultus ſacer ritualis, ſed reaedificatum, ſeu renovatum, adeo ut Meſſias noſter recte, ſtante Templo *ſecundo*, ſicut praedictum erat, Hagg. II. et Mal. III. dici queat veniſſe.

§. DXXI. Quod denique ad *internum*, ſeu pietatis et virtutis, ſtatum Judaeorum hac periodo adtinet; laudabilis cenſeri poteſt ſub Maccabaeis prioribus, uſque ad Alexandrum Jannaeum, rep. inſtaurata, et religionis ſtudio vigente: ſed poſtea ſenſim, exortis turbis et inteſtinis diſcordiis, maxime poſt firmatas inter eos ſectas Phariſaeorum et Sadducaeorum, in pejus coeperunt ruere, doctrina et moribus haud parum depravati; introductis quoque inſtitutis ac moribus Gentilium per Herodem M., Joſ. Ant. XV: 8. Ipſi Phariſaei, eorumque adſeclae, legis obſervantiae rigidioris prae reliquis ſtudioſi, a vera doctrina ſalutari, et virtute, magis magiſque deſciverunt, ſummam religionis in opinionibus inanibus, et inſtitutis legalibus minoris momenti, ponentes, animam et vim legis moralis, per traditiones ſuas corrumpentes vel enervantes, Matth. XV., hypocriſin etiam induentes, et ſuperbiam, ſeſe aliis jactantes ſanctiores, et ſapientiores, eoſque propterea contemnentes et damnantes: praeterea, opum et gloriae cupidi, vitam moreſque ita inſtituerunt, ut auram vulgi captarent, bona corraderent, ac magni ab aliis fierent, et celebrarentur tanquam ſancti, omnibuſque dominarentur, quales in primis ſeſe praeſtiterunt doctores eorum, ſeſe Moſis quaſi ſucceſſores jactantes, et in cathedra ejus ſedentes, cum autoritate normam credendorum et faciendorum praeſcribendi: qui etiam in precibus, eleemoſynis, jejuniis, aliiſque devotionibus, palam ſeſe oſtentabant, ut in aliorum notitiam venirent, et celebrarentur Matt. VI et XXIII. Sadducaei vero, hujus vitae bonis contenti, eo omnia dirigebant, ut iis fruerentur, adeoque civitatem modo curantes, cetera genio indulgentes,

res, nec pietatis ac virtutis aliam habentes rationem. Interea, Messiam quidem exspectabant omnes, sed tanquam regem externum, et populorum debellatorem, non servatorem spiritualem, et regni coelorum conditorem, qui, obedientia sua ad mortem, Dei justitiam, ac sanctitatem, illustraret et vindicaret, mundumque ei reconciliaret, et ita sibi credentibus ac obedientibus vitam aeternam adferret: quali servatore se opus non habere censebant, cum sacrificia et lustrationes peccatis expiandis et purgandis, et legis, in primis ritualis, externa observata officia vitae aeternae acquirendae sufficerent, quo sensu *propriam* leguntur *sectati justitiam*, Dei susque deque habita Rom. IX. Tales tempore Christi fuerunt populi duces, talis etiam grex, seu populus, ab iis totus pendens; ita tamen, ut non defuerint, licet exiguo numero, sinceri Dei cultores, et virtutis studiosi, temporum suorum corruptionem lugentes, et consolationem Israelis promissam exspectantes; quales in Euangelio celebrantur Zacharias, Elisabet, Joseph, et Maria, Simeon, Anna, Nathanael, alii.


§. DXXII. Historia Judaeorum in Cananaea hujus periodi absoluta, ad chronologiam ejus constituendam pergam, postquam verbo monuero, Judaeos hac periodo per orbem fuisse quaquaversum magis magisque disseminatos, singulari Dei providentia, ut notitia veri Dei magis innotesceret inter Gentes, et Euangelium facilius propagaretur; cum ubique essent Judaei, et Synagogae eorum, uti ex historia Euangelica patet. Ceterum de Judaeorum copia per orbem egregie constat, ne alia in re, vel ex historia Euangelica satis nota, proferam testimonia, ex Epistola Agrippae ad Cajum, apud Philon. leg. ad Cajum, et Jos. B. Jud. l. II. c. 19. et seq., nec non Antiq. l. XIV. c. 7. ubi etiam Strabonis verba profert, quibus dicit, *haud facile locum in toto orbe inveniri posse, qui Judaeos non receperit et teneat:* sic et cap. 10. totam Asiam minorem esse iis repletam tradit, et privilegia ipsis concessa recenset.

 Erat

Erat eorum magna multitudo in AEgypto, Cyrenae, ut cap. 7. habetur, et in Babylonia l. XV: 2. Chronologia quoque moras non injiciet, cum de duratione periodi facile conftet ex terminis ejus *a quo* et ad *quem*, ut dicitur. *Initium* enim Judae Maccabaei convenit ann. AEr. Sel. 146, cui refpondet, ut ex comparatione aerarum, a Doctis inftituta, liquet, ann. Per. Jul. 4548, U. C. 587. AEra autem Vulg. Chrifti nati, quae terminum ad *quem* conftituit, incipit ann. Per. Jul. 4714, U. C. 754. Interfunt itaque anni 166, quot duravit periodus: quibus fi demantur anni *tres*, quot antecedit vera epocha Nati Chrifti, ut poftea patebit, erunt anni 163.

§. DXXIII. Colligamus nunc omnium periodorum annos, fecundum fupra demonftrata, ut fumma annorum a Mundo condito ad AEram Chrifti in lucem prodeat.


1. Prima periodus a M. C. ad Diluvium habet ann. - - - - - - - - - - - -	1656
2. Secunda inde ad exitum Abrahae - - - -	367
3. Tertia ad egreffum Ifraelis ex AEgypto - -	430
4. Quarta ad Templum Salomonis - - - - - -	648
5. Quinta ad illud deftructum - - - - - - -	412
6. Sexta inde ad Judam Maccab. - - - - - -	420
7. Septima ad aeram Vulg. Chrift. - - - - -	166
Summ.	4099



PERIODUS

PERIODUS OCTAVA.

A MORTE HERODIS AD REIP. JUD. EXCIDIUM; SEU ANN. AER. VULG. 70mum.

§. DXXIV.  Istoriam Ecclesiae Christianae antequam adgrediar, Judaicae, usque ad finem ejus, pertexere visum est, eo magis, quod Ecclesia Christi, ab eo quidem fundata, et ab Apostolis erecta, non nisi post Judaicam repudiatam a Deo, et abolitam, ab ea separata inceperit. Periodum autem, de qua agimus, adpellare licet *octavam*, septimae quidem adpendicem, attamen vero suo conspectu ab ea diversam, quippe Reip. subjectae Romanis, et provinciae Romanae formam praeferentis, donec a Romanis fuerit penitus exstirpata. Periodus itaque *duos* ultimos constituit *sceptri* et *legislatoris*, inter Judaecs ablati, gradus; qua durante, Regnum Siluntis, seu Messiae, jam fuit inter Judaeos et Gentes erectum; secundum vaticinium Jacobi de Juda Gen. XLIX: 10. ut in Diss. VI*ta* ad Gen. exposui. Tres enim gradus ejus ablationis, seu intervalla, statui possunt; quorum *primum* est subactae Hierosolymae a Pompejo, et instauratae speciei libertatis sub Herode M.,

uſque ad relegatum Archelaum; quo durante manſit quidem *coactiva* poteſtas, et αὐτονομία apud Judaeos, ſed de libertate civili, ac αὐτοτέλεια, multum eſt delibatum, militari poteſtate initio fere deleta, ſed poſtea ſub Herode ex parte revocata: quod intervallum fuit praeparatorium magis et praenuncium, quam vera ablatio ſceptri: *ſecundum* eſt judicialis ac militaris poteſtatis magis quam antea inminutae, et ex parte abolitae, Judaea in formam provinciae redacta, ſalva tamen adhuc legum propriarum, et religionis, autoritate, imo parte poteſtatis judicialis relicta; adeo ut ne tunc quidem ſceptrum dici poſſit penitus abolitum, maxime cum novum vigorem ſpecie tenus receperit ſub Herode Agrippa; *tertium* denique eſt omnis libertatis et poteſtatis abolitio totalis et perpetua per Romanos. Quae, l. cit. latius deducta, hic repetiiſſe ſuffecerit, ad periodi conſpectum, et vaticinii citati inplementum, intelligendum. Diſpeſci vero periodus recte poteſt in duo intervalla, quorum *unum* eſt reip. adhuc ſtantis, uſque ad ann. aer. Vulg. 66*tum*, alterum et poſterius ejus prolapſae, donec deſtructa ſit, inde ad ann. 70*mum*.

§. DXXV. In *prioris* hiſtoria *ſtatum* reip. et Eccleſiae, ejuſque *qualitates*, pro more enarrabo, et illuſtrabo. Forma regiminis, ſtatum politicum conſtituens, ter vel quater variavit. Habuerunt Judaei in principio regem, vel Ethnarcham, in Archelao, dein in provinciae formam redacti procuratores Romanorum, dein regem rurſus in Aprippa Majore, denique poſt illum rurſus procuratores nomine populi Romani. Herodes M., cujus genealogiam in tabella contexuit omnium optime Cl. Relandus in Palaeſt., qui videndus eſt, moriens tres reliquit filios, quorum ratio hic eſt habenda, Archelaum, Antipam, et Philippum, inter quos regnum teſtamento ita diviſit, ut Archelaus, titulo regis, teneret Judaeam, Samariam et Idumaeam, Herodes Antipas, nomine Tetrarchae, Galilaeam et Peraeam, denique Philippus, eodem titulo, Gaulonitidem, Trachonitidem, Bata-

naeam et Paneada. *Archelaus* vero, Matt. II. quoque memoratus, ut ejus regni fata primum exponam, cum ſeſe mox poſt mortem patris regem praeſtaret, nomine licet regio abſtinens, antequam Teſtamentum Patris eſſet ab Auguſto, ut debebat, confirmatum, apud eum accuſatus rapti regni, urgente quoque Antipa cum ſociis, qui Teſtamentum Patris infringere conatus eſt, inpetravit quidem Nicolai Damaſceni defenſione, et humili ſua ſubjectione, eas regiones, ſed mutato titulo Regis in Ethnarchae; adeo ut tanquam Ethnarcha ditiones ſuas adminiſtraverit per 10 annos, Joſ. Ant. XVII., vel 9 ſecundum eundem de B. Jud. l. II. ſcilicet, forte a tempore confirmati teſtamenti, vel *novem* annos completos: quando malae gubernationis reus a Judaeis factus coram Auguſto, depoſitus, et Viennam in exilium relegatus eſt; cujus rei etiam meminit Dion. Caſſ. l. LV. ann. *6to* AEr. Vulg. Fuit Ethnarchatus ejus valde turbulentus, per multiplices ſeditiones, et tyrannicam ejus gubernationem. Statim ac Patrem honorifica, quin magnifica, adfeciſſet ſepultura, multi eodem die, tumultuoſe vindictam poſtulantes caedis illorum, qui aquilam auream, vivo Herode, abſtulerant, nec poſtulata conſecuti, magnos concitarunt motus, eo magis metuendos, quod feſtum paſchatis inſtaret: quibus non ſine multa caede aliquatenus ſedatis, Archelaus Romam ad Auguſtum, ut regni confirmationem acquireret, ſe contulit, ſed, dum ibi eſſet, novi exorti ſunt tumultus Hieroſolymae, a Varo, Praeſide Syriae, quidem brevi compoſiti, ſed per Sabinum, Procuratorem Syriae, ibi cum legione Romana, ad urbem in ordine continendam, relictum, vehementius reſuſcitati ſunt, dum in Herodis theſauros manus injicere conaretur, et eos Templi ſpoliaret: unde bellum aliquod inteſtinum fuit Hieroſolymae ortum, nec caedi parcitum, donec Varus, Hieroſolymam veniens, finem inpoſuerit, civibus condonans, et peregrinos, qui feſto Pentecoſtes eo venerant, et tumultus autores fuerant, ſevere puniens. Exſtiterunt et aliae turbae multae

in Judaea et confiniis ejus, aut lucri cupiditate, aut odio in Judaeos, aut ambitione regnandi concitatae, quae multa pepererunt mala; et Judaea plena erat latrociniis, Jos. Ant. l. XVII: 10. et de B. Jud. l. II: 4. qui, praeter alios, ut Simonem, Herodis antea servum, Athrongem, Opilionem, sed gigantem quasi, qui diadema sibi sumserunt, quos mitto, memorat aliquem *Judam*, Ezechiae, latronum praefecti, ab Herode oppressi, filium, qui apud Sepphorim, Galilaeae oppidum, in tribu Zabulonis, postea Diocesareae nomine notum, coacta nebulonum turma, arma et pecuniam urbis diripuit, ac inter suos distribuit, terroremque ubique circumtulit, et regnum ambivit: cujus mentionem feci, quod forte haberi possit, cum Usserio, pro Theuda illo Act. V: 36. cum nomina יהודה et תהודה non adeo differant, Juda quoque, unus Apostolorum; cognominetur *Taddaeus*, vel facile permutari potuerint, et tempora bene conveniant, praemittitur enim Judae Galilaeo, tempore descriptionis, post Archelaum relegatum, seditioso viro.

§. DXXVI. Archelao relegato, Judaea provinciae Romanae formam accepit, Syriae accensita, et per *Procuratores* Romanos, nomine Romanorum, administrata. Qui Procuratores, ut illud ante omnia observem, non fuerunt ita stricte dicti, qui *rationales* adpellabantur, et tributis colligendis, rebusque fisci Caesaris tantum praeerant, uti nonnullis visum est, sed in Judaea simul *vice-praesidum*, qui judicia quoque exercebant, sicut Pilatus in causa Christi fecit, de quo ex Jos. Ant. XVIII: 1. et B. Jud. II: 8. clare satis constat. Vid. Goesii *Pilatus Judex*, Salmasius de Procuratoribus quoque Praesidibus, ad Spartian. in Hadriano cap. 13. et Bynckershoekius in Observ. Juris Romani, ne alios citem. Primus Procurator fuit *Coponius*, vir equestris ordinis, qui cum Quirino, vel Cyrenio, Syriae Praeside, in Judaeam venit, et censum bonorum, ad tributum Judaeis inponendum, instituit, in signum Provinciae nunc factae: cujus mentio etiam exstat Act. V: 37. Qua occasione orti

sunt

sunt Gaulonitae, vel Galilaei, homines factiosi, et latrones, sub nomine Zelotarum, et specie libertatis, ac nobilitatis, gentis Judaeorum, a solo Deo dependentis, et ei tributa tantum debentis, non gentilibus, tuendae ac vindicandae; ita adpellati a Juda Gaulonita, vel Galilaeo, Act. V. etiam memorato, duce eorum una cum Zaduco Pharisaeo, eo etiam majore cum successu, quod fama de Messia, jam praesente, vel mox futuro, jam percrebuerat per Magos Matt. II. et a Pharisaeis uxori Pherorae factum vaticinium, sub finem vitae Herodis; ut supra in historia ejus narravi. Innumera latrocinia, rapinae et caedes ab hac factione patratae sunt Jos. Ant. XVIII. Durarunt haec principia, sublato etiam Juda, et populum infecerunt, multorumque motuum causae fuerunt, per sequentia tempora, donec in excidium reip. exierint; ut Jos. ibid. non neglexit observare.

§. DXXVII. Successit ipsi, post triennium praefecturae, *Marcus Ambivius*, etiam per 3 ann., quem excepit *Annius Rufus*, quando Augustus fuit mortuus, et Rufo, post 2 ann., suffectus a Tiberio *Valerius Gratus*, *quartus* Procurator, et non, ut nonnulli opinati sunt, *quintus*, decepti accentu, male posito apud Jos., ubi πέμπτος *quintus* legitur pro πεμπτὸς *missus*, sicut jam observavit Casaub. ad Baron., qui diutius praefuit, ann. scilicet 11., et praefecturam in primis nobilitavit per Pontifices, quovis fere anno mutatos, qui fuerunt, Anna deposito, Ismael, Eleazar, filius Annae, Simon, et Josephus, etiam Cajaphas adpellatus, gener Annae. Jos. ibid. Eum excepit, a Tiberio quoque missus, *Pontius Pilatus*, per ann. 8, ex historia quoque Euangelica notissimus, cujusque pessimam indolem, moresque pravos, et saevos, vivis coloribus depinxit Agrippa apud Philonem, legat. ad Cajum. Judaeos odio habens, se etiam odiosum iis fecit suis gestis, ita ut varii tumultus, a seditione parum remoti, fuerint exorti. Duo talia facinora memoravit Jos. Ant. XVIII. et B. J. II. unum, quo clam noctu vexilla Roma-

na, idolis picta, Hieroſolymam introduxit, et de die explicari juſſit a militibus; ſed a Judaeis, vehementer propterea commotis, ſe exorari ſivit, et ea abſtulit: *alterum*, quo theſauros Templi invaſit, obtentu aquaeductus ducendi per urbem, populumque, querelas ad eum propterea deferentem, duriter tractavit. Additur *tertium* ejus facinus apud Phil. l. c., tacente Joſ., quo *ſcuta* Tiberio conſecrata, licet imaginibus deſtituta, in palatio Hieroſolym. ſuſpendit, De quo certior factus Tiberius juſſit, ut alium in locum transferret. Denique cum in Samaritanos, ingente numero ad montem Garizim, ab aliquo deceptore incitatos, confluentes, ut vaſa ſacra, a Moſe ibi occultata, reperirent, quoque ſaevire inciperet, a Vitellio, Praeſide Syriae, hac de re admonito, juſſus eſt Romam petere, rationes gubernationis Caeſari daturus, ſed de ſorte ſua male ominatus, iter ad Tiberii mortem uſque protraxit, dein in tantas incidiſſe traditur ab Euſ. H. E. l. II. calamitates, ut ſibi ipſi mortem conſciveri t; addunt alii, ſed ſerioris aevi, illud Viennae in exilio, quo relegatus fuiſſet a Cajo, contigiſſe: ſed, cum Origenes de hac ejus nece nihil reſciverit, ut ex lib. II. contra Celſum liquet, ubi Celſo objicienti, Pilatum non fuiſſe a Deo punitum, nihil aliud reſpondet, ac facinus in Chriſtum Judaeis magis quam Pilato eſſe tribuendum, nulla tragicae mortis facta mentione, illud forte pro minus certo habendum foret, niſi Euſeb. illud a ſcriptoribus eſſe proditum addidiſſet, qui Olympiad. et Annales conſcripſerunt.

§. DXXVIII. Longe incertius eſt, quod de *actis* Pilati, ad Tiberium miſſis, traditur, quibus Chriſtus valde laudatur, et Pilatus, ejus condemnationem ſibi a Judaeis, metu ſeditionis eſſe extortam, declarat, ut ſeſe apud Caeſarem excuſaret. Additur, Tiberium, hac relatione accepta, Chriſtum voluiſſe a Senatu inter Deos referri, ſed recuſaſſe Senatum. Provocatur ad Juſt. Mart. Apol. I. cap. 45. Tertull. Apol. c. 5, 21. Euſeb. H. E. l. II. Exſtant quoque litterae Pilati ad Tiberium apud Fabricium Cod. Apocr.

N. T.

N. T. t. I. Docti circa genuinitatem hujus relationis in partes scinduntur, et disputari de eo potest in utramque partem. Equidem relationem de judicio mortis in Christum lato, et executioni mandato, sicut a Praesidibus Provinciarum fieri in rebus gravioribus solebat, fuisse ad Tiberium missam, non negaverim, cum Tertullianus illud tradid : Just. Mart. vero num Apol. I. c. 45. meminerit, dubium magis est, cum alter locus c. 63. ei non faveat, nisi ibi legatur ἄκτων, quod vult Casaubonus ad Baron., sed videtur pericopa de actis Pilati Justino c. 45. ab alia manu intrusa, et spuria; ut vel ex eo patere videtur, quod in illis actis expresse memoretur *divisio vestium Christi per sortem*, quod nimis leve est, quam ut illud a Pilato fuisset actis ad Caesarem insertum. Ipsa relatio, qualis exhibetur, nescio num se tueri possit, et pro ficta non sit habenda, quod contendit T. Faber l. I. cap. 12. quem alii secuti sunt. Utique 1. Pilatus, Christum tantopere laudando, sese nimis suspectum reddidisset apud Caesarem, nec opus ejusmodi laudatione habuisset ad se excusandum, 2. addidisset profecto rationem, quare Christum damnaverit; quia sese *regem Judaeorum*, et Filium Dei, professus fuerat, sicut titulus in cruce praetulit. 3. Nimis paradoxum est, Tiberium Christum voluisse a senatu inter Deos referri, cum tale quid minus curare soleret, et Judaeos odio haberet, teste Suet. in Tiberio c. 36. Christianorum praeterea nomen parum adhuc notum esset Romae, cum Christus crucifixus est, sub finem Tiberii, denique Senatum, si vere id voluisset, ausum fuisse illud rejicere, etiam Christianos urbe expellendos decernere.

§. DXXIX. Reliqui duo, post Pilatum, *Marcellus* amicus Vitellii, Syriae Praesidis, ab eo in Judaeam missus, et *Marullus*, ejus successor, a Cajo suffectus Jos. Ant. XVIII. nihil habent nostra adtentione dignum, nisi quod sub Marullo Cajus statuam suam jusserit a Petronio, Syriae Praeside, Hierosolymam in Templum deferri. Qui casus memorabilior

lior eſt, quam ut praetermitti debeat: quare brevem ejus dabo notitiam ex Joſ. Ant. l. XVIII., ſed praecipue Philone leg. ad Cajum, qui adcuratior eſt, et tanquam teſtis oculatus majore fide dignus. Gentiles, qui Jamniam irrepſerant, cum, ut Cajo gratificarentur, et Judaeis aegre facerent, aram, e luto in lateres formato, erexiſſent, eamque Judaei deſtruxiſſent, Cajus, hoc audito, in mandatis dedit Petronio, Syriae Praeſidi, ut ejus loco *coloſſum* inauratum in ipſo Templo Hieroſolymis in honorem Caji,. tanquam Dei, collocaret. Quod mandatum cum exſequeretur Petronius, omnibus paratis, a Judaeis, de eo certioribus factis et vehementer adflictis, tandem exoratus, etiam ſeditionem metuens, moras incepit nectere. Interea legatio Alexandrinorum, et Judaeorum et Gentilium, quorum patroni erant, illorum Philo Judaeus, horum Apion, ſeditionis cauſa Romam venerat; Judaeis male exceptis, Apion Cajum multis calumniis, ad opus inceptum perficiendum, incitavit. Agrippa Major, qui tunc ibi aderat, valde perturbatus, a Cajo, in cujus flagrante gratia erat, et pro Rege Judaeorum jam ab eo declaratus, multis rationibus ac precibus tandem inpetrare viſus eſt, ut in ejus gratiam declaraverit, ſe rem omiſſurum eſſe. Verum mox, mutato conſilio, Petronio, quia rem non perfecerat, ſeſe iratum exhibuit, et Romae juſſit novum coloſſum aereum inauratum formari, quem, cum Alexandriam tenderet, ipſe clam et ſubito in Templum Hieroſolym. introducere conſtituit. Sed morte praeventus nihil efficere potuit. Contigit hic caſus ann. aer. v. 40.

§. DXXX. Incepit ab hoc tempore nova forma regiminis in Judaea, ſub Agrippa Majore, rege facto, et laetior adfulſit Judaeis fortuna. De quo antequam agam, reliquorum praefectorum Cananaeae, Herodis Antipae in primis, et Philippi, Luc. III: 1. etiam expreſſe memoratorum, aliqua tradenda eſt notitia, cum ad hoc tempus uſque fuerint Tetrarchae, dein praefectura eorum ceſſerit Agrippae.

Herodes

Herodes Antipas, filius Herodis M., Tetrarcha Galilaeae et Peraeae, Teſtamento Patris factus, ut ſupra memoravi, infelicem ſuam fortunam non tam pravae indoli, quam conjugio cum Herodiade, ejuſque inſtigationi, acceptam tulit: unde et crimina ejus, et mala quae ipſi evenerunt, orta ſunt. Priori uxori, Aretae Arabum regis filiae, cum renunciaſſet, ducta contra legem Herodiade, fratris Philippi uxore, bello mox ab Areta petitus, et gravi clade adfectus eſt, nec niſi a Syriae Praeſide, juſſu Tiberii, poſt quatuor annorum bellum, ab eo liberatus eſt, Joſ. Ant. l. XVIII. Dein Johanni Baptiſtae, quem alias reverebatur, iratus, quod conjugium illud damnaverat, eum in carcerem conjecit, et dein, in gratiam Herodiadis, caput ei amputavit, uti in hiſtoria euangelica, Matt. XIV. et Marc. VI. et apud Joſ. Ant. l. XVIII: 5. narratur. Eſt quidem aliqua inter Joſ. et Euangeliſtas diſcrepantia, ſed cui forte occurri poteſt. 1. Joſ. tradit, cauſam incarcerationis et caedis ejus fuiſſe metum Herodis, ne populus, a Johannis, viri juſti et aeſtimati, ore pendens, a ſe deficeret; quod non tantum non repugnat narrationi Euangel., ſed et ex ea confirmatur: tantum Euangeliſtae originem primam, unde et metus Herodis, et odium Herodiadis, originem traxit, aperiunt, in conjugio cum Herodiade, a Johanne reprehenſo, ſitam: hinc enim metus naſcebatur Herodis, ne populus, de eo etiam per Johannem perſuaſus, eum propterea ſperneret: ſola enim Johannis virtus, et adhortatio populi ad pietatem et virtutem, eum metum non poterat parere, ſed quod Joh., virtutis et juſtitiae praeco, in Herodis illud conjugium ſimul inſurgeret; quo animi civium ab eo alienari poſſent. Supplendus itaque eſt Joſ. ex Euangeliſtis, non cum iis committendus, eo minus, quod Marc. VI: 20. ſimile quid tradatur, relate ſaltem ad incarcerationem Johannis, modo verba recte capiantur: *Herodes enim*, inquit Marcus, *metuebat Johannem*, *ſciens eum eſſe virum juſtum ac ſanctum*, *et cuſtodiebat* eum, ſc. in carcere (metue-

bat itaque, ne Johannes, justitia sua gratus populo, et ejus rigidus praeco, sibi noceret, et populum a se abalienaret, uti Jos. refert, quod ex seq. verbis clarius adhuc elucescit) *ipsumque* (concionantem scilicet,) *audiens multum haesitabat* (anxius scilicet et solicitus de populi defectione, ut Jos. habet: adoptanda enim omnino est lectio aliorum Codicum, quae pro *ἐποίει fecit* habet *ἠπόρει anxius* haesitabat,) *et lubens eum audiebat*, (scilicet, praeter hanc solicitudinem illum libenter audivisset; nisi forte ad populum illud sit referendum, ut sensus sit: ipsum libenter ab unoquoque fuisse auditum; uti Matt. XIV: 5. adeoque *ἤκουε* sit pro *ἤκουεν*, vel potius pro *πᾶς ἤκουε omnis audiebat*, Jos. etiam diserte dicit, multos ad Johannem confluxisse, sermonibus ejus *elatos*, vel, ut Eus. habet, *delectatos* mirifice, pro *ἠρθῆσαν* legens *ἥσθησαν*.) 2. *Altera discrepantia, in loco* carceris et caedis Machaerunte, Aretae subjecto, sita, tanti non est, cum locus non memoretur ab Euangelistis, et Jos. in eo errare potuerit; nisi quis velit castellum Machaeruntem, quo Johannem fuisse missum narrat, antea quidem in potestate Aretae fuisse, sed nunc non amplius. Fuit enim, teste Josepho, Ant. XVIII: 5. in confiniis ditionis Herodis et Aretae, et *tunc*, cum filia Aretae eo venit, in Aretae dicitur tantum potestate fuisse.

§. DXXXI. In Jesum Christum, licet in Galilaea potissimum concionantem, nihil legitur ab ipso tentatum; contra, Johannem, quem occiderat, in ipso revixisse, ex miraculosis ejus operibus conjecerat, Matt. XIV. et a longo eum desiderasse Christum videre, refert Luc. c. XXIII. 8. ut aliquod signum ab ipso editum oculis usurparet; quod cum non contingeret, cum Christus ad eum fuit a Pilato adductus, eum sprevit, et contemtui exposuit, absque ut crimen morte dignum in eo deprehenderit. Quod et ideo notatu dignum est, quia inde liquet, Christo a Pharisaeis calumniose, et falso, fuisse dictum, Herodem ipsius vitae insidiari Luc. XIII: 32. Finxerunt illud Pharisaei, ut Chris-

tum

tum e Galilaea Hierosolymam elicerent, ubi eum ab hostibus ad necem quaeri, et morti tradendum, noverant. Quod observatum eo majoris est momenti, quia inde elucescit, Dominum nostrum Herodem non directe in oculis habuisse, ubi regerit, *dicite vulpi huic* etc. acsi eum hoc ignominioso titulo insigniisset, ut accipi solet, et quo multi saepe abutuntur, sed Pharisaeos ipsos, qui Herodi, hoc inputando, *vulpinam* astutiam tribuebant, quam ipsi, hoc fingendo, praestabant. Denique sicut inpia uxor eum ad scelestum facinus in Johannem incitaverat, quo sese ultione divina dignum fecerat, ipsis Judaeis apud Jos. l. c. fatentibus, ita ruinae ejus causam quoque praebuit vel occasionem, eum excitando, ut regis nomen a Cajo peteret, ne Agrippa, eo titulo ornato, esset inferior. Hinc enim ortum est, quod, Agrippa eum conspirationis accusante, fuerit a Cajo relegatus Lugdunum in Gallias, una cum Herodiade, ejusque tetrarchia Agrippae data. Praefuit ann. 42., nummis quoque testantibus, Vid. Cellar. Diss. Acad. IX.

§. DXXXII. Tertius Herodis filius, Antipae frater, *Philippus*, Trachonitidi, Gaulonitidi et Batanaeae praefectus, vir egregius, justitiae et pacis studiosus, et erga subditos moderatus, otio transegit regni tempus; mortuus ann. Tiberii 20*mo*, cum 37 praefuisset Jos. Ant. XVIII: 4. probe distinguendus a Philippo, cujus uxorem Herodiadem sibi sumserat Antipas. Philippus enim noster sine liberis, non tantum filiis, sed et filiabus, decessit, teste Jos. l. c. et c. 5. fin. et Herodias ex priore marito filiam habuit, quae saltando Antipae placuit, et cujus petitioni Johannis caput datum est. Fuit autem prior ejus maritus Philippus, *Herodes* quoque denominatus Jos. l. c. Imo Philippus, de quo agimus, Salomen, Herodiadis ex priore marito filiam, habuit uxorem Jos. l. c. Ceterum ditio ejus primum fuit Syriae accensita, dein Agrippae quoque data: qui in totum Herodis M. regnum tunc successit.

§. DXXXIII. *Herodes Agrippa*, filius Aristobuli, filii He-

rodis M. ex Mariamne, una cum Alexandro fratre occiſi ab Herode, uti ſupra narratum eſt in vita Herodis, adeoque e ſtirpe Aſſamonaeorum per matrem, poſt varios ſiniſtros caſus, et calamitates, ſummum dignitatis gradum conſcendit favore Caji et Claudii, Caeſarum Romanorum. Romae educatus cum Druſo, filio Tiberii, gratum ſeſe aulicis praeſtitit; ſed, eo occiſo, ſpretus a Tiberio, et ad extrema redactus, in Judaeam ſeſe recepit, ſed, variis ibi ſubitis caſibus, a Joſ. narratis Ant. XVIII., rediit Romam, bonaque, quae ope amicorum collegerat, ibi, aulae gratiam aucupatus, dilapidavit, donec a Tiberio fuerit Cajo Caligulae, ipſi ſucceſſuro, commendatus, ſed mox in carcerem conjectus, quod Cajo nimis adhaereſceret, Tiberio neglecto: unde, Tiberio mortuo, a Cajo, in cujus florente erat gratia, Caeſare facto, eductus, et Antipae ac Philippi tetrarchatu, hujus an. 37, illius a. 40 aer. Vulg., duplice donatus eſt, cum titulo Regis. Manſit adhuc aliquandiu Romae, et cauſam populi Judaei apud Cajum, quo tempore ſtatuam ſuam Hieroſolymae in Templo ponere conatus eſt, ſtrenue egit, ut ſupra retuli: donec, Cajo mortuo, a Claudio, ejus ſucceſſore, in univerſum Herodis M. regnum fuerit reſtitutus, et amicus Caeſaris declaratus. Praeſtitit ſeſe in Regno gentis et religionis ſtudioſiſſimum, ſimul liberalem et magnificum, Hieroſolymae quoque amplificandae, ornandae, ac muniendae, ſtrenue incubuit, adjecta etiam nova civitate a ſeptentrione, quae *Bezetha* h. e. בית-חדתא *καινὴ πόλις nova urbs* appellata eſt; unde, quod notari meretur, urbs fere *quadrangularis* facta eſt; quo apud Ezech. et in Apoc. adluditur, ambituſque ejus tunc fuit 33 ſtadiorum, teſte Joſ. B. Jud. VI: 6. Praeterea, urbis ſecuritati hac parte conſulens, per totum tractum Septentrionalem *muro valido novi operis, per artem obliqui, et introrſum ſinuati, ut latera oppugnantium ad ictus pateſcerent*, ut inquit Tac. Hiſt. l. V., munire inſtituit. Quod ſi perfeciſſet, urbs cenſita fuit inexpugnabilis; ſed inpeditus eſt

a Vibio

a Vibio Marſo, Syriae praeſide, et ſucceſſore Petronii; inter quem et Agrippam alia quoque, ipſi moleſta, acciderunt, Joſ. Ant. XIX. et de B. Jud. V. Gratiam populi ſummopere captavit, eo etiam uſque, ut Jacobum Apoſtolum gladio puniverit, et Petrum in carcerem conjecerit, Act. XII. de quo poſtea ſuo loco; nactus etiam eſt inauditum populi adplauſum, adeo ut ipſi, Caeſareae Orationem habenti, fuerit adclamatum, *Dei* non *hominis* eſſe vocem: quando ſplendidus hicce Sol, ut Joel. III. praedictum fuit, brevi occidit. Judicio enim Divino plaga miſerrima percuſſus miſere periit. Teſtatur quoque, praeter Lucam Act. XII., de tragica hac morte Joſ. Ant. XIX: 8. ubi, eum ingentibus ventris cruciatibus per quinque dies adflictum obiiſſe, tradit; nec adulatorias populi voces, Act. XII. memoratas, nec ab ipſo refuſas, ſilentio involvit. Regnavit ſub Claudio ann. 3 completos, ſub Cajo autem 4; in univerſum itaque ann. 7, ut ib. tradit Joſ. l. c.

§. DXXXIV. Mortuo Agrippa, forma regiminis denuo mutata eſt, Judaea in formam provinciae rurſus redacta. Reliquerat quidem Agrippa, praeter filias, uti Berenicen, Herodi Chalcidis, patruo ejus, nuptam, Druſillam, Felici procuratori dein nuptam, cujus mentio eſt in Act. Apoſt. Mariamnem, et alias, filium cognominem, 17 tantum ann. natum, ſed Patri non ſucceſſit, diſſuadentibus aulicis, praetextu aetatis, licet Claudius ei faveret. Tradita itaque Judaea eſt Equitibus Romanis, ac Claudii libertis, teſte Tacit. Hiſt. V. et ab eo tempore reſp. valde coepit turbari, ac ad interitum vergere. Primus Procurator fuit *Cuſpius Fadus* per 2 annos. Mandatum ei Caeſar dederat de Caeſaraeenſibus et Sebaſtenis, qui memoriam Agrippae acerbiſſime ac foediſſime, verbis et factis, contra bene etiam ejus, ac Herodis M., de ipſis merita, laceraverant, puniendis, alam vero Caeſaraeenſium et Sebaſtenorum, ac quinque cohortes, in Pontum tranſportari juſſit, ſed legatione eorum exoratus in Judaea eos manere permiſit, Joſ. Ant. XIX: 9.

unde initium irarum inter Judaeos et Gentiles repetit Joſ. ibid. Acceſſit deinde, Fadum Judaeos, Peraeam inhabitantes, ſeditione inter eos et Gentiles Philadelphiae, quae eſt antiqua Ammonitarum metropolis Rabba, orta, reprehendiſſe, et in exilium relegaſſe autores ſeditionis ex Judaeis, uno eorum morte punito, Joſ. Ant. XX: 1. Praeclarum ejus facinus memoriae proditum eſt, quod Tholomaeum, latronum principem, qui multa mala Idumaeis et Arabibus intulerat, ſupplicio adfecerit, ejuſque cura, ut ibid. tradit Joſ., Judaea fuerit latrociniis exinde purgata. Theudam quoque, pſeudo-prophetam, qui multos poſt ſe traxit, miraculoſo per Jordanem tranſitu promiſſo, inſtar ſigni Divini, cepit et morte punivit: qui probe eſt a Theuda Act. V. diſtinguendus. Commodi etiam illud ejus tempore accidit Judaeis, quod ſtolam Pontificiam, quae antea in Romanorum fuerat poteſtate, in arce Antonia repoſita, ſed a Gabinio, Praeſide Syriae, Judaeis reddita, nunc vero a Caſſio Longino, Vibii Marſi ſucceſſore, Praeſide Syriae, reclamabatur, retinuerint juſſu Claudii, per interceſſionem Agrippae Junioris. Inpetravit quoque Herodes, princeps tunc Chalcidis, frater Agrippae Majoris, poteſtatem theſauros Templi tuendi, ac Pontifices creandi, Joſ. l. c. Tantum corripuit Judaeos ingens fames ſub hoc Procuratore, ann. Claudii 4*to*, aer. Vulg. 44. ab Agabo Act. XI. praedicta, ut ex Chron. Euſeb., et morte Agrippae cum ea conjuncta Act. XII. liquet, quae ſub ſucceſſore Fadi Tiberio continuavit, quando iis ſuccurrit Helena ann. aer. V. 45. de qua mox.

§. DXXXV. Succeſſit ipſi *Tiberius Alexander*, Philonis Judaei ex fratre nepos, Alexandri Alabarchae, de quo poſtea, filius, religionis patriae deſertor: qui duos filios, Jacobum et Simonem, Judae iſtius Galilaei, de quo ſupra dixi, ſeditioſos Zelotas, cruci adfixit Joſ. Ant. XX: 5. Sub ipſo quoque Hieroſolymam venit Helena, mater Izatis, Adiabenorum regis, Judaeorum religione una cum ipſo, et fra-

tre

tre Monobazo, ac consanguineis, adoptata, et tempore famis adhuc grassantis Judaeos liberaliter sublevavit; simul urbem et religionem varie ornavit. Quae conversio incidit in tempora Caji Caesaris, estque animadversione digna. Vid. Jos. Ant. XX. et B. Jud. l. V. et ex eo Eus. Hist. E. l. II. Izates, Tacito adpellatus Juliates, Adiabenorum Rex, religionem Judaicam edoctus fuit ab Anania quodam, et mater Helena per Eleazarum magis est incitata ad publicam professionem; primus se circumcidi passus est Izates, quem frater Monobazus mox secutus est. Hierosolymam vero venerunt, ut θυσίας χαριστηρίους *votivas* offerrent victimas; quo tempore fames grassabatur: ut dixi. Praeterea eximiis Templum ornarunt donariis; condidit quoque magnificum Mausoleum Helena, in quo cum Izate fuit sepulta, cujus etiam meminit Pausanias in Arcad. tanquam mirabili opere fabricati. Eus. l. c. adpellat στήλας seu cippos sepulchrales, Jos. vero μνημεῖα, addens, fuisse apud turrim Psephinam ad septentrionem urbis. Denique splendidum Helenae palatium memorat Hierosolymis, et aulam regiam a Grapte, consanguinea Izatis, aedificatam, de B. Jud. l. IV: 9.

§. DXXXVI. Post hunc procuratorem res Judaeorum magis magisque perturbari, et ad bellum cum Romanis spectare, coeperunt. Sub *Ventidio Cumano*, successore Tiberii, duo tumultus exorti sunt, qui haud levem adtulerunt calamitatem Judaeis, eosque ad defectionem a Romanis excitare coeperunt. *Prior* Hierosolymis originem habuit a militis Romani obscoeno facinore, quo pudenda sua coram Templo palam ostentavit in ludibrium Judaeorum: quo irritati Judaei, qui tempore Paschatis ingente ibi aderant numero, querelas ad Cumanum detulerunt, dein, cum iis non satisfieret, in tumultum concitati sunt; cujus exitus fuit ipsis fatalis. Cunctis enim militibus a Cumano productis in medium, Judaei tanta cum confusione in fugam sunt conjecti, ut plusquam 10 millia fuerint, mutua compressione, e medio sublata, propter angustos viarum exitus,

Jos. Ant. XX. *Posterioris* tumultus occasionem, et causam, praebuit caedes Galilaeorum, Hierosolymam religionis causa tendentium, a Samaritanis facta: unde ortum est, quod, cum Judaei armis sumtis, et duce Eleazaro aliquo, famoso latrone, accepto, vicos aliquos Samaritanorum diripuissent vel incendissent, et a Cumano propterea invasi essent, aliis occisis, aliis captis, ipse, cum Judaeorum ac Samaritanorum legatis, fuerit a Quadrato, Syriae Praeside, ad Caesarem ablegatus, cujus sententia Samaritani condemnati fuerunt ad mortem, Cumanus in exilium missus. Quo multum contribuit Agrippa Junior, tunc Romae degens, per Agrippinam, Inperatoris uxorem. Sed ab hoc tempore omnia latrociniis fuisse repleta, ac Judaeos defectionem a Romanis molitos tradit Jos. Ant. XX. et de B. J. II.

§. DXXXVII. Successit ipsi, cum 4 ann. praefuisset, *Claudius*, vel, ut Tacitus, *Antonius Felix*, frater Pallantis, liberti Claudii; cui dein nupsit Drusilla, filia Agrippae majoris, priore marito Azizo, Emesenorum rege, deserto, cujus utriusque mentio exstat in historia Pauli Act. XXIV. Egit autem procuratorem avarum et crudelem; sub ipso grassata est terribilis Cananaeae infestatio per latrones, et sicarios, praeter Magos et Pseudo-prophetas, quorum insignis fuit AEgyptius quidam, qui ingentem hominum multitudinem, per speciosa, et vana, promissa liberationis a servitute, post se traxit, verum brevi per Romanos disturbatus est, 400 occisis, et 200 captis, AEgyptio elapso et evanescente, Jos. Ant. XX. et B. J. II. Act. XXI. 38. *Sicarii*, ita adpellati a σικαις *sicis*, seu ensiculis parvis incurvis, quales *acinaces* erant Persarum, quas sub sinubus gestabant, turbae hominum, sive in Templo, sive foris, sive per agros, sese inmiscentes, quosvis promiscue, et inproviso, trucidabant, ut tradit Jos. XX: 8. Inter eos, qui ab iis occisi sunt, fuit ipse Jonathas Pontifex, qui Felicem ob commissa libere nimis objurgaverat, et in ejus odium propterea inciderat, adeo ut ad ejus instigationem a Sicariis fuerit obtruncatus.

truncatus. Quo scelere propterea a Felice inpunito dimisso, crevit sicariorum audacia non tantum, sed et a primoribus Judaeorum subinde conducti sunt, ad eos necandos, quos e medio volebant sublatos Jos. l. c. qui addit, nonnullos in ipso Templo fuisse occisos, et propterea Deum fuisse populum aversatum, cum Templum non amplius manserit purum, et populum in manus Romanorum dedisse. Qua ratione Templum *spelunca latronum*, ut dixit Christus, esse eximie coepit. Exarsit praeterea inter Judaeos et Gentiles Caesaraeae tumultus, dum, essetne Caesaraea Judaeorum an Gentilium urbs, secum acriter contenderent. Quod bellum cum Felix, puniendo seditiosos, frustra esset conatus finire, legati ab utraque parte Romam ad Neronem missi sunt: sed, licet Felix fuerit revocatus, secundum Gentiles, opera Pallantis, fratris Neronis, et Burrhi, magistri Neronis, et ei e Graecis epistolis, tamen pronunciatum est, et Judaeis jus civitatis ademtum: unde proxima malorum gentis Judaeae initia repetit Jos. Ant. XX.

§. DXXXVIII. Quo perturbato in statu cum Judaea esset, ad eam missus *Porcius Festus*, ex Pauli historia quoque notus, omnem inpendit operam populum a latronibus, et sicariis, liberando. Oppressit quoque praestigiatorem quendam, qui populum, vanis promissis liberationis deceptum, secum in solitudinem traxerat, a militibus una cum illis, qui eum comitati erant, interfectum. Excepit ipsum, morte abreptum, *Albinus*, vir avarus et saevus, a quo ipso Sicarii, multis artibus licentiam nefariam suam artem exercendi inpetrarunt, Jos. Ant. XX: 9. In principio quidem latrones, quotquot prehendere potuit, severe punivit, sed audaciores facti, et urbem intrantes, Eleazarum, filium Anani, qui proxime fuerat Pontifex, ceperunt, nec dimittere voluerunt, nisi postquam 10 sociis captivis libertatem procuraret: quod per Albinum pecunia corruptum effecit. Quo factum est, ut ipse Procurator, ea ratione dimittere eodem pretio debuerit quos ceperat latrones. Ceterum

aegre tulit, Jacobum Alphaei, Apoſtolum et fratrem Domini noſtri, fuiſſe ab Anano, tunc Pontifice, neci datum, cum in itinere eſſet ad munus Procuratoris capeſſendum, paulo ante adventum ſuum. De quo poſtea ſuo loco. Tandem ſucceſſit ei *Geſſius* (quod verum ejus nomen eſt, et non, ut aliqui Veterum, Ceſtius) *Florus*, ultimus Procurator ante excidium Reip., omnes alios rapinis et ſceleribus ſuis ſuperans; qui eo omnia direxit, ut Judaei tandem, ad deſperationem redacti, in apertum bellum cum Romanis eruperint, ut mox fuſius narrabo; poſtquam de ſtatus Judaeorum qualitatibus, reſpectu *libertatis* ac *proſperitatis*, pro more, paucis expoſuero.

§. DXXXIX. Variavit ſtatus, quoad libertatem aut ſervitutem, reſpectu graduum; nam ſui juris, vero ejus ſenſu, non fuerunt per totam periodum, cum ſub Archelao et Agrippa Majeſtatem Romanam, ſubmiſſe quoque, venerari debuerint, et varia inminutae libertatis indicia fuerint experti. Teſtamentum Herodis M. ſine confirmatione Caeſaris effectum ſortiri non potuit, Caeſar etiam illud inmutavit, Archelaum, loco regis, conſtituendo Ethnarcham; denique coram Ipſo fuit accuſatus, et ab ipſo relegatus in exilium. Agrippa quoque regnum e manibus Romanorum accepit, et eorum conceſſione ac tutela tenuit. Triſtis denique iſte caſus ſtatuae Caji, in Templo ponendae, nec non munitionis urbis per Marſum, Syriae Praeſidem, inpeditae, ut ſupra habuimus, de ſtatu obnoxio abunde teſtatur. Species vero iſta libertatis, ſub Archelao ac Agrippa, qua gaviſi fuerunt, ſecundum proprias leges gubernati, et judicati, multum inminuta fuit, quin fere evanuit, primum poſt Archelaum, dein poſt Agrippam rurſus, quum in Provinciae formam fuit redacta Judaea, per Procuratores Romanos gubernata, ac Syriae Praeſidibus ſubjecta, ſimul cenſui, inſtituta deſcriptione bonorum a Quirino, Praeſide Syriae, obnoxia, denique jure vitae et necis, ſeu *gladii*, ut dicitur, vel ex parte vel ex toto privata. Agitatur enim inter

ter

ter Doctos haud levis de eo controversia, dum alii nullum, alii restrictum tantum, illud jus fuisse penes Judaeos contendunt: prius, praeter alios, defendit Sibranda in Diss. de statu Judaeae Provinciae, posterius in primis Wagenseil in libro *tela ignea Satanae;* quorum disputationes alii moderari, seu reconciliare, conati sunt. Missis autorum citationibus, ac suo loco relictis disputationibus, mentem per has duas theses explicabo, et demonstrabo.

§. DXL. *Prima* fert, verum et proprium jus gladii fuisse penes Romanos, et non Judaeos, ita ut Judaeis, ex jure et potestate insita, neminem licuerit capitali adficere supplicio, ex quo Provinciae Romanae formam praetulerunt. Nititur haec thesis cum Provinciae vero conspectu, nemini non noto, tum verbis Judaeorum, *nobis non licet aliquem occidere* Joh. XVIII: 31., et eo jure Lysias Paulum potestate Judaeorum subtraxit Act. XXIV. *Secunda* thesis habet, Judaeos, licet in provinciae formam redactos, jus gladii, non solum ipso facto, sed et legitime ac juste exercuisse, attamen non jure proprio et originali, sed concesso, nec absolute, sed restricte, permisso, et nonnullis in casibus, uti 1. respectu rerum ad religionem eorum pertinentium, sine ullo Romanorum respectu, quod Gallio expressis declaravit verbis Act. XVIII., ita tamen, 2. ut Procurator, vel Praeses Romanus, semper intercedere, et judicium jure potuerit inpedire, si necessarium judicaverit: uti Lysias fecit in Paulo manibus eorum eripiendo: imo 3. consensus Procuratoris, sive in genere, sive in singulis actionibus, fuerit requisitus: quo facit, quod Jos. Ant. XX: 9. tradit, Pontifici *non licuisse Synedrium, sine consensu Praesidis, cogere:* quodque Albinus, Festi successor, aegre tulerit, Ananum Pontificem Synedrium, se absente, convocasse, et Jacobum morte adfecisse: ut ex Jos. l. c. constat. Num vero sententia, a Synedrio pronunciata, semper debuerit a Praeside confirmari, et executioni mandari, non definiverim.

§. DXLI. Hisce cum limitationibus, jus quoque vitae ac necis autumaverim penes Judaeos fuisse sub Procuratoribus Romanis, ob has rationes. 1. Verba Pilati ad Judaeorum Proceres Joh. XVIII: 31. *sumite vos ipsum, et judicate secundum legem vestram*, utique non sarcastice, cujus nullum est indicium, sed ex animo, et positive, prolata, illud jus Judaeis competere pro hypothesi habent, cum hujus rei potestatem ceteroquin dare non potuisset, salva Romanorum Majestate. Cum vero Christus, tanquam Doctor publicus, censebatur in legem Judaeorum peccasse, Pilatus judicare potuit, actionem illam ad suum non necessario pertinere forum, sed Judaeis competere decidendam. Nec obstat, quod Judaei regerant, *nobis non licet quempiam occidere*, cum nihil aliud sibi his verbis velint, ac sese non tantum non jure proprio, sed concesso, aliquem occidendi gaudere, sed in primis, sibi non licere hoc jus nunc exercere, cum, quod poena gentilibus tantum usitata sit adficiendus Christus, quem *crucifixum* volebant, uti Johannes mox expresse subjungit, tum, quod Christus, secundum ipsorum judicium, sese quoque *laesae Majestatis* Caesaris reum peregisset, sese Regem dicendo, quale crimen a Praeside Romano vindicandum erat. Ceterum, cum, Pilato id ipsis concedente, Christum judicare potuissent, censendi sunt huic licentiae renunciasse, cum, quod a Judice Romano id fieri satius duxerint, tum etiam metu populi, cujus in ipsa historia euangelica prostat indicium, non fuisse ausos.

§. DXLII. 2. Josephus haud uno in loco adserit, Judaeis fuisse concessum, aeque extra Judaeam, ac in ea, patriis uti legibus, omniaque, quae ab iis exigebantur, administrare et exercere, inter quae utique in transgressores legis judicia locum habebant. Sic ex. gr. e Strabone refert Ant. XV: 7. Judaeis Alexandriae suum fuisse Ethnarcham, qui res eorum administrabat, et judicia exercebat: quo etiam tendunt edicta Romanorum, in gratiam Judaeorum

Asiatico-

Asiaticorum, ibid. Praeterea de B. Jud. V: 9. in oratione ad obsessos declarat, Romanos *salvas* permittere *sacras eorum leges*. Ipse Titus ibid. VI: 6. *leges vobis servavimus patrias* dicit. Denique Ant. XX: 10., Herode et Archelao defunctis, inquit, *administratio quidem erat aristocratica, gentis vero praefectura Pontifici erat commissa.* Imo Judaeos simile jus adhuc diu, post tempora etiam Origenis, habuisse, ex ejus Epist. ad Jul. Africanum patet. 3. Tertulli, oratoris Judaeorum, ad Felicem Procuratorem verba, Act. XXIV. illud jus palam proferunt; quod facere non fuisset astutus Rhetor ausus, nisi Judaeis fuisset concessum; *virum hunc adprehendere voluimus*, inquit, et *secundum legem nostram judicare*: imo, Lysiam tribunum *magna vi eum manibus* Judaeorum eripuisse, addere non veretur. Nec nihili hanc in rem est, Lysiam in Epist. ad Felicem, ut rationem ejus rei daret, referre, se deprehendisse Paulum esse *civem Romanum* Act. XXIII: 27. argumento, alias id non facturum fuisse, nunc autem id licere, cum in cives Romanos, legis etsi eorum violatores, Judaeis nullum esset Jus: uti etiam liquet ex historia apud Jos. Ant. XX: 4. et B. J. II. 11. Quo etiam tendit sermo Festi ad Agrippam Act. XXV: 19, 20. quo declarat, se, cum accusationis Pauli capita ad religionem spectare deprehendisset, Judaeis gratiam facere voluisse, et ipsis jus suum permittere in Paulo, licet cive Romano, exercere. Quod eo magis poterat concedere, quod Paulus simul Judaeus fuerit, qui et a Judaeis verberibus fuerat caesus 2 Cor. XI.

§. DXLIII. 4. Sequantur tandem acta Judaeorum, et facinora in Apostolos, et primos Christianos, non tumultuosa, sed per formam judicii, praesentibus quoque Procuratoribus, inpune, et sine reprehensione, peracta, et, quid inde colligendum sit, dijudicemus. Apostolos ex. gr., carceri incluserunt, flagellarunt, Stephanum, coram Senatu auditum, condemnarunt, et per formam judicialem, testium vestibus depositis, eductum, lapidarunt. Paulus se, cum Saulus ad-

huc esset, potestatem a Synedrio accepisse tradit Act. XXII et XXVI. vinciendi Christianos, et Hierosolymam deducendi, ut puniantur: sicut etiam in persecutione, sic dicta, Stephanica Act. VIII. multum fuerunt a Judaeis passi. Quo quaeso jure hoc patrarunt Judaei? usurpatone an legitimo? alterutrum enim dicendum est, cum tumultuaria non fuerint, sed judicialia, gesta. Prius qui statui poterit? cum ejus nullum sese in historia offerat indicium, nec a Procuratoribus fuerint reprehensi, aut repressi, secus ac ab Albino, tempore caedis Jacobi ab Anano Pontifice, factum est, ut supra vidimus. Quid? quod Paulus et Tertullus illud palam fuerint coram ipso Praeside professi: ut ex dictis constat.

§. DXLIV. Sed quid faciemus de traditione Judaeorum de Synedrio, hoc jure, jam 40 ann. ante excidium Hierosolymae, privato? quae in utroque Talmude, et alibi, prostat, uti in Avoda Sara; ubi Edzard. in not. alia loca parallela profert. Lectionem cum Wagenseil de *sceptro ablato* in Fascic. Crenii Vto non solicitaverim, pro ארבעים *quadraginta* legendo ארבע *quatuor*, cum illud nullo nitatur fundamento, et aliunde etiam, si necesse esset, refutari possit, imo ne quidem fictam esse traditionem regeram, licet cum specie posset statui, non tantum, quod diu antea Judaea jam fuerit provincia Romana, adeoque, si hinc ratio esset petenda, cessassent judicia capitalia, sed et quod multitudo sicariorum proferatur tanquam causa, et eodem tempore januae Templi sponte tradantur apertae; quod non nisi in ultima reip. tempora quadrat: uti constat. Illud notasse suffecerit, traditionem non habere, jus fuisse Synedrio ademtum, sed, eo obtinente, Synedrium sponte cessasse, et a judiciis abstinuisse, propter sicariorum copiam, nec in universum, aut omnium judiciorum respectu, verum relate ad civilia et seditiosa, ut in causa sicariorum, et non quoad sacra, Vid. Selden. de Synedr. l. II. c. 15. Ne autem quis denique ad conditionem *Provinciae* Romanae, quae jus vi-

tae

tae et necis ademtum esse indicat, offendat, obſervari velim, Romanos ſubinde αὐτονομίαν reliquiſſe populis divictis et provinciis, ita ut Juriſdictio ſit penes proprios civitatis Magiſtratus, ſed Inperium penes Praeſides Romanos: ut demonſtravit Ez. Spanhem. Numiſm. Diſſ. IX. Quod magis in Judaeos quadrat, quorum ſacra fuerunt adeo ſingularia, et qui a Romanis tam benigne, teſte Hiſtoria, tractati ſunt.

§. DXLV. Licet nonnulla bona et praeclara, ut de *felici* vel *infelici* eorum ſtatu aliquid moneam, Judaeis hac periodo contigerint, uti ex. gr. quod inmenſa eorum fuerit in Cananaea multitudo, per tribules ex AEgypto, dum ſub Cajo ibi adflicti ſunt, et Oriente, ubi ſub Claudio male habiti, eo confluentes, adhuc aucta; opibus ac divitiis, antequam a Procuratoribus, periodo ad finem vergente, expilati ſunt, abundarint, denique Hieroſolyma ſub Agrippa ornata ac munita ſit, ut ſupra narravi, pace quoque externa gaviſi, nullis bellis ab hoſtibus vexati; longe plura tamen mala, nec parva ſed maxima, ſunt paſſi, et terribiliter ſaepe conturbati. 1. per avaros, libidinoſos, et ſuperbos Procuratores, maxime poſt tempora Agrippae. 2. Latrones et ſicarios, quorum ſcelera ſummatim exhibet Joſ. B. Jud. VII: 8. quae ſine horrore legi nequeunt. 3. Pſeudo-prophetas et falſos Chriſtos, 4. per varios tumultus, et motus inteſtinos, multa cum caede conjunctos: quales fuerunt inter Philadelphenſes Gentiles et Judaeos, ſub Fado: et Hieroſolymis inter Judaeos, Galilaeos ac Samaritanos, ſub Cumano; denique inter Judaeos et Gentiles Caeſaraeenſes ſub Felice. Quae omnia ex ſuperioribus conſtant. 5. Acceſſit adhuc dira fames, quae ann. 4*to* Claudii incepit, ſub Cuſpio Fado, et continuavit ſub Tiberio Procuratore; quando Helena Judaeos ſublevavit: ut ſupra narravi.

§. DXLVI. Nec meliorem praetulit faciem ſtatus Eccleſiaſticus, vel Religioſus, ſubinde laetus et honoratus, ſed longe magis deturpatus, et perturbatus. 1. Fuit qui-

dem continua series Pontificum, sed nec ex vera linea Pontificali, nec legitima successione; saepe annui, pro arbitrio vel Praesidum Syriae, vel Herodiadum, ut Agrippae Majoris, dein fratris Herodis, Chalcidis Regis, et Agrippae Junioris, filii Majoris, qui hac potestate fuerunt a Romanis donati. Unde factum est, ut Pontifices mox constituti, mox depositi sint, multaeque ortae ambitiosae concertationes, ac vexationes. Recensentur a Jos. Ant. XX. ab Herodis tempore ad finem Reip. 28 Pontifices, quorum catalogum, praeter Selden. de successi. Pontif., contexuit Reland. in Antiquit. Hebr. et ad Jos. l. c. Inter quos excelluerunt Annae, vel Anani, ex historia Christi noti, filii, et inter quos *Ananus*, qui in bello cum Romanis fuit a zelotis obtruncatus, probe distinguendus ab Anania, Act. XXIII. 2. Sacra quidem in Templo, per Herodem quoque splendidissimo facto, fuerunt studiose celebrata, populus quoque ingente studio in ea flagravit, ut in variis casibus, supra narratis, eluxit; Principes tamen Herodiadae, gentilibus introductis ritibus et institutis, ex. gr. theatris, et ludis gladiatoriis, contaminarunt ea; ipsi Sacerdotes et Levitae, in partes distracti, in primis sub finem Reip., plane profanarunt. 3. Ingens quoque fuit Synagogarum, Scholarum, et Academiarum numerus, magnus ad eos confluxus, sed cultus et institutionis haud una depravatio: dominantibus ubique Pharisaeis, doctrina et moribus magis magisque a vera doctrina salutari et pietate degenerantibus. Clavi scientiae sublata, et propria justitia, in legali et rituali observantia externa sita, turgidi, nec ipsi intrabant regnum coelorum, nec alios ingredi patiebantur, praeterea hypocritae, extus probi, ad auram populi captandam, intus scelesti, ut Dominus saepe, et ex professo, Matt. XXIII. eos depinxit. Inter scholarum Doctores, et Academiarum Rectores, eminuit Gamaliel, cujus alumnus fuit Paulus Act. XXII: 3. ubi *ad pedes ejus* se dicit fuisse educatum, adeoque in domo ejus, et tanquam servum et alumnum (hic enim sen-

sus

sus phrasios est,) praeterea ab ipso *doctum patriae legis* (πεπαιδ. enim cum κατ. νομ. recte construitur, ut jam observavit Cl. Hemsterhusius ad Thom. Mag. in γεγυμνασμ.) *ad exactam Pharisaicae disciplinae normam*, (id enim denotat κατ ἀκρίβειαν.) Praeterea moderatum in principio protulit consilium, de Apostolis non vexandis, hac addita ratione salutari, opus eorum, si non sit ex Deo, sponte et progressu temporis in nihilum esse casurum, si vero ex Deo, inpediri ab hominibus non posse, et, si conarentur, *oppugnatorum* Dei nota inurendos esse, Act. V: 34. Faventior forte censeri potest Christianis fuisse, ob dogma Resurrectionis mortuorum, cum Sadducaeorum esset acerrimus adversarius; vid. Act. XXIII. Sed haud diu post, Stephani disputatione cum ejus discipulis, et invectiva ejus oratione irritatus, in Christianorum persecutionem videtur consensisse; ut Cl. Alting in Schil. IV: 25. autumat, et ex vehemente Pauli insectatione probabile fit. Excelluit etiam postea Gamalielis filius, Simeon secundus, qui in excidio urbis et Templi periit.

§. DXLVII. Denique 4. addi potest, inter Gentiles fuisse haud paucos, qui vel Judaeis faverunt, ut centurio iste Capernaumi Luc. VII. vel magis minusve eorum religioni adsensum praebuerunt, inter quos celebris fuit Cornelius Act. X. *cohortis*, seu, ut verti etiam vox Gr. potest, *legionis*, Italicae, cujus frequens exstat mentio apud Arrian. centurio, vir probus, et principiis verae religionis inbutus, ut ex vers. 22. colligi potest, licet nondum proprie dictus *proselytus*: in primis Izates Adiabenorum Rex, cum matre Helena, et fratre Monobazo, Ecclesiae Judaicae quoque insertus: de quo supra egi. Attamen cum proselytis faciendis operam maxime inpenderint Pharisaei Matt. XXIII., suae sectae promovendae magis, quam religioni, intenti fuisse censendi sunt: de ejusmodi enim proselytis dictum Christi capiendum est, ut adtendenti patebit. Unde quoque factum est, quod in secta illa stabilienda, et

Chriſtianis perſequendis, fuerint ipſis adhuc ferventiores; uti in novis adſeclis locum habere ſolet, eo enim tendit, quod Chriſtus eos *filios Gehennae* adpellet prae Phariſaeis.

§. DXLVIII. Hiſtoriam lapſae et *deſtructae* Reip. Judaicae per Romanos, ad quam pergo, poſtquam per gradus et articulos ordine enarravero, nonnullis obſervatis illuſtrabo. Tradam eam ſuccincte et ſummatim, cum ex Joſeph. de Bello Jud. vel ex recentioribus, qui res Judaicas deſcripſerunt, quibus addendus eſt Jungman. ad Daniel. l. II., facile peti poſſit; 1. *Primus* articulus apertam Judaeorum rebellionem contra Romanos complectitur, per furibundos Zelotas, rituum et libertatis gentis ſtudioſiſſimos, Judae Galilaei, in ſuperioribus memorati, ſequaces, quibus ſeſe ducem praebuit Eleazarus, templi praefectus, Ananiae, cujus mentio exſtat Act. XXIII., filius, *juvenis audaciſſimus*, Joſ. B. J. II: 17. Menahem, Judae Galilaei filius, ſeſe quidem ipſis quoque ſocium praebuerat, ſed brevi, cum inſolentius ſe gereret, a ſociis eſt obtruncatus. Hoc intervallo, quod in ann. AEr. V. *66tum* incidit, 1. prohibuerunt ſacrificia, pro Imperatoribus Romanorum offerri ſolita, ſuaſu Eleazari, ne cujus alienigenae munus aut hoſtiam acciperent, teſte Joſ. l. c. 2. Sicariis in urbem admiſſis, Templum et urbem inferiorem, mox quoque ſuperiorem, invaſerunt, arcem denique Antoniam occuparunt, praeſidiariis militibus Romanis ad turres confugientibus, mox etiam caſtella munitiſſima, ab Herode exſtructa, Hippicum, Phaſaelem et Mariamnem, praeſidiariis militibus Romanis ſeſe fide data tradentibus, contra eam occiſis, excepto duce Metilio, qui ſe Judaeum fore promiſerat, Regis Agrippae militibus etiam arce Anton. ſalvum conceſſerant egreſſum: ut diſerte tradit Joſephus l. cit. Imo, ipſos moderatiores in urbe Judaeos, inter quos Ananias, cui Paulus judicium Dei denunciaverat, Act. XXIII. e medio ſuſtulerunt. Excepit 3. haec initia terribilis Syrorum et Judaeorum colliſio in variis locis, per totam terram, maxime maritimis Palaeſtinae,

quae

quae innumeras peperit caedes. Caesareae omnes Judaei, instigante Floro, ad 20 millia usque, occisi sunt, quando Judaei, per universam regionem Syrorum, vicos, et urbes, depopulati sunt, Syri rursus in eos promiscue grassati, exceptis Antiochenis, Apamenis, et Sidoniis, qui Judaeis incolis suis pepercerunt. Corripuit denique iste furor exteras quoque regiones, vel remotiores: Alexandriae utique in AEgypto, ubi continua fere inter gentiles et Judaeos fuerat contentio, a quo tempore Alexander M. Judaeis privilegia ibi concesserat, ut tradit Jos. B. J. II: 18. suscitata seditione Judaei narrantur ad 50 millia uno die deleti.

§. DXLIX. 2. *Secundus* gradus expeditionem Cestii Galli, Syriae Praesidis, ingente successu factam, sed cito et inproviso, cum ignominia et clade, abruptam, exhibet. Occurrerunt quidem ipsi ad 60 stadia Hierosolymitani, et ancipite Marte, Judaeis tamen faventiore, pugnatum est ad Bethoron, sed mox majoribus copiis invasi a Cestio sunt, et in urbem compulsi. Coepit itaque oppugnare Hierosolymam, Caenopolin et Acram quoque occupavit, Templum et superiorem civitatem brevi etiam expugnasset, quando subito, soluta obsidione, in Syriam se recepit, non sine ignominia et clade, relicta quoque ingente copia machinarum, ballistarum, et armorum, quibus Judaei postea in obsidione contra Titum usi sunt. Cujus tam inopinati regressus vix patet ratio, nisi quod ex Josepho non videatur inprobabile, Duces Cestii, a Floro pecunia corruptos, ipsi hoc suasisse; Florum vero eo intendisse, ut per bellum magis adfligerentur, et exscinderentur Judaei, cum bellum brevi finitum, nec urbs ac Resp. excisa fuisset, si Cestius opus mox ad finem perduxisset. Damasceni, clade hac Romanorum audita, Judaeos, ibi degentes, ad decem millia, inproviso occiderunt, Jos. B. J. II: 20. Judaei vero, hoc casu audaciores facti, sese ad bellum, omni forma cum Romanis obstinate gerendum, adcinxerunt, rei gerendae

partibus probe ordinatis, Ananus, Annae, ex historia Christi noti, filius, magnae autoritatis Pontifex, sed moderatior, urbi tuendae praefectus est, una cum Josepho Gorionis, sed furioso zelota: Idumaea fuit Eleazaro, faci belli, demandata, et Galilaea Josepho Matthiae, Historiographo notissimo, viro quoque bellicoso, sed prudentiori.

§. DL. 3. Hoc rerum statu Flavius Vespasianus, expertus Dux, a Nerone in Palaestinam missus, qui *tertius* est articulus, ann. aer. Vulg. 67, cum selecto exercitu, et Legionum Romanarum, et copiarum auxiliarium, eam ab Aquilone, ut olim Babylonii, intrans, Galilaeam aggressus est, et sibi subjecit, urbibus in ea, et trans mare, vel arcibus, uti Gadara, Jotapate, Tiberiade, Tarichaea, Gamala et Giscala, expugnatis, non sine difficili labore, inprimis quoad Jotapatam, quam Josephus Historicus multa arte et virtute defendit, uti l. III: 7. fuse enarrat, qui etiam, mirabiliter suorum, qui eum se dedentem occidere volebant, manibus ereptus, cum in manus Romanorum venisset, non tantum in vivis relictus est, cum quod virtutem ejus fuerint reveriti, tum Vespasiani, ac inprimis Titi, gratiam nactus sit, regno ipsis praedicto, sed benigne dein ac honorifice ab iis exceptus ac tractatus est. 4. *Quartus* articulus, valde memorabilis, bonitatis Dei simul, simul judicii, Judaeis inminentis, testis, intestinum aliquod bellum, Hierosolymis gestum, dum Romani, alio vocati, quiescerent, repraesentat, per duos annos, 68 et 69, aer. Vulg. Nerone enim mortuo, et inperio per varias factiones scisso, Vespasianus, Inperator ab exercitu declaratus, misso bello Judaico, Romam ad inperium tetendit capessendum. Quo temporis spatio prudentibus quidem occasio elabendi data est, qua multi sunt usi, sed reliqui in propria saevierunt viscera, et se mutuo adtriverunt, manifesto irae Divinae, populo incumbentis, indicio.

§. DLI. 1. Prima fuit collisio factiosorum zelotarum, et moderatiorum, quorum principes erant, *illorum* Eleazarus, et

et Johannes, Leviae filius, callidissimus nobilium, et omnium nequissimus, secundum Jos., latro quoque in initio singularis et solitarius, dein latronum adsociatorum dux, Jos. B. J. II: 21. ubi de insidiis, sibi ab eo structis, et aliis facinoribus, plura habet, qui, post Gischalam qualitercunque defensam contra Romanos, cum seditiosorum globo, inde profugus Hierosolymam venerat, et Eleazaro se adjunxerat; *horum* vero Ananus Pontifex. Zelotae in Templum compulsi evocarunt Idumaeos, qui, horrida tempestate noctis urbem ingressi, omnia caede et rapina repleverunt, ita ut ad aliquot millia jugularint. Jos. tradit l. IV. c. 5. inventa fuisse caesorum octo millia et 500 in primo inpetu, deinde, urbe in potestatem redacta, promiscue fuisse a Zelotis et Idumaeis saevitum, et populum, veluti animalium inpurorum gregem, jugulatum, imo 12 millia nobilium periisse. Inter eos, qui caesi sunt, fuit ipse Pontifex Ananus, in quo cessavit Pontificatus, et inpleta censetur prophetia Joel. III. de *Luna in sanguinem versa*, sicut de *Sole* in meridie occidente in Agrippa Majore. Occisus quoque in ipso Templo est Zacharias, Baruchi filius, quo nonnulli, licet male, dictum Christi Matt. XXIII. referunt. Ceterum initium excidii urbis a morte Anani repetit Jos. l. cit., quia, si ipse vixisset, et superior fuisset, res ad compositionem cum Romanis venisset. 2. Factiosi ea ratione praevalentes, mox in tres scissi sunt factiones, pars enim cum adhaerebat Eleazaro, pars Johanni Leviae, populus advocavit, et in urbem admisit, Simonem, Giorae filium, qui genere Gerasenus, Johanne Leviae quidem astutia erat inferior, sed corporis viribus et audacia superior, pulsus propterea ex Acrabatina toparchia ab Anano Pontifice, se ad latrones Masadam recepit, et per Judaeam, arcibus etiam nonnullis occupatis, vagabatur, Idumaeam quoque vastabat varie, multosque Idumaeos, ut se reciperent Hierosol. compulit, quos ipse secutus est, urbemque quasi obsessam tenuit, cui sese mox Idumaei, Zelotis mixti, adjunxerunt,

Eleazarus ſeptum Templi *interius*, Johannes *exterius*, et Simon reliquam tenebat civitatem, qui continuo quaſi bello in ſe invicem ſaeviebant. 3. Denique ad duas redacti ſunt factiones, circa feſtum Paſchatis ann. 70*mo*. Globo enim Johannis in ſeptum interius, praetextu ſacra faciendi, irrumpente, Eleazarus cum plurimis ſuorum occiſus eſt in ipſo loco ſacro, ſumma emphaſi *ſpelunca latronum* facto: quando duae reliquae unitae ſunt factiones in urbis defenſionem, a Tito, Flavii Veſpaſiani filio, obſideri coeptam, licet ſibi invicem ſemper infeſtae, Joſ. l. V.

§. DLII. 5. Sequitur *quintus* articulus, et ultimus, fatale urbis excidium per Titum, eo a Patre cum exercitu miſſum, ob oculos ſiſtens, ann. 70*mo* aer. Chriſt. Perrupit quidem, urbem a Septentrione, et Ortu adgreſſus, brevi primum et validiſſimum murum, et mox alterum, adeoque urbem inferiorem expugnavit; ſed in arce Antonia ac Templo res minus feliciter ſucceſſit, adeo ut, de illis capiendis deſperans, urbem *vallo* cinxerit, praedictionem Domini apud Luc. ita inplens, eo ſcopo, ut obſeſſos per *famem*, quae jam graſſari inceperat, ad deditionem cogeret. Qua ſpe cum excidiſſet, Judaeis obſtinate contra omnia mala, contra omnes et Titi, et Joſephi, aliorumque exhortationes, ſeſe obdurantibus, expugnavit tandem, ingente labore, nec ſine clade, arcem Antoniam, et porticus *Templi* exteriores; ſed in interiore ſepto ſuperando operam prorſus luſit: donec miles aliquis, a ſocio in humerum ſublatus, titionem ardentem per feneſtram quandam porticus ſepti interioris projecerit verſus cellas, quibus Templum erat circumdatum, quae igni correptae Templum accenderunt; quod, ſtupente, et ad ſpeciem dolente Tito, conflagravit maximam partem. Quo facto, urbem ſuperiorem, quam, omni ſpreta Titi clementia, deſperabundi defendere perrexerunt, tandem, menſe poſt, in poteſtatem redegit, ſimul Templum, et urbem utramque, cum aedibus, et palatiis, plane deſolavit, relictis, in victoriae monumentum, tribus turribus, Hippico,

Hippico, Phasaelo et Mariamne, muri Septentrionalis montis Tsionis, teste Josepho.

§. DLIII. Historia strictim narrata, nonnullis observatis circa causas, circumstantias, gravitatem calamitatis, et consequentia, est, ut meretur, illustranda, *a. Causae*, ne de efficientibus, seu autoribus, partim Judaeis ipsis, factiosis illis et Zelotis, partim Romanis, in ipsa historia memoratis, dicam, quae nostram hic merentur adtentionem, sunt *inpellentes* et *occasionales*. Inpulsivae vel ad Deum Israelis, vel ad populum ipsum, spectant. *Prioris* generis eo magis in censum veniunt, quod tremendi judicii Divini in populum ejus, quo finis fuit Oeconomiae Veteri inpositus, et populus a Deo repudiatus, resp. in perpetuum, sine ulla instaurationis spe, destructa est, signa sese in omnium oculos ingerant. Nec tamen rationes, quae Deum moverunt, longe sunt quaerendae; sed ad statum populi, et foederis Dei cum ipso verum conspectum, adtendenti, sponte fere sua in mentem veniunt. Messia enim, qui finis et complementum erat OEconomiae legalis, simul ejus fundamentum, inter ipsos manifestato cum clarissimis divinae missionis signis, ab ipsis repudiato, ac scelerate tractato, tempore resipiscentiae, ipsis concesso, plane spreto, praeconibus regni coelorum, in Messia jam erecti, non tantum non auditis, sed et violenter repressis, ac tractatis scelesto; denique ipso foedere legali, cum ipsis ad montem Sinai pacto, enormiter et obstinate violato per sacra contaminata, per scelera qualiacunque, et totalem ac insanabilem corruptionem, omnis generis et status hominum, decretoriam tandem a Deo sententiam fuisse in eos latam, et exsecutioni mandatam per terribilem hanc destructionem, et reip. ac Ecclesiae abolitionem, cui non mox succurrit? et cui mirum accidit? iram et vindictam Divinam, tanquam causam excidii, ipsi Romani hic observarunt, Jos. plus una vice declaravit: imo tantam fuisse Judaei populi corruptionem tradit, ut, si Deus Romanos ad eum non misisset puniendum,

ignis e coelo debuisset delabi, ad hanc urbem, tanquam alteram Sodomam, et Gomorram, funditus exstirpandam, aut terrae hiatu absorberi, vel eluvione deleri; ita de B. Jud. l. V. fin. Ex quo, ut illud obiter observem, facile elucescit, memoriae lapsum in Origene esse statuendum, ubi contra Cels. l. I. tradit, et ex eo Eus. Hist. Eccles. II. 23., Josephum causam excidii quaesivisse in caede Jacobi Apostoli: nusquam enim illlud apud Jos, reperitur, et ipse aliam, ut modo notavi, statuit causam. Memorat quidem Jacobi necem, a Pontifice injuste illatam Ant. XX: 9. sed de causa excidii per Romanos nihil habet, imo ibid. cap. 8. in sicariorum et scelestorum hominum copia eam constituit.

§. DLIV. Causae vero, quae Judaeos moverunt, simul obstinatos fecerunt, praeter duram et diuturnam servitutem sub Romanis, et eorum Procuratoribus, Judaeis, tanquam populo Dei veri, non amplius ferendam, quam opinionem jam a longo inbiberant, Judas vero Galilaeus, post Archelaum relegatum, dein ejus sequaces, continuo renovaverant, et firmiorem reddiderant, variisque in casibus ipso facto explicuerant, ut superior historia docuit; praeter hanc, inquam, proximae fuerunt. 1. Gessii Flori dira rapacitas, et inhumana saevitia, et tyrannica plane gubernatio, nec non vicinarum aliquarum civitatum inhumana vexatio. Cujus rei ratione habita, Judaei a Jos. in *vita* sua §. 6. dicuntur non sponte, sed coacti necessitate, bellum movisse. 2. Zelotarum et pseudo-prophetarum instigationes, et vana promissa auxilii Divini, sive ficta, cum, teste Jos. B. J. VI: 5. multi fuerint a Zelotis ipsis subornati prophetae, qui, Dei auxilium esse exspectandum, adnunciarunt, ne populus transfugeret, aut desperaret, sive falsis principiis superstructa, ut, quod Deus populum, et Templum religionis sedem, sit tutaturus, et foedus cum populo initum vindicaturus, denique tempus jam adluxerit, quo Messias populum suum sit visitaturus. Cujus opinionis indicia jam diu antea, sub finem Herodis M., ut in ejus historia vidimus,

sese

sese manifestaverant, sed nunc magis fuerunt conspicua, et firma facta, per prophetiam, quaquaversum divulgatam, quae habebat, *ut eo tempore Judaea profecti rerum potirentur*: cujus non Josephus B. Jud. l. VI: 5. tantum, sed et Tacit. Hist. V: 13. et Sueton. in Vespas. c. 4. meminit: quam, praeter Romanos, Jos. ad Vespasianum adplicuit, Judaei ad suum Messiam, populi sui liberatorem, et orbis debellatorem, traxerunt; unde varii Pseudo-Messiae non solum orti fuerunt, sed et vanae multorum voces de Messia, hic illicque jam praesente, uti Dominus Matt. XXIV. praedixerat. Videtur autem origo istius famae quaerenda in Magorum adventu Hierosolymam, Matt. II. indeque etiam orto vaticinio, quod Pharisaei, teste Jos., divulgarunt, et uxori Pherorae, ejusque soboli, adplicuerunt, circa finem regni Herodis; ut in ejus historia observavi. Accessit tandem, ut fieri adsolet, desperatio, et vitae taedium; cujus multa dederunt, durante hoc bello, specimina, quae fidem fere superant, ex historia nota. Denique proximam occasionem belli suscepti praebuit contemtus, et illusio Judaeorum a Floro, quum querelas ad ipsum deferebant, super Synagogae suae profanatione Caesareae per altare, a gentili constructum, ante ostium introitus ejus, cui aedes pagani erant proximae. Quem contemtum cum Judaei aegerrime ferrent, et conviciis in Florum ulciscerentur, saevissime ab eo sunt tractati, quod autores detegere ac tradere nollent.

§. DLV. Ad *circumstantias* calamitatis, quae adtentionem merentur, refero, praeter interruptam obsidionem, cujus supra memini, tempus et signa prognostica, ut adpellantur. Quod ad *tempus* adtinet 1. obsessa est urbs die 14*to* mens. Nisan, in festo Paschatis, teste Jos., quando urbs repleta erat incolis, causa festi undiquaque eo confluentibus, et quo ipso festo Messias fuit crucifixus. 2. Conbustum est Templum ann. 70 aer. Vulg., et secundum Jos., 10*mo* Aug. quo ipso mense et die addit conflagrasse Templum prius,

sub Nebucadnezare; quod posterius secus sese habere patet ex Jer. LII., ubi 10*mo* mensis Ab id contigisse traditur, cui non respondet 10*mus* Aug., sed Calendae ejus hoc anno, secundum Scaligeri calculos; iste vero Mensis Ab partim Julio, partim Augusto convenit. Prius a traditione Judaeorum abit; quippe quae diem figit in *nono* Mensis Ab, quem propterea jejunio et supplicatione colunt religiose; incidit vero in 4*tum* Aug. hoc anno. Denique 3. capta est urbs 8 Sept., 2*do* Vespasiani, ut Jos. tradit B. J. l. VI., addit Dion' Cass. *die Saturni*, quo epocha captae urbis ann. 70 firmatur; incidit enim eo anno feria septima, seu dies Saturni, in 8*vum* Septemb.

§. DLVI. 2. Signa, vel prodigia, calamitatis praenuncia, ad ann. 65*tum* relata, adeoque proxime ante bellum, memorantur sequentia, apud Jos. B. J. VI. et ex eo Eus. H. E. III. 8. etiam aliqua a Tac. H. L. V. a. Jesus quidam plebejus et rusticus, per quatuor annos ante belli initium, non cessavit *vae* horrendum alta voce intonare urbi, nec ulla ratione, ne flagris quidem, inhiberi potuit. In initio, pacata adhuc civitate, in festo Tabernaculorum juxta Templum exclamare coepit, *vox ab Oriente*, *vox ab occasu*, *vox a quatuor ventis*, *vox in Hierosolymam et Templum*, *vox in sponsos et sponsas*, *vox in universum populum*: deinde a primoribus populi increpitus, et verberibus frustra caesus, et ad Romanum Praesidem adductus, et ad ossium usque nudationem dilaniatus, nec preces nec lachrymas effudit, sed tantum clamavit, *vae*, *vae Hierosolymis*, nec destitit eas proferre voces, donec urbs fuit obsessa; et ipse in moenibus obambulans, eas denique voces exclamans, ad extremum dixerit, *vae etiam mihi;* quando lapide ex ballista excusso ictus occubuit. 2. Vox, *migremus hinc*, vel, ut Tacitus, *excedere Deos*, audita est festo Pentecostis in septo Templi inferiore, ab ipsis sacerdotibus. 3. Porta Templi aenea Orientalis, vix a 20 viris movenda, noctu sponte est aperta: *expassae sunt repente*, inquit Tacitus, *delubri fores.*

4. Lux

4. Lux inopina circa Templum, et altare, fulſit hora nona nocturna, per horae dimidiae ſpatium, acſi dies eſſet, et ſtella ſupra urbem, inſtar gladii minitantis: alia mitto. Fuerintne haec vera, an ficta, ex imaginatione deluſa, aut confuſione cum ſignis, tempore mortis Chriſti, orta, diſputatur. Equidem non negaverim unum alterumve pro fictitio haberi poſſe, aut ex ſignis tempore Chriſti ortum, ſicut de voce *Migremus hinc* Euſ. tradit, forte veriſimilius ſtatueretur de Jeſu *vae* inclamante, quod Dominus noſter paulo ante mortem fecit, et ipſo die crucifixionis, ſi narratio eſſet non nimis exacta, ut et de *porta* Templi aperta, ſicut tunc ſciſſum fuit *velum*, et terrae motus exſtitit. Sed fidem hiſtoricam ſine neceſſitate non auſim ſolicitare, minus hoc in caſu excidii Templi, tam ſingulari; cum tempore belli cum Romanis, et alia obſervata ſint irae Dei, populo incumbentis, ſigna, inter quae a Joſ. B. J. l. IV. 4. refertur terribilis tempeſtas, venti, imbris, tonitruum, fulgurum, et terrae concuſſae mugituum, quo tempore Idumaei noctu irruerunt in urbem, cumque in aliis extraordinariis caſibus talia ſigna legantur in hiſtoria ſubinde facta, Dominus quoque Matt. XXIV. et Luc. XXI. praedixerit futura, denique a cura Dei erga eos, quos ſervatos vult, non ſint aliena: cujus manifeſtum proſtat quoque indicium in eo, quod tempus terribilis illius calamitatis *interrumpendum* eſſe propter *electos*, *ne omnis caro* pereat Hieroſolymis, praedixerit Dominus Matt. XXIV: 22. Ubi per *electos* intelligendi ſunt illi, qui ſingulari Dei providentia eriperentur, alias, ut Ez. X. et Apoc. VII. *ſigno* fronti impreſſo notati; in ſpecie Chriſtiani. Quod 5. inter circumſtantias quoque locum habere poteſt. Utique voce audita, *Migremus hinc*, Tacit. tradit *ingentem fuiſſe motum excedentium*, Joſ. vero B. J. II: 20. refert, poſt Ceſtii obſidionem, quo proprie *decurtatio* illorum dierum Matt. XXIV: 22. videtur referenda, ſolutam, *Judaeorum plures e civitate, tanquam e navi ſubmerſura, enataſſe*. Conſtans quoque ha-

bet traditio, cujus meminit Euſeb. H. E. III: 5. et Epiphanius Haer. Nazar. ac de Ponder. et Menſ., Chriſtianos, *oraculo*, ut Euſebius, vel ab Angelo, ut Epiphanius, monitos, tunc, Hieroſolyma derelicta, ſedes ſuas tranſtuliſſe Pellam, trans Jordanem, in confiniis Decapolios et Peraeae; quae Agrippae junioris, de quo poſtea, fuit ditio; ubi tutum nacti fuerunt perfugium.

§. DLVII. *Gravitas* calamitatis major eſt quam deſcribi, aut cogitari, poteſt; cujus, in omnibus circumſtantiis conſideratae, exemplum deeſt in hiſtoria; a Domino quoque Matt. XXIV. et Luc. XXI. ipſis verbis talis declarata. Proferam nonnulla ſpecimina. 1. Omnis generis mala, quae mortalibus evenire poſſunt, perpeſſi ſunt ſummo gradu. Foris graſſatum fuit ferrum, intus diriſſima fames, indeque et aliunde orta contagio peſtilentialis, et mutua lanienа. De fame qui Joſ. B. J. l. VI: 3. et ex eo Euſ. H. E. III. legerit, exhorreſcat neceſſe eſt: unde etiam conſtat, qua ratione in propria ſaevierint viſcera, caedibus et rapinis omnia miſcentes; quamque miſere dein a Romanis fuerint tractati, occiſi, crucifixi, venditi, in triumphum ducti, et varie cruciati. Urbe expugnata, et innumera caede repleta, omnes, qui ſupererant, et in armis erant, occiſi ſunt, reliqui, quorum magna erat copia, qui mutuo indicio deprehenſi ſunt ſeditioſi et latrones, neci ſunt dati, juvenes lecti, et praeſtantes proceritate ac forma, triumpho ſervati, ex reliqua multitudine, annis 17 majores in AEgyptum ad metalla exercenda miſſi ſunt, vel in provincias ablegati, in theatro ferro et beſtiis abſumendi, alii infra 17 annos ſub corona ſunt venditi Joſ. VI: 9. 2. Auxit miſeriam excoecatio et obduratio, mala conſcientia et deſperatio, irae divinae manifeſta ſigna Luc. XXI: 23. Accedit 3. numerum in ipſa urbe occiſorum, vel mortuorum, ſive fame et peſte, ſive ferro, fidem fere ſuperare: ad undecies centena millia tradit Joſ., hyperbolice forte nimis; maxime cum addat 97 millia fuiſſe capta, quod tamen ad totius belli

belli tempus referri potest, ut ex ipso Jos. l. c. colligi posse videtur, cum urbs non fuerit maxima, licet tunc, propter festum Paschatis, et bellum foris grassans, refertissima; Tacitus vero obsessorum *sexcenta millia* tantum fuisse tradat. Quibus si addantur, qui durante bello perierunt, inmensus orietur numerus caesorum. Collectis enim numeris ex Jos. historia, uti a Lipsio de Constantia l. II. factum est, perierunt, toto belli tempore 1337490. Denique 4. aliis quoque in regionibus et locis ingente numero sunt vexati et caesi. Caesareae, ex. gr., cum natalem Domitiani, fratris sui, celebraret Titus, post deletam Hierosolymam, alii cum bestiis pugnarunt, alii cremati sunt, alii inter se digladiati, quae scena rediit, cum Beryti natales Patris celebravit. Alexandriae cum populum ad seditionem excitarent, ex factione sicariorum, qui eo confugerant, multi occisi sunt: quod idem accidit in Libya Pentapolitana Jos. B. J. VII: 10, 11.

§. DLVIII. Sed *consequentia*, sive propiora, sive paulo remotiora, omni adtentione digna, distinctius enarranda sunt. Ad propiora pertinet, praeter modo memoratas strages, dum Titus natales fratris et Patris celebravit, 1. Magnificus triumphus Titi, Romae peractus, una cum muneribus a Gentibus ad Ipsum delatis, et nummis in ejus honorem cusis, cum inscriptione, *Judaea capta*, *devicta* etc. Vid. Mediobarb. de Numism. Imperatorum. Triumphus autem duo habuit singularia, silentio non premenda. *Unum* est, quod spolia et ornamenta Templi fuerint ostentata et circumducta, *mensa* scilicet aurea, *candelabrum*, *duae acerrae* super mensa, duae *tubae* sacrae, et *vestes sacerdotales*, imo etiam *liber Legis*, de ipsa Roma postea, per Euangelium receptum, triumphaturus: sed, quod singulare est, nulla fit *arcae* mentio. Adservatur adhuc hoc monumentum Romae; De hisce vero *spoliis* Templi exstat elegans Cl. Relandi libellus. *Alterum* est, in triumphum fuisse actum famosum illum *Simonem*, Goriae filium, laqueo cinctum, quo, primum

caeſus, dein jugulatus eſt: ut et Johannes Leviae Joſ. B. J. VII. 2. *Secundum* eſt, Judaeam fuiſſe a Veſpaſiano divenditam, Judaeos ab Hieroſolyma inhabitanda prohibitos, Emmaunte, 60 ſtadiis inde diſtante, ipſis conceſſa, denique *didrachma*, tributum ſacrum Templo pendi ſolitum, in Templum Jovis Capitolini inferre juſſos eſſe; ut, praeter Joſ. B. J. VII: 6. etiam Xiphilin. tradit in Veſpaſiano. Quod tributi genus, tanquam ignominioſum, Nerva quidem ſuſtulit, ſed ſub Trajano et Hadriano, cum denuo rebellaſſent, renovatum eſt, vid. Noris. Cenot. Piſ., deinceps ſub Caeſaribus Chriſtianis abrogatum. 3. *Tertium* exhibet reliquarum civitatum et caſtellorum, quae ſupererant, expugnationem. Herodion, ex. gr. et Machaeruntem ultra Jordanem ſubjugavit Lucilius Baſſus, et Maſſadam, omnium munitiſſimum fortalitium, quod Herodes M. in ultimum refugium ſibi exſtruxerat, cum ſibi metueret et a populo, ne, ſe depoſito, illos, qui antea Reges fuerant, ad principatum reduceret, et a Cleopatra AEgypti, ipſius neci intenta, ut regnum Judaeorum ab Antonio acciperet, Joſ. B. J. VII: 6. Publius Sylva, Baſſi in procuratione Judaeae ſucceſſor: ubi Judaei tremendum deſperationis dederunt ſpectaculum. Obſeſſi enim, inſtigatione Eleazari, eorum ducis, e poſteris Judae Galilaei, et potentiſſimi ſicariorum, numero 960, ad incitas redacti, ne in manus Romanorum inciderent, poſtquam uxores cum liberis, inter teneros amplexus, occidiſſent, ſe mutuo trucidarunt ad unum omnes; una anu, et alia foemina docta, et ſapiente, cognata Eleazari, cum quinque pueris, quae ſe in latebris abſconderant, relictis ſuperſtitibus, quae Romanis arcem vacuam tradiderunt, Joſ. B. J. VII: 8.

§. DLIX. De ſtatu Judaeorum, deſtructa Rep., in Cananaea, et exteris regionibus, antequam agam, nonnulla de rebellione eorum, et ulteriore excidio ſub Trajano et Hadriano, inſtar adpendicis, ſubtexenda ſunt; eo magis quod pro ſuperioris calamitatis conſequente haberi poſſit, et excidium

cidium reip. tunc fuerit consummatum, praedictio quoque Christi Matt. XXIV. et Luc. XXI. perfectum nacta inplementum. Quo etiam Tubicinium *primum* Ap. VIII. ex mea hypothesi pertinet, uti in *Methodo Prophet.* observavi. Hierosolyma quidem per Titum fuit destructa, et Judaei sunt profligati; sed in eum non redacti statum, ut animis conciderint, nova molimina ad res suas instaurandas omiserint: intermissum quidem aliquandiu fuit eorum cum Romanis bellum, sed non finitum, quin summis viribus, et incredibili furore, a Judaeis resumtum sub finem Trajani, occasione defectionis variorum populorum, a Trajano devictorum, satis favente, ut videbatur, captata. Utique Alexandriae, et per totam AEgyptum, Cyrenaicam ac Libyam, velut a *violento quodam et seditioso daemone correpti Judaei*, ut inquit Euf. H. E. l. IV: 2., adversus Graecos, Romanos, et indigenas, horrendum concitarunt tumultum, duce constituto *Lucua* quodam, secundum Euf., vel *Andrea* secundum Dion. Caff. l. LXVIII. c. 32. quae ejusdem viri diversa videntur nomina, prius Lat. *Luculli*, posterius Graecum *Andreae*; terribiliter, quin diabolice, ubique grassati, et promiscua caede saevientes, carnes quoque caesorum dentibus laniantes, et sanguine se lavantes, multos a vertice ferris dissecuere medios, multos objecerunt bestiis, multos inter se certare coegerunt: ita ut interierint hominum ad ducenta viginti millia. Similia patrarunt in AEgypto, ut et in Cypro, duce Artemione, ubi pariter desiderati sunt hominum ducenta quadraginta millia. Vid. Dion. Caff. l. c. Hinc natum est bellum intestinum, dum incolae arma contra eos sumserint, magna et multa cum caede, in primis Judaeorum, gestum; donec Trajanus per Marcium Turbonem Judaeos represserit, infinito eorum numero occiso; sicut per Lucium Quietum fecit in Mesopotamia, ubi eodem modo grassabantur Judaei, Euf. l. c.

§. DLX. Ultimus denique Judaeorum conatus ad libertatem, cum Hierosolyma, recuperandam sese exseruit sub

 Adriano,

Adriano, sed qui ipsis fatalis fuit, et reliquis conaminibus finem inposuit. Vid. Dion Cass. l. XXXIX. et Eus. Hist. Eccles. l. IV: 6. Occasionem rebellionis, et belli, cum Romanis in Judaea gesti, praebuit, secundum Dionem, quod Adrianus coloniam Romanam Hierosolymae condiderit, et urbem, ibi exstructam, nomine *AEliae Capitolinae* insigniverit, Templo quoque in loco prioris destructi exstructo, ac Jovi Capitolino consecrato. Sed Spartianus inde repetit, quod Judaeis fuerit ab Adriano interdictum *mutilare genitalia:* sed neutrum fortasse per omnia verum fuit. Judaeos fieri potuit vetasse, sicut postea etiam ab aliis Inperatoribus factum est, sed Judaeis ipsis nusquam legitur circumcisio vetita; prius vix cum Eus., Hieron. et aliis Script. Eccles. conciliari poterit, quippe qui tradunt, factum demum illud ab Adriano fuisse post hoc bellum confectum; accedit, ipsum App. in Syr., ubi de Hierosolyma a Pompejo capta agit, adserere, urbem dein a Vespasiano, et *nostra aetate*, inquit, rursus ab *Adriano* dirutam esse: quod Eus. et alii confirmant. Fieri tamen potuit, ut Hierosolyma, a Tito destructa, aliquatenus fuerit reaedificata, et a Romanis inhabitata, ac idolis consecrata; adeoque Judaei ad bellum fuerint excitati ad remp. instaurandam, et Hierosolymam sibi vindicandam, ducem nacti strenuum. Quicquid hac de re sit, illos in apertum bellum cum Romanis ruisse constat, ut regnum et religionem suam renovarent, ab aliquo Pseudo-Messia, qui se ducem praebuit, excitatos. Ipse nomen sumsit *Barcochebae* q. d. filium stellae: ut se esse jactaret sidus e coelo lapsum, *stellam* illam Jacobi, cujus meminit Bileam, ad Judaeis, aerumnarum mole oppressis, lucem et libertatem adferendam, ut Eus. tradit; quod nomen postea a Judaeis, ignominiae causa, fuit flexum, pro more suo in *Cozeb*, vel *barcozeba*, quasi dicas mendacem, et filium mendacii.

§. DLXI. Successit ipsis quidem rebellio in initiis, caedes et rapinas quaquaversum circumtulerunt, arces 50, et vicos

vicos nobilissimos 980, occuparunt, teste Dione, in locis subterraneis, quae excavaverant, tanquam refugiis, latitarunt, Bitterem, aut Bethoron, urbem munitam prope Hierosolymam, occupatam tenuerunt, ipsam Hierosolymam Romanis eripuerunt, uti Script. Christiani tradunt, silente Dione; et inde firmatur, quod, ut modo notavi, Hierosolymam dein funditus destruxerit Hadrianus. Tuiti sese quidem sunt contra Tinnium Rufum, tunc Judaeam gubernantem, licet non sine ingente suorum caede, sed a Julio Severo, e Britannia, quam regebat, in Judaeam ab Adriano misso, tandem, post grave et diuturnum bellum, victi, et prostrati sunt, Bittera expugnata, et duce eorum capto ac occiso. Duravit bellum duos annos, ab ann. Adriani 16*to* aer. V. 133 ad 18*vum*, sed secundum traditionem Judaeorum duravit 3 ann. et dimidium, secundum Hieron. ad Dan. V: 2. vel 3 ann. *Caesa sunt*, inquit Dion Cass., *in excursionibus proeliisque, quingenta octoginta millia; eorum autem, qui fame, morbo et igne interierunt, indagari multitudo non potuit; ita ut omnis pene Judaea relicta sit deserta.* Sed et Romanorum perierunt magno numero, ita ut Hadrianus, ad Senatum scribens, non ausus fuerit, eodem autore teste, hoc, pro more, uti exordio: *si vos liberique vestri valetis, bene est, ego quidem et exercitus valemus.* Praeterea superstites Judaei fuerunt in foro Terebinthi dicto venundati, instar jumentorum, Hieron. ad Jer. XXXI. alii alibi terrarum, Chron. Alex. Praeterea vetere urbe funditus deleta, ne lapide quidem super lapide relicto, nova in proximo quidem, sed non eodem, loco condita aut reaedificata, cum Templo Jovi Capitolino dicato, et *AElia* ab Hadriano, seu AElia *Capitolina* a Jove, adpellata, ac Gentilibus data est incolenda, Judaeis omni aditu edicto Caesareo interdicto, et porci figuram habente statua marmorea portae inposita; licet postea ipsis semel per annum, quo die combusta erat per Romanos, concessum fuerit urbem visitare, et lugere: ut Hieron. in Tseph. tradit. Narratur quoque in

Itinerar. Hieroſ. Judaeis quotannis eo veniſſe, lapidem pertuſum unxiſſe, et lamentaſſe, ubi Vid. Cl. Weſſeling. Nomen autem AEliae diu retinuit nova urbs, poſtea, a tempore Conſt. M. inprimis, Hieroſolymae renovato. Vid. etiam Valeſ. ad Euſ. l. c.

§. DLXII. Subjungenda nunc pauca reſtant de ſtatu Judaeorum in Cananaea, et extra eam, in primis poſt deſtructam Rempublicam. Ubi ante omnia notandum eſt, Judaeos ab eo tempore fuiſſe in *Occidentales* et *Orientales* diviſos, cum hi ſeſe ab illis ſeparaverint. *Orientales* in initio adpellati ſunt, qui Aſiam orientalem, Babyloniam, Aſſyriam et Perſiam incoluerunt, *Occidentales* qui per Inperium Romanum fuerunt diſperſi: ſed deinceps orientalibus ſunt accenſiti per AEgyptum et Judaeam, et Occidentales in ſpecie dicti, per Inperium Romanum occidentale. Ceterum *Occidentales* habebant ſuos Patriarchas, Tiberiade reſidentes in Palaeſtina, qui alios habebant ſibi ſubjectos, ditiones ſuas adminiſtrantes, dictos Primates, Archiſynagogos et Preſbyteros, praeterea alios dictos *Apoſtolos*, qui delegati erant, in primis ad aurum coronarium colligendum, tributum ſcilicet Semi-cycli. *Orientales* quoque principi ſuberant, qui Babylone primum reſedit, et Aichmalotarcha, ſeu princeps exilii, vel captivitatis, dictus eſt. Quod vero adtinet ad Judaeos in AEgypto degentes, habuerant ſub Lagidis ſuum Ethnarcham, teſte Strab. apud Joſ. Ant. XIV: 7. nec non ſub Romanis uſque ad Auguſtum; cujus juſſu *Senatus* Judaicus, loco Ethnarchae, conſtitutus eſt, vid. Phil. in Flaccum; e cujus membris inſigniores, qui communi Gentis praeerant, adpellati ſunt Archontes, quorum officium erat, gentilium ſuorum rebus proſpicere, judiciis praeſidere, et commerciorum gerere curam. Sunt quidem Docti, ut Valeſ. ad Euſ. H. E. l. II. et Rhenferd. in Diſſ. de Arabarcha, qui putant, Alexandrinos retinuiſſe ſuos Ethnarchas, nomine Alabarcharum inſignitos; ſed ſine ullo fundamento; fuerunt autem illi, ſi *Alabarcha* ſcribatur,

ſcripturae

ſcripturae magiſtri, et vectigalium collectores, ἀλαβα enim dicit *atramentum*, ſed, quod veriſimilius, ſi *Arabarcha* ſit verum nomen, eo venit praefectus parti AEgypti, quae νομος Nomus *Arabiae* adpellatur. Vid. Cl. Weſſeling de Archontibus.

§. DLXIII. Reſtat de fatis Judaeorum in exteris regionibus hujus et ſuperioris periodi, pauca addam. Quantopere fuerint ſub Cajo Caligula adflicti in AEgypto, cui tunc praeerat Avillius Flaccus, ex Philone in Flaccum, qui adflictionem, ſatis terribilem, fuſe deſcripſit, conſtat: incepit quidem inpetus a vulgo, ſed permittente, et dein omni ope juvante Flacco; qui brevi poenas dedit, a Cajo citatus, et in exilium miſſus.

§. DLXIV. *Philonis* nomen cum illuſtre ſit per Scripta, quae ſuperſunt, et ipſe gentem ſuam Alexandriae, ac in AEgypto, illuſtraverit, ac ſublevare conatus ſit, brevis ejus danda hic eſt notitia, fuſius ex aliis, ſatis notis, in primis Fabricio B. Gr. l. IV. c. 4. facile petenda. Philo e ſacerdotali Judaeorum ſtirpe oriundus, patria Alexandrinus, Alexandri Alabarchae, vel Arabarchae, de quo titulo modo dixi, frater, ſub Cajo et Claudio maxime floruit, ſed jam tum aetate provectus. Cum Judaei Alexandrini, quod a Caji, tanquam Dei, adoratione ſeſe, forte cum aliqua inſolentia, praeſtarent alienos, a plebe Alexandrina, tumultu ſuſcitato, inpeterentur, et diriſſima quaeque paterentur, Flacco, AEgypti praefecto, primum connivente, dein etiam, Judaeos peregrinos declarando, opitulante, quam adflictionem Philo ipſe prolixe depinxit in libro contra *Flaccum*, oratorie magis quam ſecundum exactam veritatem, Philo cum paucis popularibus, Flacco quidem ſede a Cajo moto, ſed vexatione nondum ceſſante, Romam a. aer. V. 40. tetendit, ut cauſam gentis ſuae contra Apionem, eundem, quem Joſephus libr. contra Apionem refutavit, qui cum nonnullis Graecis quoque Romam fuit miſſus, calumniatorem et hoſtem Judaeorum infenſiſſimum, ageret coram

Cajo Caligula, ad jus civitatis et proſeucharum recuperandum, vel retinendum. Nihil quidem a Cajo, contra Judaeos, quod eum pro Deo agnoſcere recuſarent, nimis occupato, impetravit, praeſtitit tamen hac in re ſeſe ſapientem, et in fide ac virtute conſtantem. Venit dein altera vice, ſub Claudio, Judaeis faventiore, Romam, ut Joſ. Ant. XIX: 5. tradit, ſed quid ibi egerit non conſtat. Euſ. H. E. II. et Hieron. de Script. Eccleſ. quidem referunt, eum cum Petro Apoſtolo ibi eſſe locutum, et amicitiam contraxiſſe, imo Photius Bibl. cod. 105 addit, eum Chriſtianum factum eſſe, et poſtea prae aliqua indignatione ad Judaiſmum rediiſſe. Quae narratiunculae nullo nituntur fundamento, et vel inde refutantur, quod Petrus tam cito Romae non fuerit, ut poſtea ſuo loco patebit. Origo forte inde eſt repetenda, quod per Therapeutas, a Philone laudatos, intellexerint Chriſtianos. De quo poſtea.

§. DLXV. Inter Scripta Philonis, quae noviſſime et ſplendide junctim prodierunt, cura Mangey, cum notis, in Anglia, et a Fabricio ordine ſunt recenſita, eminent, quae ad noſtrum inſtitutum propius ſpectant, hiſtorica ejus, uti *contra Flaccum*, et de *legatione* ad Cajum; nec non de eo, *quod omnis probus liber ſit*, ubi Eſſaeos, activam degentes vitam, depingit, quorum multi, ut tradit, in Palaeſtina et Syria degerunt; denique *de vita contemplativa*, ſive viris et foeminis, contemplativam ac ſolitariam agentibus vitam, quos *Therapeutarum, et Therapeutridarum*, nomine inſignitos fuiſſe tradit, quatenus animae medicinam, una cum corporis, profiterentur. Quos Chriſtianos fuiſſe, multi, ſed falſo, contendunt. De quo alibi ſuo loco. Ceterum, ut ex reliquis Philonis Scriptis, et aliunde patet, ſicut Platonicae ac Pythagoricae philoſophiae, cum Orientali conjunctae, adeoque *eclecticae*, ut tunc in uſu erat, fuerit deditus, et ejus callentiſſimus, ita ut alter, vel Judaicus, Plato fuerit adpellatus, ita allegoricas V. T. interpretationes ubique ſectatus eſt, et viam ad Philoſophiam, cum religione ac fide

Moſaica

Mosaica commiscendam, ac mysticam Script. S. interpretationem stravit, quae deinceps Christianis tantopere placuit, praecipue Origeni. Quo etiam opus ejus, cui titulus, *interpretatio nominum Hebraicorum in lege et Prophetis*, tendit, quo ea non tam exponuntur, quam in sensus allegoricos torquentur: parvi itaque pretii, nisi quod Veterum Christianorum multis locis ac allegoricis explicationibus lucem inspergant.

§. DLXVI. Sub Claudio, *inpulsore Chresto*, teste Suet. in Claudio, *adsidue tumultuantes Judaei Roma expulsi sunt*; cujus mentio etiam exstat Act. XVIII. tacente licet Josepho: ubi *Christum*, Dominum nostrum, non intelligi, quod multi putant, sed caput aliquod seditiosorum, postea in hist. Eccles. Christiana demonstrabo. Hic notasse suffecerit, simili de causa Judaeos sub Tiberio fuisse urbe ejectos, Jos. Ant. XVIII: 3. Nebulo enim aliquis Judaeus, patria ob scelera profugus, Romae interpretem Legis agens, Fulviae, nobili foeminae, Legem Mosaicam amplexae, persuaserat, ut purpuram et aurum in Templum Hierosolymitanum mitteret. Quae dona ipse, cum tribus sociis, in suos verterat usus. Propter hanc quatuor tantum hominum nequitiam, inquit Josephus, Judaei sunt a Tiberio civitate ejecti. Denique, ut in Babyloniam transeamus, circa idem fere tempus magna iis accidit illis in locis calamitas, a Jos. Ant. XVIII: 9. descripta, occasione duorum fratrum, Asinaei et Anilaei; qui, origine Neardenses, velorum conficiendorum artem addiscentes, et a Magistro verberati, quod tardiuscule venissent, levi hac de causa arma sumserunt, et haud exigua juvenum, ad egestatem redactorum, aliorumque collecta manu, latrocinia exercere coeperunt, adeo ut terrorem quaquaversum omnibus incusserint, et Parthorum regem in se concitaverint: contra cujus ducem sese egregie tuiti sunt, adeo ut, clade ipsi inflicta, fuerint ab ipso Rege Artabano ad societatem, venia ipsis data, admissi. Ex quo autoritas et potentia eorum in istis re-

gionibus valde crevit, ipsique feliciter admodum egerunt per annos quindecim: quando ad luxuriam conversi et superbiam, ac discordes facti, sibi exitium pepererunt, et Judaeis ingentem crearunt calamitatem. Asinaeo enim a muliere Parthica, ducis alicujus Parthorum uxore, quam libidine incitatus uxorem duxerat Anilaeus, marito, eum adorto, in pugna occiso, veneno sublato, quia ab Asinaeo, a Judaeis contra maritum incitato, quod mulierem alienigenam, et idololatriae adhuc studiosam, duxerat, sibi et marito metuebat, Anilaeus, a Mithridate, viro primario inter Parthos, cujus regiones depopulatus erat, bello invasus, in initio quidem sese praeclare defendit, Mithridate etiam superato et capto, sed dimisso, sed deinde ab ipso, uxore ad contumeliam reparandam excitante eum, denuo invasus, victus ac fugatus est; mox a Babyloniis, in quorum vicos inpressiones faciebat, inproviso cum suis, somno crapulaque gravatis, oppressus est ac interfectus: quando Judaei, in quos inpetum quoque fecerunt Babylonii, coacti fuerunt inde migrare Seleuciam, a Seleuco conditam, et a Macedonibus, Graecis ac Syris, inhabitatam, et per quinquennium pacate degerunt; donec et alii Judaei, peste Babylone grassante, eo inde se contulerint, quando in magnam inciderunt calamitatem. Graeci enim, cum Syris passim discordes, antea superiores, nunc per Judaeos, cum Syris facientes, inferiores, Syris se reconciliarunt, et persuaserunt, ut, unitis viribus Judaeos adgrederentur: quo factum est, ut, conspiratione in eos facta, supra 50 millia Judaeorum Seleuciae occiderint, reliqui, qui amicorum aut vicinorum misericordia evaserant, inde aufugientes, secesserint Ctesiphontem, Seleuciae vicinam, et deinde, cum nec ibi tuti essent, Nisibin ac Neerdam, loca munitiora, ac a viris suae gentis bellicosis inhabitata. Ceterum Neerdae fuit Judaeorum Academia, unde Syr. נאר-דעא *flumen scientiae* dicta est. Dictis de statu Judaeorum extra Cananaeam in genere subjungo, eos, qui bello cum Romanis se non inmiscuerant,

benigne,

benigne, poſt tot bella et certamina, fuiſſe tractatos a Veſpaſianis, et contra hoſtes defenſos, ſervatis eorum privilegiis, ut Antiochiae, Alexandriae et alibi: ſicut Joſeph. alieno loco expreſſe adſeruit Ant. l. XII. c. 3.

§. DLXVII. Hiſtoriam Judaicam, ad finem perductam, antequam miſſam faciam, pauca ſubtexenda ſunt de *Agrippa Juniore*, filio Herodis Agrippae majoris, ultimi regis Judaeorum, qui fato gentis ſuae ſupervixit, et cum Tito, Hieroſolyma deſtructa, Romam venit, ubi ſenex admodum obiit, ſeculo primo aer. Chriſt. ad finem vergente, ſimul ultimus fuit ſtirpis Herodiadum, quae, quam numeroſa, ſeculum non duravit, uti Joſ. Ant. XVIII. ubi genealogiam Herodis contexuit, obſervavit. Agrippa, patre mortuo, ſucceſſione in regno, praetextu minorennitatis, quidem excluſus eſt, nec tamen favore Caeſarum Romanorum penitus excidit. Donatus enim a Claudio fuit regno Chalcidis, fratris Agrippae majoris morte vacuo, praeterito Ariſtobulo, filio Herodis Chalcidis: accepit quoque ſupremam curam ſtolae Pontificalis, et theſaurorum Templi, cum poteſtate creandi Pontificem, ſicut Herodes Chalcidis, patruus ejus, habuerat, et uſque ad finem reip. Jud. retinuit, Joſ. Ant. XX. et Tacit. H. V. ſed quadriennio poſt, loco iſtius regni, in poſſeſſionem tetrarchiae Philippi defuncti, filii Herodis M., inmiſſus eſt; cui Nero adjunxit partem Galilaeae prope lacum Genezareth. Hieroſolymam, quam frequens viſitavit, ornavit quidem, ſuperbo etiam ſtructo palatio, nec tamen Judaeis ſemper gratus fuit, etiam propter ipſum illud palatium, quod Templo inminebat, et unde quicquid ibi gerebatur inſpici poterat, alioſque ſumtus nimios. Bellum cum Romanis fruſtra conatus eſt praevenire, Judaeos quoque, eo durante, incaſſum ad ſe iis ſubjiciendum, hortatus eſt. Exciſa urbe, cum Berenice ſorore, ſed quacum inceſtuoſe vulgo exiſtimatus eſt conſueviſſe, cujus utriuſque mentio eſt Act. XXV. Titum Romam comitatus eſt, ejus ſingulari favore gaviſus, etiam cau-

sa Berenices, pulcherrimae foeminae, in cujus amores adeo exarserat Titus, ut eam uxorem ducere cogitaverit. Haec vero Berenice nupta primum fuerat Herodi Chalcidis, patruo ejus, dein, eo mortuo, Polemoni, Ciliciae praefecto, vel regi, ejus causa circumciso, et Judaeo facto; quem ob libidinis intemperantiam, ut ferebatur, brevi deseruit; quando et ipse professioni Judaicae renunciavit, Jos. Ant. XX. Ceterum, ut id obiter observem, regni Chalcidis duae fuerunt praecipuae partes, *una* campus Marsyae, inter Libanum et Antilibanum, ubi duae urbes, Heliopolis et Chalcis, *altera* montanum Marsyae, quod ultra Antilibanum ad Ituraeam usque protensum fuit; quae montana Marsyae, et Ituraeorum, contigua fuerunt, teste Strabone, habitata ab Ituraeis et Arabibus, maleficis omnibus. Ituraea vero et Trachonitis, Philippi Tetrarchiae subjectae, fuerunt vicinae, nec longe ab agro Damasceno remotae, Trachonitis, ei propior, et Ituraea Arabibus propinquior. Vid. Cl. Burmann. in Conjectan. ad Luc. III: 1. insertis Harmon. Euang. tom. I., ubi etiam de Abilene, in parte australi Libani ac Antilibani, praeclare disseruit. Nobis non licet esse prolixioribus. Quare Prophetias V. et N. T. de tremendo hoc Reip. Judaicae excidio, bene multas et claras, quoque proferre supersedeo, eo magis, quod in libello de *Methodo Prophetica* de iis egerim.

§. DLXVIII. Superest, ut *Josephi* historici, qui in bello cum Romanis partes habuit, et gentis suae fato quoque supervixit, cujusque nomen in historia Judaica est celeberrimum, notitiam aliquam subjungam, sed paucis, cum, quae ad ejus vitam et scripta pertinent, fusius sint ab aliis, inprimis Fabricio in Bibl. Gr., tractata. Ipse quoque vitam suam conscripsit, quae in operibus ejus superest; unde pauca, sed generalia, excerpam, et exstantiora. Sicut genere fuit illustris, per patrem Matthiam ex stirpe Sacerdotali, eaque prima classe, inter 24 illas, quae erat celebrior, et per matrem ex Assamonaeis, qui Pontificatum, et regnum diu

diu obtinuerunt, ita eruditione, gestis et scriptis, sese celeberrimum reddidit. In scientia legis tantos jam, 14 annos natus, fecerat progressus, ut pontifices et primores populi ipsum adierint, ut de penitiore legum sensu certius quid cognoscerent. Deinde sectis Pharisaeorum, Sadducaeorum; ac Essenorum, perlustratis, et eo scopo, in contubernio alicujus Bani, severioris vitae institutum in deserto sectatus per triennium sese sectae Pharisaeorum, annos 19 natus, adplicuit: cui etiam per omne tempus adfixus mansit, ita tamen, ut longe fuerit moderatioris animi, nec alios ad religionem cogi voluerit, statuens, ut §. 23. in vita sua dicit, *quemque ex animi sui voluntate oportere Deum colere, et non ad id faciendum cogi.* Roma, quam in gratiam nonnullorum sacerdotum, qui jussu Felicis praesidis, levem ob causam, eo vincti erant missi, adiit 26, ut textus habet, vel 21, natus annos, uti ab aliis emendatur, quibusque libertatem non tantum, per Mimum quendam Judaeum, Neroni gratum, sed et favorem Poppaeae, uxoris ejus, sibi acquisivit; in patriam redux, Judaeos, ad bellum cum Romanis, ut in libertatem se vindicarent, jam paratos, ab eo proposito omni modo absterrere quidem conatus est, malis inde eventuris ipsis ob oculos positis, sed cum nihil non tantum efficeret, verum et ipse in suspicionem collusionis cum Romanis veniret ac vitae discrimen, volens nolens bello inplicitus, missus est anno aetatis 30*mo*, summa vestitus potestate, in Galilaeam ann. aer. V. 67*mo*, utriusque Galilaeae rector; ad res ibi turbatas in ordinem redigendas, et Romanis resistendum.

§. DLXIX. Praestitit sese in eo virum, in re bellica peritum quidem et strenuum, sed simul prudentem. Jotapatam, a Flavio Vespasiano oppugnatam, aliquandiu fortiter defendit, ea occupata ann. AEr. V. 67, e latibulis, quibus sese occultaverat, extractus venit vivus in manus Vespasiani: ac in vincula conjectus est, donec inperium ipsi et Tito, ejus filio, secundum vaticinium tunc vulgatum, de *Inpera-*

tore ex Oriente futuro, ad ipsum adplicitum, de quo supra suo loco egi, praenunciasset, quod mox fecerat ab illis captus, l. III. c. 21. illudque post biennium inpletum esset: quando, catenis securi fractis, ut moris erat si quis injuste erat vinctus, libertati non tantum est redditus, uti refert de B. J. l. IV: 10. sed et Inperatoris, in primis Titi, singularem nactus est, et retinuit semper, favorem; ex quo, nomine Flavii adoptato, adpellari coepit *Flavius Josephus*, et civitate donatus est Romana. Praestitit sese quoque Tito in obsessione Hierosolymae fidum comitem, simul populo suo, quantum pote, amicum; obsessos ad meliorem mentem studiose, licet incassum, adhortando, amicis vero et notis, a Tito captis, libertatem inpetrando. Tuitus denique se est contra aemulos et hostes suos feliciter, et in Vespasiani, ac Titi, etiam Domitiani continuavit favore; Romae versatus donec vitam ibi finiverit haud diu post 13*tium* Domitiani annum, quo Libros Antiquitatum absolvit, qui est annus aetatis ejus 56*tus*, aer. V. 93; natus enim est ann. 1*mo* Caji Caligulae, et post quem libros contra Apionem conscripsit.


§. DLXX. Inter scripta ejus, quae aetatem tulerunt, et novissime, cum variis adpendicibus, cura Havercampii, prodierunt, ut alias mittam editiones, primum ordine temporis locum tenent septem libri *Belli Judaici*, durante inperio Vespasiani scripti, ipsi quoque, ac Tito, et Agrippae Regi, aliisque, qui bello interfuerant, oblati ac comprobati, ut ipse refert in *vita* §. 65. Conscripserat quidem primum lingua *patria* in usum tribulium, et qui Graecam non callebant, ut in *prooemio* dicit, sive potius Syro-Chaldaea, tunc usitatiore; utriusque utique censendus est fuisse peritus, qua Judaeus et Sacerdos, qui *Antiquitates* Judaeorum, ut mox dicam, ex lingua Originali Script. S., et non tantum ex Graeca versione, composuit: de quo consuli possunt Usserius in Epistolis, et H. Hody de *Bibl. text. Origin.* l. III. dein in Linguam Graecam transtulit, cujus

quoque

quoque fuit peritus, licet minus recte pronunciare valuerit, ut ipse testatur Ant. XX. Latine autem progressu temporis vertit Ruffinus Aquilejensis, et audacius, qui sub nomine Ambrosii latet, de quo postea suo loco, et Hegesippi nomine, ex *Josippo*, Josepho, corrupto. Secundum merentur locum Libri 20 *Antiquitatum* Judaeorum, historiam populi Judaei, ab Orbe Condito usque ad 12*mum* Neronis, seu initium belli Judaici, complexi, et lingua Graeca conscripti; quibus ipse subjunxit librum de *vita sua;* ut Ant. XX. testatur; in quo multa quoque refert, ad historicos suos libros complendos, vel illustrandos, pertinentia. Quibus a. aer. V. 93 absolutis, denique duos exaravit libros contra Apionem Alexandrinum, qui Judaeos tanquam recentem populum, Graecis scriptoribus ignotum, et nullius frugis, traduxerat, quem prolixe refutat, et ea occasione varia profert Veterum de Judaeis testimonia, simul Judaeorum religionem defendit, et illustrat. Mitto alia opera, ipsi a nonnullis adscripta, ut ex. gr. *Sermonem* de *Imperio rationis*, in laudem septem Maccabaeorum, celebrium sub Antiocho Epiphane, una cum Patre et matre, martyrum legis et religionis patriae; qui libellus a Veteribus Josepho tributus, nescio num ejus sit. MSS. libri inmane quantum differunt, et in quibusdam Cod. Graecis Bibliorum titulo *libri quarti Maccabaeorum* reperitur.


§. DLXXI. Josephus licet ipse, in prooemio et l. X. Ant., studium veritatis praeferat, sesеque e sacris libris Mosis, et Prophetarum, historiam suam studiose composuisse testetur, a Veteribus quoque, et multis Recentioribus Christianis, hac parte fuerit laudatus, negari tamen nequit, eum sibi subinde nimis indulsisse, varia tacendo, vel addendo, vel in perverso ponendo conspectu, sive traditiones consuluerit Pharisaicas, sive ingenium suum secutus sit, sive etiam Gentibus placere, aut eorum offensiones vitare, voluerit, quo pertinet, quod miracula extenuet, et saepe subjungat, *sed de his, ut cuique libet, ita sentiat:* quae exem-

plis demonſtrare poſſem, licet nonnulli errores non ipſi, ſed librariis, ſint adſcribendi. Attamen, his non obſtantibus, mihi Talmudicis non tantum longe praeferendus, ſed et in genere pro fideli et utiliſſimo ſcriptore habendus, videtur, praecipue in rebus, quae poſt libros canonicos contigerunt, et ſub Maccabaeis: modo judicium ubique criticum adhibeatur, et cum libris Maccabaeorum, etiam cum ſe ipſo (videtur enim in lib. de B. J. et Antiq. ſubinde diſſentire) conferatur. Qua ratione erga Chriſtum, et Chriſtianos, ſe geſſerit, ſuis locis tradam. Aliorum judicia, magis minuſve favorabilia, apud Fabricium, et alios, obvia, praetereo.



HISTORIAE ROMANAE SCHEMA

A
PRIMORDIIS INPERII
USQUE AD FINEM
SEC. I.

§. DLXXII. Nperii Romani, hoc tempore ad summum evecti fastigium, quo majus, illustrius, ac mirabilius Orbis non habuit, cujus ad populum Judaeum, simul Christianum, arctissima est relatio, generale, sed brevissimum, aliquod Schema historiae Judaicae finitae subnectere, et Christianae praemittere, apto itaque loco, visum est. Quod licet non necessarium, cum haec historia soleat esse notior, forte nonnullis Lectoribus non erit inutile, aut ingratum. Repetam vero illud a primordiis inperii, et ad finem primi seculi Christiani hic deducam, ex autoribus, qui res Romanas litteris consignarunt, nemini non notis, sed, brevitatis ergo, non citandis, absque ut omnium singulorum casuum aut factorum, quorum aliqua antiquiorum temporum, vel incerta sunt, vel et falsa, veritatem praestare velim, aut in illud inquirere. De antiquis Italiae populis, et Romanorum origine ab AEnea, exule Trojano, in Italiam fugiente, et regnum ibi fundante, cum necessaria adduxerim in superioribus, Period. V*ta*, Inperii fata et gesta levidensi brachio perstringam, initio ab inperio Regio sum-

to, quod per sex vel septem successiones fuit devolutum, spatio 245 annorum. 1. Primus Rex *Romulus*, Roma condita, eam incolis, asylo constituto, replevit. Ludis Consualibus, Neptuno equestri sacris, 783 Virgines Sabinas, a populo suo ducendas in ejus multiplicationem, rapuit, indeque ortum bellum ita composuit, ut urbs ab utroque populo incoleretur. Victas civitates non delevit, sed partim de civibus misit, qui eas cum propriis civibus possiderent, unde *coloniae* sunt dictae, partim eas jure civitatis Romanae donavit: quae incrementi Romae haud minima fuit causa. Praeterea civitatem legibus instruxit, Senatum instituit, et militiam probe curavit. Hic tantus vir, qui Romani imperii prima, et solida, jecit fundamenta, incerto exitu e medio sublatus, dein inter Deos est relatus. Tribui ipsi solent anni 37.

§. DLXXIII. 2. *Numa Pompilius*, *religiosus* dicendus, civitatem, simul religionem, ordinavit, autoritate quoque legibus conciliata per Egeriae Nymphae praetensam familiarem consuetudinem: annum quoque in menses descripsit, et inter Romanos ac Sabinos sustulit distinctionem. Regnasse fertur ann. 43. 3. *Tullus Hostilius*, *Bellatoris* titulo insignis, militiam adcuratius ordinavit, Albam diruit, incolis Romam translatis, de Sabinis ac Fidenatibus triumphavit, Urbemque Caelii montis accessione auxit. Fulmine ictus cum familia periisse fertur, cum ann. 32 regnasset. 4. *Ancus Martius*, Pompilii nepos, Latinos superatos Romam traduxit, Ostiensem condidit coloniam, Tiberi ponte juncto. Tribuuntur ipsi ann. 24. Successit 5. *Tarquinius Priscus*, pompae autor, e Graecia Romam delatus, et Anci filiorum tutor regnum dolo cepit, numerum Senatorum et Tribuum amplificavit, urbemque muro latericio cinxit, circo, aliisque ludis, ornavit, Hetruscos et Sabinos superavit. Caesus ab Anci filiis est, cum regnasset ann. 38. 6. *Servius Tullius*, *Censor* adpellatus, populum in censum retulit, in sex classes et varias centurias divisit, lustra quinque annis redeuntia

tia instituit, urbem reddidit Septi-collem, Viminali et Esquilino adjectis. De Tuscis, quibuscum vicennale gessit bellum, ter triumphavit. Denique scelesto facinore Tarquinii generi, et Serviae filiae periit, cum regnasset ann. 45. 7. Septimus, et ultimus, rex *Tarquinius Superbus* Templum, a Prisco inchoatum, perfecit, Jovi, Junoni, et Minervae sacrum, nomine *Capitolii* insignitum, quasi caput, et praecipuum Romani inperii praesidium; quod deinde Horatius Pulvillus Consul dedicavit. Sed cum Patres opprimeret, Senatum minueret, et tyrannum ageret, occasione stupri, Lucretiae a Filio intentati, regno et urbe exactus est, cum regnasset ann. 25.

§. DLXXIV. Incepit tunc status liberae Reipublicae, qui ann. 450 duravit, sed vario modo. In principio fuit Aristocraticus, cum penes solos Patricios summa esset inperii: dein formae mixtae, vel et Democraticus est factus, cujus fundamenta jecit Valerius, Poplicola ideo dictus, jure provocationis ad plebem introducto; confirmatus vero est, quando proprium Magistratum, in Tribunis plebis, accepit populus: denique ad summum venit, quum plebs Patriciis honores Consulatus et Dictaturae extorsit. Denique postremis libertatis annis, a Sylla ad Caesarem, factus est Oligarchicus, cum pauci e Patribus summam tenuerunt. Recenseamus nunc bella populi Romani, quem, vero suo conspectu, Martium adpellare licet, postquam Magistratus ejus verbo indicaverimus. Fuerunt, praeter Senatum, Ordinarii vel Extraordinarii. Ordinarii 1. Consules bini annui, qui summam domi et foris tenebant 2. Censores duo, magistri morum et disciplinae, ac aestimatores facultatum. 3. Praetores, qui civibus et peregrinis jus dicebant, distincti propterea in urbanos et peregrinos. 4. Quaestores urbani duo, qui aerarii ac vectigalium curam gerebant. 5. AEdiles, qui publica et privata aedificia curabant, et ludis praeerant. Extraordinarii fuerunt, 1. Dictator, paucorum mensium, subinde dierum, tumultus sedandi, aut rei gerendae, causa,

ne resp. quid detrimenti capiat, a Consule dictus, et suprema praeditus potestate, 2. Decemviri consulari potestate, scribendis legibus instructi, qui leges 12 tabularum condiderunt a. U. C. 302 Per. Jul. 4263. 3. Tribuni militum consulari potestate, loco Consulum, quum plebs ad Consulatum voluit admitti, plures vel pauciores, pro arbitrio plebis. 4. Triumviri reip. constituendae creati, cum vergeret in ἀναρχίαν Anarchiam.

§. DLXXV. Bella Romanorum alia fuerunt, quibus crevit, alia quibus decrevit, Respublica. Prioris generis, alia Italica, alia Extera. *Italica*, quibus Italiae inperium acquisivit Populus Romanus, sequentia sunt. 1. *Hetruscum*, cum Tarquiniis expulsis, et Porsenna, cui Latini, duce Manilio, genero Tarquinii, accesserunt, ad regnum recuperandum: conspirantibus quoque cum Juventute Romana filiis Bruti Consulis, a Patre propterea securi percussis. Narratur quoque Horatius Cocles hostem, in aditu pontis, sustinuisse solus. Finitum est, pace cum Porsenna facta, sed dein continuatum Latinum duce Manilio, sed a victoribus Romanis, Dictatore creato Posthumio Albo, finitum est, Tarquinio cedente, et haud diu post mortuo. 2. *Volscum*, contra Volscos, quorum rex erat Attius Tullus; quibus sese ducem contra patriam praebuit fortissimus juvenum Mart. Coriolanus, qui per biennium adflixit patriam, donec, a matre et uxore exoratus, ab urbe, quam obsidebat, discessit, et Volsci superati sunt a. U. C. 266, a Sicinio Consule. 3. *Vejum*, et Faliscum ac Volscum, diu varia fortuna gestum, tandem a Camillo, Dictatore creato, finitum, qui Vejentes in urbem conclusit, et cepit, Faliscos ad deditionem compulit, a. U. C. 359. 4. *Gallicum*, cum Gallis Senonibus, causa legatorum Romanorum, qui, ad Gallos, Clusium obsidentes, missi, ut eos a sociis Romanorum oppugnandis dehortarentur, eos cum Clusinis oppugnarunt, quare Galli, cum ipsis a Senatu non satisfieret, irritati, Romanos invaserunt. Quo bello ipsa urbs capta ab iis est

et incenſa, a. U. C. 363. Patribus in Capitolio per 6 Menſ. obſeſſis, illud defendente Manlio, inde Capitolino dicto, qui dein, ob regnum adfectatum, de ſaxo Tarpejo dejectus, periit. Camillus vero, ab exilio revocatus, Gallos inproviſo adgreſſus, debellavit, et Patres liberavit, alter Romulus propterea dictus. 5. *Samniticum* ann. 70, ab a. U. C. 410, continuatum, inde ortum, quod Samnites vexarent Campanos, ſocios Romanorum, quippe qui ſeſe Samnitum metu dediderant Romanis. Bis victi Samnites tandem pacem inpetrarunt. Quo in bello multi facti ſunt celebres, in primis Papyrius Curſor, Fabius Maximus, et Decius; qui ſe pro exercitu devovit. Denique 6. *Tarentinum*, occaſione praebita a Tarentinis, qui claſſi et Legatis Romanorum vim et injuriam intulerant. Quo tempore Pyrrhus, Epirotarum rex, a Tarentinis in auxilium vocatus, iis per Elephantos, quos primus ibi produxit, metum in initio incuſſit, ſed brevi ſuperatus, ac rebus ſuis deſperatis, Italiam deſeruit: quando Tarentini victi in Romanorum redacti ſunt poteſtatem, a. U. C. 481. Hoc bellum eo notabilius eſt, quod artem militarem didicerint a Pyrrho, et ad bellum extra Italiam transferendum incitati ſint, Romani, uti in bello Punico primo factum eſt, poſtquam 500 fere annos Italiae ſubigendae inpendiſſent; longe breviore tempore, 200 ſcilicet annorum, orbis inperium adepti.

§. DLXXVI. Extera bella fuerunt 1. *Punicum* primum, quod ann. 25 duravit, contra Carthaginienſes, finitum a. U. C. 512, fractis Carthaginienſibus per Duillium et Attilium, hac conditione, ut, praeter grave tributum, Sicilia, omnibusque in mare Mediterraneo Inſulis, excederent. Occaſionem belli praebuit Meſſana Siciliae, quae, a Syracuſanis oppugnata, pars ad Romanos, pars ad Carthag., auxilii cauſa, ſpectavit; ſed vera cauſa aemulatio fuit horum populorum, de ſumma inperii in orbe, terra marique, contendere incipientium. Cathagin. enim Africam jam tenebant,

bant, pleraque Hispaniae maritima, et insulas maris inferi. Quo bello confecto, Sicilia jam facta est provincia Romana, excepta ditionis Hieronis Syracusani, amici Romanorum, quae quoque prima fuit Provincia extranea. Ceterum, quod notatu dignum est, etsi Romani jam antea commercii causa sese mari commiserint, uti ex primo eorum foedere cum Carthag. liquet, apud Polyb. l. III., hoc tempore classes conficere, et navales expeditiones facere, coeperunt, adeo ut, bello hoc finito, jam fuerint θαλασσοκρατῦντες *maris Domini.* Vid. Polyb. l. I. et Flor. l. II. Florere etiam ab hoc tempore coeperunt ingenii artes, vixerunt enim circa haec tempora Ennius, Plautus, Naevius, alii. 2. *Punicum* secundum, ex indignatione, ob ademtas sibi insulas, et spe eas recuperandi, ortum, ac duce Hannibale, celebratissimo Inperatore, ingente primum successu, Romae exitium minitante, gestum, sed in fine fatale Carthaginiensibus, non sine propria eorum culpa. Initium traxit ab obsesso et expugnato Sagunto in Hispania per Hannibalem, facem quoque belli; qui inde, novo exemplo, et magno ausu, bellum in ipsam Italiam, Alpibus, magno licet labore et discrimine, nec sine damno, superatis, transtulit, terroremque Romanis, ad urbem usque, incussit summum. Vicit enim mox ad Ticinum Scipionem Coss., ad Trebiam fluvium Sempronium Longum, ad Trasymenum lacum Flaminium Coss., denique ad Cannas AEmilium, caesis plusquam 40 millibus. Forte Romam, terrore perculsam, in potestatem redegisset, si fortunae ipse non defuisset. Exercitu vero in Campania retento, et deliciis ac luxu haud parum corrupto, fortuna sese vertit. Ipse a Marcello Cons. ibi fusus est, Hasdrubal cum copiis auxiliaribus in itinere deletus est: imo Scipio Africanus, subacta Hispania, sede belli in Africam translata, mox Hannonem ducem Poenorum debellavit, Scyphacem, Numidiae regem, cepit, Numidia data Masinissae, ob praestitam Romanis operam, ipsum Hannibalem, ex Italia revocatum in patriam, devicit,

tandem

tandem Carthaginienſibus diriſſimam dedit pacem: anno belli 17*mo*, qui eſt U. C. 553.

§. DLXXVII. 3. *Macedonicum*, ejuſdem fere temporis, cum Philippo II*do* rege, libertati Athenarum et Graecorum inminente, a Flaminio ad Cynocephalas Theſſaliae profligato. 4. *Aſiaticum* cum Antiocho M., Lyſimachiam Cherſoneſi Thraciae repetente, quod ipſi peſſime ceſſit: ut in ejus hiſtoria narratum eſt ſupra ſuo loco. Accidit a. U. C. 565. 5. *Macedonicum* tertium, cum Perſeo, ultimo rege, ab AEmilio Paulo ad Pydnam profligato a. U. C. 565, capto, et in triumphum ducto. 6. *Punicum* Tertium, ex odio magis Romanorum, et deſiderio delendae Carthaginis, quam, uti praetexebatur, quod Maſiniſſam contra foedus oppugnaverint, ortum, et in excidio Carthaginis terminatum. Scipio enim AEmilianus, Africanus Junior dictus, eam circumvallavit, expugnavit, et funditus delevit, ex ſententia Catonis, poſtquam ſtetiſſet ann: 700. 7. *Achaicum*, quo Corinthus, cui Romani ob libertatem et opes invidebant, exciſa eſt per Mummium, quod ſcilicet legati Romani ibi violati eſſent a. U. 606. 8. *Numantinum* contra Numantiam, quod hoſtes Romanorum tueretur, in initio fatale et ignominioſum Romanis, ſexies victis, et ad turpem pacem faciendam redactis: qua a Senatu Romano inprobata, Scipio AEmilianus, eo miſſus, rem reſtituit, ac Numantiam delevit, civibus mutuis caedibus interfectis, a. U. 620. 9. *Cimbricum* contra Cimbros et Teutones, Germaniae populos: qui, Gallia vexata, in Romanos inpetum fecerunt, et quatuor exercitus conſulares ſub Silano, Caſſio, Caepione et Manlio, deleverunt, quando tandem Teutones, a Cimbris ſejuncti, ad Aquas Sextias ſunt devicti a Mario, et mox ab eodem Cimbri ad Vercellas, 10. *Jugurthinum* contra Jugurtham a. U. C. 643 regni Numidiae, oppreſſis Maſiniſſae haeredibus, invaſorem, turpiter geſtum a ducibus Romanis, pecunia corruptis, dein glorioſe finitum a Metello Conſ., qui illum regni finibus ex-

inde Numidicus dictus. 11. *Mithridaticum* contra Mithridatem, Ponti regem, qui, sociis Romanorum, Cappadociae et Bithyniae regibus, ejectis, Romanos adgressus est, et difficile ipsis movit bellum; donec a Sylla, belli Duce a Senatu, contranitente Mario, constituto, victus sit: de quo mox. 12. *Gallicum* contra Gallos, Germanos et Britannos, a Julio Caesare feliciter gestum eodem tempore; devicti enim ab eo sunt, et subjugati. 13. Denique *Parthicum*, contra Parthos temere, et ex avaritia, susceptum a Crasso, triumviro, quippe collega Pompeji et Caesaris: cui Provincia Syriae obtigerat, et infeliciter gestum: filio primum caeso, et ipse ex insidiis periit a. U. 698.

§. DLXXVIII. Succedant nunc quatuor illa bella praecipua civilia, quibus resp. Romana valde adflicta est, et tandem pessundata, seu in Monarchiam mutata, Marsicum, Syllanum, Catilinarium, et Pompejanum. 1. *Marsicum*, seu sociale, a sociis Romanorum cum ipsis gestum, ob jus civitatis sibi negatum; sed cum Romani, duce Pompejo, ipsos separatim adgressi, superassent, finitum est, jure civitatis concesso, a. U. C, 666. Perierunt autem in bello multa millia juventutis Italicae. 2. *Syllanum*, inter Syllam et Marium, causa praefecturae belli cum Mithridate, magna saevitia utrinque gestum; tandem Sylla, una cum Pompejo, superior, et Romae creatus Dictator, ingentem civium numerum spatio biennii interfecit: quando dictaturam abdicavit; a. U. 671. 3. *Catilinarium*, a Salustio fuse descriptum, a Catilina, conspiratione in Patres, suscitatum, sed, ope Ciceronis urbe ejecto, et ab Antonio oppresso, terminatum est, ac socii, jussu Ciceronis Cons., supplicio sunt adfecti. 4. *Pompejanum* inter Pompejum et Caesarem, de supremata contendentes. Postquam Pompejus, Crassus et Caesar, triumviratum per 10 annos gesserant, Crasso mortuo, Pompejus, tempus adesse ratus, quo Caesarem de gradu dejiceret, effecit, ut Caesaris absentis, licet reip. causa, nulla haberetur in petitione Consulatus ratio, sancitum-

que

que sit, ut, si *vellet Consul fieri, more majorum veniat et obeat comitia.* Quo facto Caesar, summa usus celeritate, bello rem est adgressus, et feliciter perfecit; tribus ante mortem Pompeji, et totidem post eam, commissis pugnis. De summa vero rei certatum est in campis Pharsalicis Thessaliae; ubi victus Pompejus in fugam sese dedit, et AEgyptum petiit, jussu Ptolemaei Regis indignissime interfectus, a. U. 705.

§. DLXXIX. *Caesar* itaque, postquam antea pomoeria Inperii Romani per Galliam, Helvetiam, Britanniam, quam primus adgressus est, et Germaniam, ut supra narravi, protulisset, nunc Pompejum debellasset in campis Pharsalicis, Inperator renunciatus est, et Dictatoria potestas ipsi in perpetuum decreta, a. U. 705, quando AEgyptum subjugavit, et Pharnacem regem Ponti celerrime devicit; unde illud, *veni, vidi, vici*; tandem Pompejanos in Africa profligavit, Scipionem, Catonem, et Jubam; quorum hic in conflictu periit, Scipio navi fracta, et Cato Uticensis sibi manus intulit, austerae indoli, et monarchatus odio, succumbens; denique filios Pompeji in Hispania subjecit. Sed celebris hic bellator, et Reip. in Monarchiam mutatae autor, primus Monarcha Romanus, haud diu Majestate gavisus est. Cum enim inmodicis in se collatis honoribus insolentius uteretur, nec omnium animi ad servitutem tolerandam essent parati, Ipse in Curia a conjuratis senatoribus, quorum principes erant M. Brutus, Trebonius, Cassius, et Decius Brutus, inproviso est invasus, ac 23 vulneribus confossus, exspiravit, post 4 ann. inperium. Cujus tragicae mortis varia fuisse narrantur prodigia, sed tristissima effecta, conjuratis quoque fatalia, quippe qui intra triennium misere perierunt omnes. Ceterum Caesar depingitur animi et corporis dotibus illustris, omni disciplinarum, ac studiorum genere probe informatus et eruditus, de quo ejus libri quoque testantur, prudentia et fortitudine insignis, nec a clementia ac sobrietate destitutus, attamen supra

pra modum ambitiosus, et superbus, sibique confidens. Romae quinquies triumphavit de totidem victoriis, sed de Gallis, Helvetiis et Germanis simul. In eo praeclare de rep. meruit, quod, praeter sanctionem legum, et magistratuum ordinationem, fastos quoque correxit, et Calendarium Romanum, adeo corruptum, ut aestas fere in hyemem inciderit, reformari curavit, anno ad cursum solis adcommodato, ut sit 365 dierum, et, intercalario mense sublato, unus dies quarto quovis anno intercalaretur. Accidit hoc a. U. 708, unde anni Juliani nomen acceperunt, qui anno seq. inceperunt, ita ut primus sit a. U. C. 709, qui est 44*tus* ante Christum natum.

§. DLXXX. *Octavianus*, postea *Caesar Augustus* dictus, per aviam maternam, Caesaris sororem, Juliam ipsi necessitudine conjunctus, haeres a Caesare Testamento scriptus et adoptatus, sese mox, Caesare mortuo, talem quidem gessit, et ab eo tempore ann. 57 M. 5. praefuit, sed consulatum non nisi victo, et reconciliato Antonio, a senatu accepit, unde anni Inperii ejus 56 numerantur. Cum enim Antonius ipsi litem de haereditate moveret, et partem praeriperet, bello ab Octaviano petitus, Antonio hoste a senatu declarato, et ipso Propraetore constituto, ad Mutinam Galliae, quam a Decio Bruto infessam oppugnabat Antonius, victus est, sed et ei reconciliatus, adeo ut contra omnium opinionem triumviratus inter eos et Lepidum fuerit erectus, Antonio Asia, Lepido Africa, et Octaviano Europa commissa; quando consulatum quoque senatui, non sine minis, extorsit. Deinde Bruto et Cassio apud urbem Philippos ab ipso et Antonio superatis, quippe qui, licet victores, sese victos putantes, sibi manus intulerunt, Sexto quoque Pompejo, qui a triumviris proscriptos receperat, et maria undique infestabat, per Agrippam, ducem Octaviani in Sicilia, victo, indeque expulso, ac postea capto, et occiso, Lepido denique, qui clam cum Pompejo pepigerat, triumviratu privato, bellum inter Duumviros exor-

tum

tum est, Antonio fatale, cujus caussam et ipse praebuit. Incitatus enim a Cleopatra, famosa illa AEgypti regina, quam, amore ejus fascinatus, repudiata Octavia, sorore Augusti, ipsi ad pacem et amicitiam firmandam data uxore ab Augusto, duxerat in AEgypto, Monarchatum adfectavit, copiis et opibus Cleopatrae fisus. Declaratus itaque est a senatu Romano hostis, et ab Augusto ad Actium, Epiri promontorium, victus, ac fugatus est in AEgyptum, ubi Alexandriae obsessus, et ad incitas redactus, sibi ipsi mortem conscivit, sicut et fecit Cleopatra, circumductionem in triumpho metuens. A quo tempore Augustus, in monarchatu confirmatus, regnavit ann. 44.

§. DLXXXI. Inperium deinceps gloriose, et summa cum autoritate, ac potestate, attamen prudenter, et sine jactatione, gubernavit, simul longius extendit, Pannonios, Dalmatas, Illyricos, et Germanos subjecit, ubique in bellis cum illis feliciter agens, excepta clade Quintilio Varo a Germanis inflicta, satis magna: unde querulum ejus dictum ortum est, *Vare, redde legiones.* Quibus confectis, ter triumphavit, de Dalmatis et Pannoniis, de Antonio ad Actium victo, et AEgypto. Jani Templum, sicut bellis civilibus finitis a. U. C. 725 teste Dione l. 51. fecerat, iterum clausit, bello Cantabrico in Hispania confecto, a. U. C. 730, eodem teste l. 53. Additur passim, et creditur, *tertio* fuisse clausum tempore Nati Christi, sed sine fundamento, et contra historiam, cum motus bellici fuerint in Armenia contra Parthos, nec non ad Istrum, et in Arabia; ut ex Dione in Excerpt. Vales., Plinio H. N. l. VI. et aliunde, patet. Vid. Masson in *Jano reserato.* Agonem Actiacum ad normam Olymp. instituit, quinto quoquo anno celebrandum; Provincias inter se et Senatum astute divisit, ita ut senatum exarmaverit, et vim armorum ac militum sibi vindicaverit, senatui pacatioribus tantum concessis provinciis, reliquis sibi reservatis; speciem quoque libertatis ac Reip. reliquit quidem, titulo quoque *Domini* et *Regis* recusato,

et Principis ac Inperatoris adsumto, Tribunitia potestate tantum sub specie tutelae plebis adoptata, attamen vim et potestatem inperii ipse sibi adseruit, et exercuit. Denique summis est cumulatus honoribus, ac splendidis titulis, uti *Augusti* h. e. sacrosancti, a voce *augur* derivato nomine, uti a robur *robustus* etc. sicut loca religiosa, et augurato consecrata, adpellantur *augusta*, Suet. in Aug. Mortuus quoque inter *Divos* fuit relatus a senatu, obiit Nolae in Campania, ex alvi profluvio, inter Liviae uxoris oscula quidem, sed non sine suspicione veneni a Livia procurati, ut refert Dion Cass. l. 56 Ann. U. C. 767 AEr. V. 14*to.*

§. DLXXXII. Successor ejus, *Tiberius Nero*, filius Tiberii Neronis et Liviae Drusillae, Augusto dein nuptae, ab Augusto adoptatus, triennio ante mortem quidem Proconsulari dignitate ab eo erat honoratus, et in aliqualem inperii communionem adscitus, sed inperare non nisi defuncto Augusto coepit, adeo ut ann. 23 inperii ejus inde supputari soleant; secus ac nonnullis videtur, qui Luc. III. annum 15*tum* regni ejus, a Proconsulari dignitate repeti censent, contra omnium historicorum consensum, nec congruenter potestati Proconsf., inter quam et Inperatoriam nimis magnum est discrimen. Acta et gesta, praeter vitiorum et flagitiorum exercitium, nulla memorabilia, seu nostra adtentione digna, prostant. Praestitit autem sese, indoli convenienter, callidum simulatorem, malignum et crudelem; sed et vita dignum nactus est exitum, inter dira conscientiae tormina mortuus, ad magnam populi laetitiam, cum praefuisset fere 23 annos. Ceterum in ultimam inperii ejus periodum incidit publicum Johannis Baptistae et Christi, servatoris nostri, munus, quod ann. ejus 15*to* incepit, Luc. III. de quo postea. Nec melior fuit ejus successor *Cajus Caligula*, Germanici ex Agrippina, Agrippae et Juliae filia, filius, et nepos Drusi, fratris Tiberii, ab ipso, jussu Augusti, adoptatus. Fuit enim corpore et animo deformis, libidine et saevitia celebris, tantum liberalis

talis erga populum, et studiorum, ut fertur, amator: nec nisi ridicula, et insaniam aliquam redolentia, facta ejus memoriae prodita sunt: qua ratione statuam suam conatus fuit Hierosolymae in Templo collocare, supra narratum est. Exitum habuit tragicum, a conjuratis quippe una cum uxore Caesonia, quae ei philtrum propinasse fertur, quo instar insani est factus, interfectus, cum deprehensus esset novos occidendorum confecisse catalogos, postquam regnasset ann. 4. Ejusdem quoque fere indolis fuit successor ejus *Tiberius Claudius Drusus*, patruus Caji, filius Drusi, qui se a duobus libertis suis, Narcisso et Pallante, regi passus est, devotus quoque duabus uxoribus, Messalinae, libidinosae, et Agrippinae saevae. Inperium per milites Praetorianos accepit, invito Senatu, qui illud ad se trahere volebat, et tuitus est contra Camillum Scribonianum, intra Dalmatias creatum Inperatorem, sed a militibus desertum, et vel a se ipso, ut Dion Cass. vel a milite Volugine, ut Tacit. et alii, caesum. Nihil admodum memorabile de ipso traditum est, nisi quod Britannos superaverit, et de iis triumphaverit. Nactus quoque et Ipse est violentum exitum, veneno per Agrippinam e medio sublatus, cum regnasset ann. 13 et M. 8, ut Dion tradit, adcuratior Suetonio, qui 14 ei tribuit.

§. DLXXXIII. Successit, duobus superioribus adhuc pejor, *Claudius Domitius Nero*, Cn. Domitii AEnobarbi, a rutila sic dicti barba, teste Sueton., et Agrippinae minoris, Germanici filiae, filius, a Claudio, praeterito filio suo Britannico ex Messalina, adoptatus, qui, primo quinquennio laudabiliter exacto, quo juventutem ejus regebant Seneca et Burrhus, viri praeclari, in omnis generis vitia et scelera prorupit, praecipue libidinis detestandae, et saevitiae, qui, praeter multos alios, Senecam, et ipsam matrem, neci dedit. Romam magna parte incendio consumsit, quod dein Christianis inputavit, quos primus Inperatorum persecutus est, ut postea videbimus. Ceterum per Domitium Corbu-

ionem devicit Parthos, et per Fl. Vespasianum Judaeos; ut supra narratum est. Exitum quoque habuit sceleribus et vitiis congruum. Cum enim milites ab ipso deficerent, Galba contra ipsum moveret, ipse Senatus, quem occidere volebat, ipsum declararet hostem, ipse, fuga sibi consulens, sed malae conscientiae furiis agitatus, gladio sibi vitam ademit; cum praefuisset ann. 13. M. 7. Quando extincta progenie Caesarea regnum in horribilem conjectum est confusionem, dum varii fuerint exorti Imperatores, Galba, Otho et Vitellius, brevi e medio sublati, donec strenuum accepit Inperatorem Fl. Vespasianum. Sergius Sulpitius Galba, ex gente Sulpitia, et Patre consulari, ortus, Hispaniae Proconsul, a Julio Vindice, Galliae Propraetore, ad regnum Neroni eripiendum evocatus, sed ob avaritiam et nimiam severitatem populo exosus, in ipsis initiis per Othonem, conjuratione inita, cui in adoptione praetulerat Pisonem, obtruncatus est una cum Pisone; cum Mens. 7. tantum praefuisset. Infelicior adhuc ipse Marcus Salvius Otho, e familia clara oriundus, fuit, quippe regno, quod rapuerat, post trimestre spatium exutus, cum exercitus Germanicus in Vitellium juraverat, et propria manu interfectus. Sed nec ipse Aulus Vitellius, Syriae Praesidis ejusdem nominis filius, qui exercitum Galbae in suas traxit partes, et consentiente exercitu Germanico inperator salutatus est, fuit felicior, regno etiam indignus, ac luxu perditus: quare ab exercitu, ad Vespasianum deficiente, desertus, misere periit, cum 8 Mens. praefuisset.

§. DLXXXIV. Ex qua confusione tandem nova lux fuit populo Romano exorta per *Flavium Vespasianum*, Gente Flavia ortum, et, dum Judaeis debellandis incumberet, ab exercitu electum Inperatorem, a. AEr. V. 69. Ipse enim, virtute clarus, et reip. intentus, multa praeclara praestitit, ac disciplinam militarem revocavit, jurisque volumen condidit, operi quoque intermortuus, secundum dictum ejus, *oportet Inperatorem stantem mori*: cum praefuisset ann. 10. nec


nec minorem habuit successorem filium *Titum Vespasianum*, bello Judaico confecto celeberrimum, simul benefaciendo omnibus gratissimum, *delicias* generis humani propterea dictum, qui *diem*, quo nemini benefecerat, *se perdidisse* solebat dicere, sed nimis cito morte abreptum, ann. aer. V. 81. cum ann. 2. regnasset; eo etiam infelicius, quod dissimillimum habuerit successorem, Tit. Fl. *Domitianum*, fratrem, omne genus vitiis infamen, superbum simul et saevum tyrannum, Philosophorum hostem, quos urbe et Italia expulit, et secundum Christianorum persecutorem: de quo postea. Denique hominis conditione non contentus, Deum adpellari, prae vanitate, voluit. Falsum quoque de Dacis et Germanis, victoriam mercatus, egit triumphum. Tandem cum nimis crudeliter saevire inciperet, ab ipsis Domesticis truci morte sublatus est: cum regnasset ann. 15, aer. Vulg. 96. eique suffectus *Coccejus Nerva* Narniensis Italus, e nobili Sabinorum familia, militiae et virtutis laude celebris, qui etiam injuste damnatos absolvit, et Christianorum persecutioni finem inposuit. Cum vero jam senex esset, in consortium et successionem, prudenti usus consilio, adoptavit Ulpium Trajanum, ac stomachi dolore brevi mortuus est, cum regnasset annum et 4 Mens. aer. V. 98.

§. DLXXXV. Subjungendi videntur, ne aliquid in gratiam lectorum, utique nonnullorum, desit, Praesides Syriae, quorum ad Judaeam arctior fuit relatio, quippe Syriae accensitam et obnoxiam; sed breviter recensendi, ne longiores traham moras. Vid. Casaubon. ad Baron, Montacutius ad Orig. Eccles. apparat. IV. denique, ne alios memorem, praecipue Noris. Cenot. Pis. Diss. II. quem omnibus praefero. Legati Antonii, ut inde incipiam, cui provinciae Orientales obtigerant, etiam Praesides dicti, fuerunt sequentes. 1. Decidius Saxa, castrorum metator sub Caesare in Hispania, dein Tribunus plebis, et Syriae legatus ab Antonio constitutus a. U. C. 713, a Labieno, cum Parthis Sy-

riam irrumpente, occisus a. U. C. 714 Dion Cass. l. 48. 2. Ventidius Bassus a. U. C. 714, qui ex humili statu in altum evectus, et ab Antonio in Parthos missus, plures reportavit victorias, primus, sed et ultimus, de Parthis triumphavit. 3. Sosius a. U. C. 716 qui cum Herode M. occupavit Hierosolymam, ab Antigono insessam. 4. L. Munacius Plancus, a. U. 719, et 5 L. Calpurnius Bibulus. a. U. 723, qui duo a Casaub. et Montacut. male omissi sunt. Denique 6 Didius, et 7 Varro, qui Syriam gubernavit a U. 729, donec Agrippa illuc venit. Interseritur quidem Messala, sed is extraordinario tantum inperio in Syriam missus est a. U. 724.

§. DLXXXVI. Legati Augusti, post victoriam Actiacam (inter provincias enim, quas sibi sumsit Augustus, erat quoque Coele-Syria et Phoenicia) fuerunt, 1. Vipsanius Agrippa, ex humiliore conditione, ob praeclaram virtutem, et opem Augusto praestitam, in altum ab eo evectus, et ipsius gener factus, ducta filia ejus Julia, ab Augusto ad totius Asiae res ordinandas missus, Syriam quoque gubernavit per ὑποστρατήγους, *praefectos* subordinatos, qui etiam πρεσβευταὶ *legati*, sed non ἐπίτροποι *procuratores*, adpellantur, ab a. U. 731 ad 741. Inter quos fuit, dum ipse Romae esset a. 733 ad 737, Marcus Tullius, filius Ciceronis Oratoris, ut ex App. liquet. 2. Marcus Titius, ejus successor, a. U. 742 in Syriam venit, et per quatuor ann. administravit. Cui 3. successit Sentius Saturninus a. U. 746, Vir Consularis. 4. Quintilius Varus, haud longe ante Herodis M. mortem, sub quo natus est Christus noster; Noris. Epoch. Syr. Maced. Diss. III. qui tamen in Cen. Pis. Saturninum fuisse dicit. 5. Sulpicius Quirinus, sub quo Archelaus, Ethnarcha Judaeae, Viennam est relegatus, et census in Judaea actus, cujus mentio est Act. V. nec non per totam Syriam, ut Jos. Ant. XVII. fin. tradit. Venit vero in Syriam a. U. 760. 6. Successit, post unum alterumve intermedium, Pomponius Flaccus, a. U. 775, tenuitque per ann. 11 ad a. 786 et finem vitae. Quam 7. excepit L. Vitellius, a. U. 788 demum;

demum; adeo ut biennio non fuerit vir consularis in Syria. Praefuit ann. 4. 8. Successit Publius Petronius a. U. 792 a Cajo Caligula missus, per quem statuam suam in Templum Hierosol. introduci voluit Cajus. 9. Vibius Marsus, a. U. 795, qui Agrippam M. inpedivit Hieros. per murum munire. 10. Cassius Longinus a. U. 801. qui stolam sacerdotalem Judaeis eripere, et in arce Antonia reponere, frustra conatus est, cum Claudius, Agrippae Juniori gratificatus, eam Judaeis concesserit: ut supra habuimus. 11. Ventidius, vel, ut in Nummis apud Ez. Spanhem. Num. Diss. X. Ummidius Quadratus, per ann. 10. 12. Domitius Corbulo, qui in Armenia cum Parthis feliciter bellavit, sed dein, in Graeciam accitus a Nerone, occisus est ejus jussu, antequam eum conspicere voluerit, veritus eum in veste citharoedica videre. Xiphil. ex Dione l. LXIII. 13. Cestius Gallus a. U. 818, ex historia belli Judaici notus. 14. Licinius Mucianus, vir secundis adversisque par, Tac. H. l. I. qui Vespasiano etiam autor fuit, ut inperium capesseret, et postea contra Vitellium ab ipso missus est; quando ei 15. successit Caesennius Paetus: in quo desino.



VITIA EXSTANTIORA TOM. I. CORRIGENDA.

Pag.	Lin.	Leg.
2	3	ſint
—	27	φυλακὰς
13	21	licet
14	24	Calviſius
37	20	Enoſchi
38	4	Enoſchum
—	6	Enoſchi
—	17	Enoſchi
40	8	Enoſch
—	11	Enoſchi
58	14	purorum
77	6 ab infra	*vitiis*
103	6	13
117	7	עליך
135	2	rege
136	22	Aſphaltites
141	8	Clytemneſtra
142	3	διφυὴς
—	21	certi
—	29	Aſtyanacte
152	21	25, 26.
176	fin.	*deſtrictione*
186	18	16
—	19	18
188	1	XVIII
189	4	quam
206	fin.	vindicatae
219	2 pro XXV	XIV
224	22	XXIII
—	28	את
231	1 ab infra	ex
247	2 ab infra	communiter
276	19	occaſurum
282	20	11*omo*
292	17	*locum*
306	20	לא

Lin.	Leg.
3 ab infra	referuntur
19	praefectura
4 ab infra	si
18	Quem
1	10
4	detrectarint
15	40
17	XII
16	נקיתי
19	praestantes
15	בעפלים
16	חמשים
18 in princip.	XVII
25	vellere
19	potuerit
18	pulvinar
11	19
6 ab infra	praelii
9	Machanaim
15	τὴν κάτω
4	duos
28	conjecit
in fine	infra monebo
10	*agger*
2	faciendam
13	loco
2 ab infra	17
14	stabilitum
ultima	Tohi
2, 3, 5, 18, 19	Tohi
19	exprobrare
25	1 Chron.
2 ab infra	2 Sam.
2 ab infra pro	במלבן lege במלבן et pro במלבן lege במלבן
3	*quo* delendum

VITIA EXSTANTIORA TOM. I. et II. CORRIGENDA.

Pag.	Lin.		Leg.
505	21		neci
522	12		habebant
525	13		dilecti
526	3	nomen - - -	obſcuratae; delenda haec omnia.
527	10		tranſeundus
530	25		nimis
533	12		Amaſa
543	2		ſicut Debora
—	28		Jairi
544	15		praegreſſum
557	3 4		ταμιεύεσθαι, ταμία
562	3		judicaveris
564	17		eluceſcit
—	22		*Dei*
569	5 ab infra		Abiſag
592	ultim.		Scepela
593	17		ἀνόμοιος
602	4 ab infra		littora

TOM. II.

Pag.	Lin.	Leg.
3	7	Ptolemaei
52	25	inminutionem
65	15	adtulit
145	lin. ult.	לא ביד
196	12	regnum
227	4	proſtratus
248	13	deleatur v. 34. et leg. filius ac ſucceſſor
265	13	XLIII: 3.
400	ult.	propagarunt
451	fere penult.	Jeſ. LXVI.
527	26	propius
566	23	eas
584	1	Judaeos





